


48-3 67-2

56-4-18

2-16-3008

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA	
CALLE 10	
Colección	B
Edición	24
Tabla	
Número	10

JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI
OPERA OMNIA.



JOANNIS
LUDOVICI VIVIS VALENTINI

OPERA OMNIA,

DISTRIBUTA ET ORDINATA

IN ARGUMENTORUM CLASSES PRÆCIPUAS

A GREGORIO MAJANSIO, GENER. VALENT.

CAROLO III. Hispan. Regi a Consiliis, et Honorario XII. Viro
Litibus judicandis in Urbe, et Domo Regia.

ITEM

VITA VIVIS SCRIPTA AB EODEM MAJANSIO.

LIBERALITER EDITIONIS IMPENSAS SUFFICIENTE


EXCELLENTISSIMO DOMINO,

D. D. FRANCISCO FABIAN ET FUERO,

ARCHIEPISCOPO VALENTINO,

Equite Prelato Signato Magna Cruce Insignis Regalis
Ordinis CAROLI III.

TOMUS IV.



VALENTIÆ EDETANORUM.

IN OFFICINA BENEDICTI MONFORT, EXC.mi ET ILL.mi DOMINI
Archiepiscopi Typographi. Anno M.DCC.LXXXIII.

E L E N C H U S


TRACTATUUM, QUI IN QUARTO TOMO CONTINENTUR.

M O R A L I A.

F Abula de Homine. Pag. 3.	nubit. Cap. II.	175.
Anima Senis. 9.	Duo maxima in muliere con-	
Sapientis inquisitio. 22.	jugata. Cap. III.	178.
Satellitiae vel Symbola. 33.	Quomodo se erga maritum.	
Præfatio in Libros de Institu-	habebit. Cap. IV.	183.
tione Feminae Christianae ad	De Concordia conjugum. C.V.	205.
Serenis. D. Catharinam His-	Quomodo privatim se cum	
panam Angliae Reginam. 65.	marito habere debet. C.VI.	217.
DE INSTITUTIONE FEMINAE CHRIS-	De Zelotypia. Cap. VII.	223.
TIANAE, LIBER I. Qui est de	De Ornamentis. Cap. VIII.	228.
Virginibus. 70.	De Publico. Cap. IX.	234.
De Educatione virginis infan-	Quomodo agendum domi.	
tis. Cap. I. ibid.	Cap. X.	244.
De Reliqua infantia. Cap. II. 71.	De Liberis, et quæ circa illos	
De Primis exercitamentis. C.III. 73.	cura. Cap. XI.	253.
De Doctrina puellarum. C.IV. 77.	De Bis nuptis, et Novercis.	
Qui non legendi Scriptores,	Cap. XII.	269.
qui legendi. Cap. V. 85.	Quomodo se geret cum con-	
De Virginitate. Cap. VI. 90.	sanguineis et affinibus. Cap.	
Quomodo virgo corpus trac-	XIII.	272.
tabit. Cap. VII. 96.	Quomodo cum filiis, aut fi-	
De Ornamentis. Cap. VIII. 102.	lia conjugata, cum gene-	
De Solitudine virginis. C.IX. 116.	ro, et nuru. Cap. XIV.	275.
De Virtutibus feminae, et	De Matrefamilias proVectio-	
exemplis, quæ imitetur. C.X. 121.	ris ætatis. Cap. XV.	278.
Quomodo foris aget. C.XI. 129.	DE INSTITUTIONE FEMINAE CHRIS-	
De Saltationibus. Cap. XII. 141.	TIANAE, LIBER III. Qui est de	
De Amoribus. Cap. XIII. 145.	Viduis.	280.
De Amore virginis. C.XIV. 153.	De Luctu viduarum. Cap. I.	ibid.
De Quærendo sponso. C.XV. 155.	De Funere mariti. Cap. II.	285.
DE INSTITUTIONE FEMINAE CHRIS-	De Memoria mariti. Cap. III.	287.
TIANAE, LIBER II. 172.	De Continentia et honesta-	
De Conjugio. Cap. I. 172.	te viduæ. Cap. IV.	289.
Quid cogitare debeat, quæ	Quomodo agendum domi. c. v.	292.

Quomodo foris. Cap. VI.	294.	Quibus vitiis impediuntur a benefaciendo ii qui pos- sunt. Cap. VII.	439.
De Secundis nuptiis. C. VII.	297.	Nullas causas debere impedi- re nos a benefaciendo. C. VIII.	442.
Præfatio ad Illustris. D. Joan- nem Borgiam Gandiæ Du- cem in lib. de Officio Mariti.	302.	Quæ unicuique a Deo dan- tur, non propter ipsum da- ri solum. Cap. IX.	450.
DE OFFICIO MARITI LIBER.	305.	Non constare pietatem et christianismum sine bene- ficientia mutua. Cap. X.	453.
De Eligenda uxore. Cap. I.	315.	Quantum, et quomodo, cui- que benefaciendum. Cap. XI.	459.
De Accessu ad conjugium. C. II.	346.	DE SUBVENTIONE PAUPERUM, SIVE DE HUMANIS NECESSITA- TIBUS, LIBER. II.	465.
De Disciplina feminæ. Cap. III.	362.	Quantopere conveniat Rec- tori civitatis, curare pau- res. Cap. I.	ibid.
De Domo. Cap. IV.	384.	Collectio pauperum et pro- fessio. Cap. II.	469.
De Externis. Cap. V.	390.	Qua ratione eis omnibus pros- piciatur victus. Cap. III.	471.
De Cultu. Cap. VI.	393.	Cura puerorum. Cap. IV.	476.
De Absentia mariti. Cap. VII.	399.	Censores, et Censura. Cap. V.	477.
De Reprehensione et castiga- tione. Cap. VIII.	400.	De pecunia, quæ his sumti- bus sufficiat. Cap. VI.	478.
De Progressu in conjugio. Cap. IX.	408.	De iis quæ vel subita aliqua, vel occulta necessitate ur- gentur. Cap. VII.	484.
Quas utilitates affert amor conjugum mutuus. Cap. X.	412.	De iis qui novas has constitu- tiones improbabunt. C. VIII.	486.
De iis quæ non habent libe- ros. Cap. XI.	415.	Nihil debere obsistere quo minus quæ diximus fiunt. Cap. IX.	491.
De Uxore natu grandiore. Cap. XII.	416.	Commoda si hæc fiant hu- mana et divina. Cap. X.	492.
DE SUBVENTIONE PAUPERUM, SIVE DE HUMANIS NECESSITA- TIBUS, LIBER I.	421.		
Origo humanæ necessitatis, ac miseræ. Cap. I.	ibid.		
Necessitates hominum. Cap. II.	423.		
Quæ sit benefaciendi ratio. Cap. III.	426.		
Quàm secundum naturam sit benefacere. Cap. IV.	430.		
Quibus de causis quidam a be- nefaciendo deterrentur. C. V.	432.		
Quomodo inopibus agen- dum. Cap. VI.	437.		

JOAN.



Curantem quicquid dignum sapientie beneque est. Hæc. Ep. IV. L. I.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
VALENTINI
OPERA OMNIA.

MORALIA.

JOANNES LUDOVICUS VIVES
ANTONIO BERGENSI JUVENI NOBILISSIMO

S. D.

SI vacat, nobilissime Antoni, nugari aliquando, en Tibi duo opuscula mea in quibus id agas, neque enim aliud melius habeo munus, quo amorem erga Te meum ostendam; qui quantus sit, de Tuo fac conjecturam; existimo enim (ni fallatur magister ille sapientiæ Plato in judicio de Xenocratis erga se pietate) et Te mihi in amore respondere: habebis igitur aliquid meum, qui tam desideras, et fastiditus isto non requires postea rem majorem, si modo fastidiri quisquam potest rebus amici, quantumvis ineptis: erit itaque prior libellus, *Fabula de homine*, id est, de mundana scena, in

Tom. IV.

A

qua

Fabula de homine.

qua suam unaquæque rerum personam agit, primæque sunt partes ipsius homines. Argumentum est antiquum, quod cum nugis habet permulta seria, etenim illud nobis, si paullo altius animum ipsum cogitatione erigere volumus, ostendere vilitatem istarum rerum, quas ingenti cum labore, anxii sollicitique, cæci atque dementes, quærimus, et subinde admonere meliora potest; omnia enim quæ sunt in humana vita, præter virtutem, tamquam pueriles quidam lusus, ridicula sunt, ac subito utpote inania evanescent; hanc ipsam rem mihi in animo est alias, si liberius suppetierit otium, opere justo exequi, nunc tamquam monagrammam delineavi. Posterior libellus est *Prælectio in Georgica Vergilii*, (*) neque enim absurdum prorsus est philosophum ex tetrica illa disciplina ad blandiores musas animi gratia interdum descendere, quod eo facio et sæpius et audacius, quo sum ex ea philosophia, cujus princeps de Poetica scripsit arte, et Alexandro Regi discipulo suo Homerum interpretatus est, quem poetam ego *Vergilium Græcum* appellare, sicut hunc *Romanum Homerum*, soleo; Tu vero, mi Antoni, enitere ut istam Tuam tam egregiam indolem ad summam virtutem perducas, caveasque ne imbecilla ætas inter tot aulica mala corrumpatur: spero Tuò ingenio tamen monitore opus non fore. Vale, et me ut amare cœpisti, perge.

LOVANIÏ, ANNO M.D.XVIII.

JOAN-

(*) *Prælectio in Georgica Vergilii* ex Auctoris archetypo hic subnectenda erat: at quum in nostra editione diversa nimis Vivis opera in certas distribuuntur classes ad commodiorem facilioremque eorum usum, opellam qua de agitur sub classe Philologica collocavimus Tom. II. Pag. 71.

Prælectio in
Georgica
Vergilii.

Verg. Ro-
manus Ho-
merus.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

FABULA DE HOMINE.

LIBET mihi a ludis fabulisque auspicari hanc meam de homine dissertationem, quoniam et homo ipse ludus ac fabula est: ferunt post epulum quoddam magnificentum et adipabile, quo deos omnes natali suo excepit Juno regina, divos curis solutos, et calefactos nectare, interrogasse Junonem, parasæne ludos aliquos, quos post convivium spectarent, ut nihil tam solenni deesset diei, quo minus undique esset lætitia divorum absolutus; ipsam, ut in hoc quoque diis immortalibus gratificaretur, precatam esse enixe fratrem maritumque Jovem, ut quando omnipotens esset, ex tempore amphitheatrum faceret, novasque induceret personas ad speciem justorum ludorum, ne ea ex parte dies, quem ipsa honoratissimum volebat, mancus deorum opinione videretur: tum subito nutu omnipotentis Jovis, quo uno aguntur omnia, extitit mundus hic universus, tam magnus, tam ornatus, tam varius, ac subinde pulcher, uti eum cernitis; hoc fuit amphitheatrum, in cujus supremò, utpote cœlis, fori sedesque sunt deorum spectantium, in infimo, quod nonnulli medium vocant, terra, hoc est, scena locata in quam prodirent personæ agentes, universa, scilicet, animalia, resque aliæ omnes: paratis omnibus, et in convivio sublatis mensis, adesse jam in scena personatos histriones nuntiat Mercurius Braubeta; læti exeunt spectatores, et pro dignitate designatus cuique locus; ludis præerat dictator Jupiter maximus, qui ubi adesse deos omnes vidit, signum dedit, quod omnia cum faceret, omnibus ut nossent monstravit, jussitque; ac ne quis aliter quàm sibi placeret, ageret, ordinem seriemque ludorum omnium historico gregi præscripsit, a qua ne digitum quidem, ut ajunt, transversum abscederent.

Simul igitur ac primum vocem signumque summi Jovis

A 2

qui

Homo Fa-
bula.

Fabula con-
vivii deco-
rum.

Mundus am-
phitheatrum.

Terra scæ-
na.

Proverbium

qui erant in scena senserunt, prodierunt ordine suo in proscenium, et illic tam scite, tam compositè, tam Roscìe, tragedias, comœdias, satyras, mimos, attellanas, aliaque ejusmodi egerunt, ut jurarint dii se pulchrius, ac jucundius quicquam nunquam spectasse; deorum oblectatione, voluptateque lætissima, et pæne exiliens ipsa Juno, singulos identidem eorum rogabat, quàm ludi placerent? Omnes eadem perstabant sententia, nihil unquam admirabilius, nihil spectatu, nihil Junone ipsa dignius, atque eo natali, quem celebrabant, die; nequibat loco consistere summi Dei summa dea conjunx, sed exultans alacrisque perambulans immortalium subsellia deorum, inter alia subinde ab unoquoque illorum quærebat, quem maxime histrionem probarent ex omnibus? Sapientissimi deorum nihil esse homine admirabilius responderunt, quibus et ipse deorum pater nutu assensus est; nam cum gestus, verba, omnes denique ejus personæ actus, attentius spectabant, majore ac majore stupore defigebantur: placebat ipse sibi Jupiter, videns tantopere admirari laudarique hominem, foeturam suam, ab omnibus diis; qui assidebant Jovi, cum in humano Archimimo tam sibi eum placere viderent, facile intellexerunt illam ab ipso personam esse factam, quin et intentius perspicientes, multam Jovis effigiem in homine ipso agnoverunt, qua vel hebetissimus deorum judicasset natum eum esse a Jove: homo ipse, qui sub persona latet, sed emicans crebro, atque exiliens pæne foras, et multis se in rebus clare ostendens, plane divinus Joveusque est, immortalitatis ipsius Jovis particeps, sapientiæ, prudentiæ, memoriæ, virtutum ita consors, ut hæc in maxima munera de suo thesauro, atque adeo de se ipso, impertitum illi esse Jovem facile cognoscatur; deinde, ut ipse deorum maximus, virtute sua omnia complectitur, omnia est, sic et hunc ipsius Pantomimum esse videbant, namque is nonnunquam ita se se transformabat, ut sub persona plantæ prodiret, agens unam vitam absque ullo sensu; paullum cum se abdidisset, in scenam regrediebatur Ethologus, et Ethopæus, deformatus in mille species belluarum; leonem diceres iratum et furentem, rapacem voracemque lupum, sævum aprum, astutulam vulpeculam, voluptuo-

Nihil homine admirabilius.

Homo latens.
Persona hominis.

Planta.

Bellua.

tuosam sordidamque suam, timidum leporem, invidum canem, stolidum asinum; postquam hoc egerat, semotus parumper a conspectu, velo diducto redibat mox prudens, justus, socius, humanus, benignus, comes, homo, frequentabat cum aliis civitates, vicissim imperabat et parebat imperio, quæ ad publicos attinebant usus atque utilitates ipse cum aliis curabat, denique nullus non erat civilis sociusque.

Non expectabant dii eum pluribus visum iri formis, cum ecce adest repente in eorum speciem reformatus, supra hominis ingenium, totus innixus sapientissimæ menti; summe Jupiter, quantum illis spectaculum! primum, stupescere se in scenam etiam introductos, expressosque ab hoc tam Ethico mimo, quem plerique multiformem illum Protheum Oceani filium esse affirmabant; deinde, sublato incredibili plausu, jam non agere sinebant hunc summum histrionem, sed a Junone poscebant ut deposita persona in subsellia cum reliquis diis reciperetur, fieretque potius spectator quàm actor; jam illa hoc gestiebat a marito impetrare, cum eodem momento exit homo ferens sustinensque ipsum deorum optimum Max. Jovem, miris et innarrabilibus gestibus patris effigiem reddens, ipsas etiam minorum supergressus naturas deorum, ad innaccessibilem illam penetrens lucem caligine vallatam, quam inhabitat Jupiter, Regum et deorum Rex; hunc simul ac dii conspicati sunt, primum animo commoti atque turbati dominum putarunt patremque suum in scenam descendisse; post vero, sedata mente, oculos identidem ad Jovis sellam tollebant, ut viderent sederetne illic ipse, an personatus prodiisset aliquid acturus? quem cum illic esse viderent, oculosque converterent ad hominem, referabant itidem intutum ad Jovem: tam scite enim, tamque decenter is Jovem actu exprimebat suo, ut jam deorsum in scenam, jam sursum in Jovis sellam oculos subinde jactarent, ne fallerentur ab effigie, et histrionis tam simili imitatione; fuere ex aliis histrionibus qui jurarint non illum hominem, sed eundem ipsum Jovem esse, qui tamen pro tanto errore acerbis pœnas luerunt; verum dii universi veneratione imaginis parentis omnium deorum, divinos homini et suffragiis suis decreverunt

Homo.

Angelus.

Deus.

ho-

honores, atque a Jove impetratum est, ipsa supplicante Junone, ut is homo, qui deorum et Jovis personas tam apte egisset, persona deposita, inter deos sederet: concessit Jupiter diis quod ipse ultro, multo antea, suo homini deferendum statuerat; ita evocatus a scena homo, ubi in deorum sedes a Mercurio introductus est, victor declaratus, ibi non vocibus ullis, sed admirabili quodam exceptus silentio, detectus totus homo, ostendit immortalibus diis naturam suam illis germanam, quæ natura, persona corporeque intacta, animal reddit tam varium, tam desultorium, tam versipellem, polypum, et cameleonta, quàm in scena viderant; ipse tum Jupiter agnitus declaratusque non deorum modo, sed hominum etiam pater, suis utrisque filiis placido benignoque vultu aggaudebat, et parens ab utrisque consalutatus atque adoratus, augustum utrumque nomen libens accepit, qua etiam nunc appellatione grata utentes, deorum illum et hominum patrem nuncupamus; verum prior quum Mercurius in divas sedes introjisset, brachiis personales gestans exuvias, illas maximo cum ardore dii circumspexerunt, quas postquam diu ac multum sunt contemplati, Jovis sapientiam et artem admirati sunt, atque adorarunt, ipse enim eas fecerat non minus actibus omnibus decoras, quàm utiles.

Corporis hu-
manipartes.

Celsum caput divinæ mentis arcem, et aulam, in eo sensoria quinque ornate, utiliterque et digesta et sita, auriculæ secundum tempora non molli pelle dependulæ, nec osse duro immobiles firmatæ, sed sinuosa cartilagine in orbem coactæ duæ, ut utrinque venientes excipiant sonos, et pulverem, stipulas, floccos, culices temere volitantes, ne interiora capitis penetrent, suis in ambagibus detineant, pari numero oculi etiam duo excelsi, tamquam rerum omnium speculatores, tenui ciliorum, palpebrarumque vallo muniti adversus easdem stipulas, floccos, pulverem, et minutissimas bestiolas, indices animi, humanique vultus maxima pars, ipsa denique vestis personæ, seu persona potius, tota usque adeo decens, diducta in brachia, et crura, quæ oblonga in digitos desinebant, tam speciosos, tam commodos omni operi; non vacat persequi singula, quæ alii plurimis verbis exequuti sunt, illam unam clausulam addam: omnia

nia

nia ita congruentia et inter se se apta esse, ut ipsis aliquid si vel detrahatur, vel mutetur, vel etiam addatur, tota illa convenientia et pulchritudo, tota usus facultas extemplo amittatur, nullo enim ingenio inveniri potest appositior homini persona, nisi quis forte, quæ fieri non potuerunt, desideret: at hominem simul ac viderunt dii, amplexi fratrem ipsi suum, indignum judicarunt qui in scenam unquam prodiisset, ludicramque exercuisset artem infamem, et suam atque patris similitudinem non poterant satis exosculari; perscrutabantur singula, perlustrabant tam multos hominis recessus, delectabantur ea potius re quam ludorum omnium spectaculis,

Congruentia
de membris
hominis.

Nec vidisse semel satis est, juvat usque morari;

illic enim mens quædam tanti capax consilii, tantæ prudentiæ, sapientiæ, rationis, tam fecunda, ut vel ex se sola incredibiles ædat partus; inventa sunt ejus, urbes, domus; animalium, herbarum, lapidum, metallorum usus; cunctarum rerum appellationes et nomina, quod multi sapientissimi inter reliqua ejus inventa in primis demirati sunt; deinde, quod neque minus est, paucis quibusdam litteris comprehensio illius immensæ varietatis sonorum vocis humanæ, ex quibus conscriptæ et traditæ disciplinæ tot, quibus etiam ipsa religio continetur, Jovis patris cognitio et cultus, ac reliquorum deorum fratrum, quæ una res, quum in nullo sit animalium nisi in isto, ostendit agnationem illam quam habet cum diis; ad hæc, parum illa omnia profuisset invenisse, nisi et accessisset quasi thesaurus rerum omnium, qui opes has divinas reconditas servaret, memoria, promptuarium universorum quæ diximus, ex quibus duobus quasi conflatur providentia, et futurorum conjectura, scintilla plane illius divinæ atque immensæ scientiæ, quæ perspicit omnia futura tamquam extantia.

Mens.

Inventa ho-
minis.

Religio.

Memoria.

Providentia

Hæc atque alia dii contuentes quum non teneret eos satietas, haud secus ac qui in speculo suam intuentur formosam imaginem, delectantur ea, nec gravate diutius immorantur, sic illi, quum et se et patrem ipsum Jovem in homine tam expressos viderent, juvabat eos quæ jam sæpe viderant, sæpius conspiceret, et

alia

alia ex aliis quærentes, quonam modo plantas herbasque, quonam modo belluas, hominem, deos, deum regem Jovem, in proscenio egisset, sciscitabantur? qua arte? quo gestu? Quæ omnia placide ac diserte quum exposuisset homo, jussu est a Jove ex convivii partibus ambrosiam nectarque illi apponi; libenter neglectis spectaculis merendam fecerunt cum eo multi divorum; usque adeo fraterno delectabantur hospite, seu cive potius, qui posteaquam ex labore illo ludorum, cœlestibus cibis refectus, prætextaque purpurea indutus, ut ceteri dii, coronatus processit ad spectandum, ei plurimi assurrexere divorum, plurimi perlibenter loco cedebant, quin et diversi per vestem trahebant, gressumque morabantur ut apud se esset, quoad summus Jupiter Mercurio eum ducenti nunt ut inter primores deorum reciperetur in orchestra, qui pro maximo id acceperunt beneficio; tantum abest ut dii ex amplissimo ordine fastidierint hominem paullo antea histrionem; acceptus ab illis honorifice, et ad primas sedes invitatus, sedit immistus eorum catervæ, inde ludos spectavit, qui suo semper tenore persecuti sunt quoad subducens ipse Apollo lucem, Junonis precibus (nam architriclini et reliqui ministri submoniti a coquis nuntiabant plus satis cœnam esse paratam) noctem invexit; ita accensis funalibus, fascibus, cereis, lychnuchis, lucernis, quæ astra ferebant, eadem pompa cœnæ epulo recepti sunt, quo prandii; hominem etiam ipsa invitavit Juno, paterque Jupiter, (*)

Homo cum diis.

Annuît, et nutu totum tremefecit Olympum,

et ut inter principes deos spectaverat, ita inter eos accubuit in convivio, recepta, quam tantisper posuerat, persona, namque is ipsi personæ habitus est honos, ut, quoniam hominis usibus se se tam bene accommodarat, deorum mensa, lautissimoque convivio digna judicaretur, sensuque rerum illi communicato, fruere-
tur æterna epuli lætitia.

JOAN-

(*) Virg. Æncid. lib. 9. v. 196.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

AD CATONEM MAJOREM, SIVE
de Senectute Ciceronis, Prælectio, quæ dicitur
Anima senis, ad Abbatem S. Jacobi.

ANtequam Ciceronis Catonem enarrare incipio, describam vobis, quàm potero aptissimè, *Senis animam*, quæ se se mihi nuper obtulit formà, non minus admirabili, quàm jucunda et etiam grata; nam quum optassem plerumque (tametsi non sum senex) annosi tamen hominis animam videre, quo possem nonnihil conjectari qualis illa ætate essem futurus, si ad eam voluntate Dei pervenirem, ac aliquando quum altius de senecta multa cum animo meo reputarem, atque repeterem, ecce rem quandam mihi videre visus sum, quæ interroganti mihi, *Senis animam*, se esse respondit: credo quòd ex interiore illo animi visu, quemadmodum sapientes dicunt, spectrum quoque exterior obtutus aspicere sibi visus est, cœpitque mecum de antiquissimis actis et extra omnem gentium memoriam positis, incultis, horridis, rancidis quibusdam verbis, velut Appianis, Livianis, Ennianis, Nevianis, Plautinis disserere, quibus facile apparebat corpus illius jam ultra limina fati esse. Ego ut illis modum poneret exoravi, referretque quid esset, quidque picturæ illæ (quibus tam formosa reddebatur) significarent? Miror, inquit illa, hæc omnia te ignorare, ni te scire modo dissimulas, qui ita multum Aristotelea sapere te jactas, quando hæc omnia ab eo, ut fuit vir ille admirandæ lateque patentis scientiæ, sunt quàm optime variis scriptis tradita; sed audi, et quæ de me dicam memoriæ manda, ut quum ad senectam veneris, si te illuc perducere fata Deusque siverint, re ipsa experiri possis quæ nunc ex me discas: sum equidem ego *Senis anima*, provida, sagax, multiplex, acuta, memor, plena rationis et consilii, quam vos vocatis rationalem, idque recte; sola enim sum

Anima senis.

ex tot generibus animarum, atque naturis, particeps et cogitationis, quum reliqua omnia sint expertia.

Pars inferior animæ.

Quam in me vides partem demissiolem, qua corpori commista sum, hæc est qua nihilo a feris videor differre; hic gaudium est, hic mæror, metus, terror; hic spes, ira, misericordia; hic invidia; hic libido; hic illud affectuum æstuosum fretum; hic curæ cordis edaces, et illæ quas poetæ *Furias* appellarunt; hic, quoniam magnum rerum usum habeo atque experientiam, falsaque sum sæpius a plerisque, ut est ingenium hominum subdolum, vanum et fallax, omnia in pejorem partem interpretans, multa est malitia; suspicor enim semper aliquid in re ipsa, fraudis, mali doli, subesse; sumque incredula, neminem facile in amicitiam meam recipio, neminem aut nimis amo, aut nimis odi, sed ut præcepit sapiens illæ Græciæ, *Odi ut amatura, et amo ut osura*; remissoque in me illo juvenili calore, abjeci quoque juveniles animos, nihil gestio magnum, nihil ad fastum et pompam, non ludos, non comædos, non tragædos, non mimos, non ullos histriones, scurras, parasitos, circulatores, sed ea sola quæ sunt ad vitam in primis necessaria, eaque vix satis, cuminum etiam in duos usus seco, boves non immolo, sed passerulos, atque utinam diis satisfieri posset culicibus, aut muscis, illas captarem; non vides ut, quemadmodum in vita, sic nec in oratione hac mea ullæ sint deliciae, ulla ornamenta, ulli aculei, non spiritus, non nervi, roburque, nec calor ille superioris ætatis? Facit et me eadem sanguinis tepefactio, seu frigeffectio potius, parcam, tenacem, avaram, quam ipsam ob causam et genus omne mulierum avarissimum est: adde etiam, quòd expertam me non fugit esse opum longe difficillimum quæstum, jacturam vero, profusionem, facillimam, et passim ultro se se offerentem, nusquam non esse occasionem impensæ, lucri vero rarissimam esse, at (1)

— festo die si quid prodegeris,

Profesto egere liceat, nisi peperceris.

Quot possem ego commemorare, qui a se vel a majoribus ingen-

(1) Plaut. in *Aulularia* act. 2. Scena 8. v. 10.

gentes copias opesque, summis laboribus, multo tempore, partas et congestas, summis vigiliis auctas et conservatas, brevi ita dilapidarunt, ut ne teruncium quidem sibi reliqui fecerint; quid opus est exemplis in re quam qui ignorat, is ipse vitam communem usumque omnem rerum et experientiam ignoret necesse est? quem admonere abunde satis potest illud proverbium, quod apud vestrates frequens est: *Avaro et congestori prodigus heres.*

Jam propter eundem, quem dixi, caloris defectum, timida, et vitare cuncta, quæ periculi speciem præ se ferunt, intenta et parata semper sum, nullique me, quamlibet exiguo, discrimini committo, materque mea secura mei quiescere potest, *Mater enim timidi*, ut vulgo ajunt, *fere non solet*; atque hæc quidem omnia ex refrigerato proficiscuntur cerebro, quæ causa et mulieres quoque timidas facit. Ad hæc, quo magis capulo et sepulcro insto, eo fio vitæ et corporeæ societatis avidior, est enim absentium rerum desiderium, et earum maxime, quæ nobis expertis dulces visæ sunt; timor hic, et pusillitas animi, accusandi, conquerendi, expostulandi, plus æquo studiosam me effecerunt, etenim existimo canos meos ab omnibus despici atque contemni, quod iniquissimo animo fero; tum nimis quoque laudo, cum res laudatur, nimis etiam vitupero, cum vituperatur, apud eos præcipue, a quibus aliquid commodi me puto reportaturam; mutoque et vultus et verba (ut Gnato ille Terentianus) ad nutum motumque benefactoris; aucupantes enim voces avium imitantur, pennisque avium se instruunt, ut venatores cervinam pellem induunt. Inverecunda sum, quòd nihil ex iis, quæ ago, puto ætatem meam dedecere; huc spectat quòd et utile plerumque honesto præfero; nihil in me est spei, quia vidi omnia fere: (1)

Adulatio.

Inverecundia.

In pejus ruere, ac retro sublapsa referri:

vivo potius memoria quadam, quàm spe, namque futurum vitæ mihi perbreve, præteritum multum est, porro spes futurorum,

Memoria.

B 2

rum,

(1) Virgil. *Georg.* lib. 1. v. 200.

rum, memoria (ut nosti) præteritorum est; reddor proinde, multo quàm fuerim ante, loquacior, quippe, voluptate, affecta ex recordatione anteactæ vitæ, persevero sæpissime præterita narrans, ut de Nestore credo te apud Iliada Homeri legisse: deferbuerunt jam in me prisca cupiditates, et mecum senuerunt, avaricia vero, et ardor habendi, renata et junior in me facta est, nam, ut inquit ille apud Terentium Micio, (1)

Nestor.

*Ad omnia alia etate sapimus rectius:
Solum unum hoc vitium senectus affert hominibus,
Attentiores sumus ad rem omnes, quàm sat est.*

Proverbium

Ne expectet quispiam in me κέρως (quod ajunt) ἀμαλθείας unde possit vel lac gallinaceum haurire, citius e saxo, nisi si quis forte putatur Darii similis, ut experiamur an continget nobis quod Solysonti pro amiculo; conda sum, non proma; pumex non æque aridus est; aquam ploro (cum lavo) profundere; sic facit quoque nepos meus Plautinus Euclio, qui famem etiam utendam, si roges, nunquam dabit, quique a prætore postulavit plorans ut milvum liceret sibi vadariet, qui pulmentum pridem eripuerat: at vero ego, sicut dicere incœperam, querula majorem in modum sum, morosa, ac rerum omnium impatiens, quocirca senium plerique pro tædio sæpe dixere, quoniam sum fastidio tædioque aliis, actius amici mortem senium sibi esse dicit, et Turpilius nuptias sibi senium vocat, nec injuria, ex senio enim tædium, et ex tædio senium fit, ut ex aqua glacies, et rursus ex glacie aqua; cujus documento est, affectos tædio, etiam in flore juventutis, canescere, ac rugari, uti hac ætate Jacobo cuidam Osorio, vestrati, nocte una, qua in carcere fuit, canities contingit Erigini: contrà vero; quid est quòd juvenes senum sodalitates tam fugiunt, nisi quia hi non modo sibi, verum aliis omnibus odiosi sunt? Ah quàm id verum est quum venit (ut ait Boëtius) *properata malis inopina senecta!* tunc enim, ut canebat Horatius, (2)

Senium.

Tædium.

Multa senem circumveniunt incommoda—

Ea

(1) Adelphi Actus V. scen. 3. v. 46.

(2) De Arte Poetica. Vers. 169.

Ea certe senectus est, de qua Ausonius dicebat, (1)

Expectata diu, votisque optata malignis:

tunc omnia seni sunt gravia, molestaque, et ipse omnibus; de omnibus conqueritur, et omnes de ipso; non placet ipsi quisque, nec ipse cuiquam: hæc vere senectus morbus est: illa, illa una est bona senectus, ut tuus Aristoteles ait, *que cum tarde invadit, etiam dolores non infert*; ea est, quam Ausonius Juventæ parilem, gratam homini ex Lacedæmonii sapientis sententia cecinit; nam qui citò consenuit, et qui tarde, sed non absque dolore, uterque incommoda utitur senectute.

Senectus morbus.

Senium autem, senectam, ac senectutem, defectum naturalis caloris, et principis vitalis humidi esse deffinierunt; idcirco qui atra bili abundant sanguineis citius senescunt, illæ pariter animantes, quæ frequentem dant liberis operam, castis; quamvis enim humorum senes sint pleni, excrementa tamen illa sunt pituitosa, quæ nihilum naturæ conferant, auferant citius et obsint, putredoque illa, quam Peripateticus philosophus senectam dixit, cutem nostram nigriorem efficit quàm fuerat in juventute, siccescensque sanguis, ut ipse nigrior fieri solet, ita etiam formæ corporum nostrorum nigritudinem dat; is enim est, qui calore suo nativo corpora nostra intingit, vitamque placidissimè fovet, quo fit, ut illo sensim consumto, anima ipsa quæ ab eo, tamquam vinculo quodam et copula, detinebatur, soluta evolet, fiatque illa corporis animique disjunctio, quam vos mortem appellatis, cum sit potius ingressus ad vitam quandam, non modo mortis, sed morborum quoque expertem. Nunc vero postquam partem meam inferiorem perspexisti, oculos tantisper erige ad superiora, et alteram suspice partem, quam, tibi attento, brevi sermone declarabo: ea enim est qua me nosco, quod est in sapientia primum; qua, uti decens est, habeor ab omnibus in precio, meque ipsa in hac infirmitate ætatis consolor; vides tantam rerum cognitionem, tantum usum, tantam experientiam, ut etiam callos in ea habeam, ut in manibus longo

Senectus quid.

Superior pars animæ.

ex

(1) Edyll. 15.



Prudentia.

ex labore agricolæ, unde callida dicor; harum rerum beneficio sum prudentiam consecuta, quam, ut docuit Aristoteles, vix absque rerum experientia nancisci quis potest, propter quod et adolescentiores facile prudentes fieri posse negat; hinc et sapiens appellor, nam ut vos palato escas quales sint judicatis, sic ego mente quæ sint res, et quales, dignosco; nec vero refert, *senex quis sit moribus, an ætate*, de quo forsitan, si suppetierit tempus, postea disputabimus; at illud in optimis et sapientissimis quibusque ex nobis usu venit, quod paucis, nescio quibus, Græcis, et in primis æquali meo Socrati, ferunt contigisse, omnia nos ut ambigamus, nihil scire putemus, nihil plane affirmemus, quærentes omnia, dubitantes plerumque, et nobis ipsæ diffidentes, *forsitan*, omni sermoni adjiciamus, perpendamus cuncta, præsto semper sit illa assensionis retentio, quæ ab Academicis ἐπιπορευσι dicta est, nihil præpropere, nihil præcociter, ac immaturè agamus, idcirco nec consequitur consilium nostrum pœnitentia, quoniam callidum et præceptus non est, ac sumus constantes, gravesque judicatæ, multa que nos principio vidisse, progressu exituque rei apparet.

Socratis disputandi modus.

Hæc de sapientibus, etsi sunt inventu perquam rari, sum locuta, *quando is ipse*, de quo dixit Socrates, ut est in eo sermone in quo facit illum Plato loquentem pro morte, *ita disputat* (utar potius verbis Ciceronis) *ut nihil affirmet ipse, refellat alios*; nihil se scire dicat nisi id ipsum; eoque præstare ceteris, quòd illi quæ nesciant se scire putent, ipse se nihil scire, hoc unum sciat, ob eamque rem arbitrari ab Apolline omnium sapientissimum esse dictum, quòd hæc esset una omnis sapientia: *Non arbitrari se scire quod nesciat*: certe equidem et ego, quanto magis ætate provehor, tanto me pauciora scire deprehendo, nam quum eram junior, quid non me scire arbitrabar? nihil plane: sed redeo ad nostram providentiam, prudentiam, ad nostram sapientiam, ob quas aptissimas regnorum, provinciarum, ac rerum publicarum, rectrices, nationes omnes ad unam nos constituerunt, pænes quas, quamdiu civitatum imperium manet, faustè felicissimèque illæ gubernantur: sit hoc tibi unum argumento, quòd Romanum imperium tam longe lateque propa-

Sapientia quæ.

Senes rectores rerum publicarum.

pagatum est, quoniam ejus gubernatores, ut nomine (nam Senatores sunt dicti) ita et re vera senes fuerunt, aut cura, aut ætate Patres appellati, viri (ut scribit Sallustius) quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat; at quum sunt, et moribus, et ætate juvenes, pugnaces, contentiosi, violenti, seditiosuli, ambitiosi, asoti, adulatores, furibundi, stulti, insani, (ut semel finiam) ad res alias omnes inepti, ad ineptias apti, in Senatum introducti, illa respublica, quæ consilio in cælum fuerat sublata, temeritate illorum concidit, et funditus deleta est; *Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum, res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate, sententia, quibus non modo non orbari, sed augeri solet senectus*: Catonis est hæc Ciceroniani sententia, lib. de Senec. cap. 6. cujus similis est sanctissimi pronepotis apud Sallustium in bello Catil. inquietis: *Nolite existimare majores nostros armis rempublicam ex parva magnam fecisse; si ita res esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus, quippe sociorum, atque civium, præterea armorum, atque equorum major nobis copia, quàm illis est: sed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt: domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto, neque libidini obnoxius*. Hactenus ille.

¶ Vides uti regimen reipublicæ jure ad nos pertineat? Unde nobis honor, nobis auctoritas, unde dicta seniorum dicta sapientum dicuntur; et reverentiam nobis exhibendam ob tantam animi potestatem nemo non novit; at qui non faciunt; ipsi causam viderint; faciendum tamen non ignorant, ut senex ille de Atheniensibus questus est: (1)

Reverentia senibus.

*Credebant hoc grande nefas, (ait Juvenalis) et morte piandum,
Si juvenis vetulo non assurrexerat:*

Et in quinto Fastorum Ovidius: (2)

*Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque suo precio ruga senilis erat:*

Nec

(1) Juvenal. Sat. 13. v. 54.

(2) Fast. lib. 5. v. 57.

*Nec nisi post annos patuit tunc curia seros,
Nomen et etatis mite senatus habet:
Verba quis auderet coram sene digna rubore
Dicere? censuram longa senectæ dabat.*

Quid, quòd Deus ipse in Levitico, *cano capiti assurgi jubet, et senilem personam honorari?* quid etiam illud est apud Isaiam, *Loquere grandior natu, decet enim te?* Verum quod inferiorem, quam vocant affectuum turbationum partem, ita multis infectam maculis me habere contemplatus es, nihil in sene prudente aut variationis bonorum morum efficiet, aut minuet dignitatis majestatisque: conferrem ego juniorum partem illi, ubi omnia aut in parvitate aut nimietate sita cerneret, quæ duo vitia virtutem ambire dicuntur: illic ingentes cupiditates, præcipue libido venerea; illic multa ira, multum odium; illic inconstantia et præceptum consilium; illic nulla superiorum temporum memoria; illic spes vanæ, quædam et umbratiles; illic immoderata læticia, temeraria exultatio, profusus risus; illic jactantia, et magna tragœdia commentitiorum honorum; quæ omnia subitico, ne nostra vitia vestris stultitiis videar tegere velle: at vero ut illa viris junioribus moderari datum est, et compescere, sic senioribus; quod quum faciunt, utrique vere senes sunt appellandi; utrique autem juvenes ac pueri, quum non faciunt: honor quoque, reverentia, dignitas, majestas, auctoritas, consultatio, non minus senibus sensu, quàm ætate tribuitur: moribus vero senem puerum sacræ litteræ execrantur, et *sensu menteque pueros ne se faciant*, Apostolus Paulus Corinthios deprecatur.

Quàm turpis, quàm ridicula res est, ut inquit Seneca, elementarius senex, hoc est, bis puer, ut est apud Varronem! Sunt enim hujusmodi gravissima censura notandi, qui positi ut posteris sequentibusque luceant, potius cæcant, atque obtenebrant, ducesque præmissi viarum, per amfractus, per saxeta, per asperrimas ducunt rupes: sed ex hoc diverticulo in viam, quam institueram, ipsi nos reducamus: dictura siquidem de senilis animi nobilitate eram, quod ut compendio utar, sic habet:

Juniorum
vitia,

Bis pueri
senes.

nihil annorum numerus, nec canorum albor, gravitatis auctoritatisve credas afferre viris, nec ex eo senes esse judicandos, sed ex multa tamen in primis rerum quum experientia, tum memoria, ex insita quadam ad bonum honestumque propensione natura, ex morum et victus probabili ratione, ex magnitudine consilii, et rerum quàm rectissima perpensione; quæ qui habent, hi demum vere sapiunt, ut Thebanus ille vates apud inferos; ceteri non magis parvi, quàm grandes natu, velut umbræ volitant: hos ego senes appello, hos assero, non alios, senatum, qualem optavit Roma, et *Gerusiam* Lacedæmoniorum, posse constituere; quod itidem nomen a senectutis vocabulo sumtum est, in qua urbe maximè expedire senescere vulgatum est; ideoque et poëta quidam *senes* Stoicos nominavit, non dierum vel annorum numerositate, sed iis rebus quibus maximè debent senes aliis antecellere, consilio, temperantia, gravitate, moderatione, constantia, et animi propter virtutem immobilitate; quæ omnia fuisse in Stoicis magna atque admirabilia, nulla philosophorum familia inficiatur: at vero cui non notus versiculus ille apud Menandrum: (1)

Πολία χρόνῃ μῆνοσῃ, ἔ φρονήσεος.

Senectus enim, inquit Sapiens, venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata; cani enim sunt sensus hominis et ætas senectutis vita immaculata: et idem eam senectutem coronam dignitatis esse dicit, que in viis justitiæ reperietur. Concionator etiam ille eodem allusit, quum *coronam senum multam peritiam et gloriam illorum*, ait, *esse timorem Dei*: quocirca senectam morum inveniri etiam in pueris, recte Ambrosius affirmat, et innocentiam infantium in senibus.

Hæc quum ita sint, hominem meum ad hunc composui modum, ut fœdissimam in primis sibi putet libidinem, voluptatem minimè persequatur, lenior et melior sit, accedente senectæ, ne, ut senex ille Plautinus objurgatus, audiat: (1)

Vacuum esse istac te ætate his decebat noxiis:

Tom. IV.

C

idem-

(1) Mercator act. V. scen. IV. v. 23.

Geron senex
Gerusia Ci-
vitas Senum

Canicies
temporis ar-
gumentum
non sapien-
tiæ.

Compositio
senectutis.

Ibis. idemque sibi contingere sciat, quod Ibi Ægyptiæ avi ferunt, quæ ejectis in senectute supervacaneis quibusdam humoribus, et a tetra pituita perpurgata, odorem spirat ore qualem aromata contusa; ita et seniculus meus qui renuntiavit libidini, ceterisque intemperantiis, haud dubie suavissimè redolet: felix ætas, quæ adveniens pellit ea, quæ in juventute maxime reprehenduntur: at corporis labores minuat, mentis plurimum augeat; neque enim tardâ senectus (1)

Debilitat vires animi, mutatque vigorem,

ut ait Vergilius: neque quòd iners senectus adjuvat baculo gradum, et sicut est apud Ovidium, (2)

*Membra levat baculis, tardisque senilibus annis,
Doleat, quum tantum animi vigorem adeptus sit:*

perspicias tum ipsum, tum ingentem meam formam et pulchritudinem, quamvis habeam (3)

*Deformem et tetrum ante omnia vultum,
Dissimilemque sui deformem pro cute pellem,
Pendientesque genas, et tales aspice rugas,
Qualès, umbriferos ubi pandit Tabracha saltus,
In vetula scalpit jam mater simia bucca.*

Vidisti, ut credo, et speciosos et robustissimos juvenes; interrogo te, num illorum aut vires aut pulchritudinem meis æquares, nedum præferres? Nam quo sum ego corpore præstantior, eo hæc meæ vires, et pulchritudo, illorum validis nervis et nitida cute antestant: verum tu, aliique tui similes juvenes, quàm essetis, dii immortales, felices, si cum isto ætatis robore, cum vi et valentia corporis, hunc quoque animi vigorem, hoc robur, hanc sapientiam adjungeretis; quod vobis ne existimetis factu esse difficile, nihil enim facilius quàm studiis disciplinarum

(1) Virgil. Æneid. lib. 9. v. 3.

(2) Metamorph. lib. 8. Jupit. et Merc. v. 44.

(3) Juven. Sat. 10. v. 191.

rum rectis, et bene compositis moribus, huc pervenire, vitia enim atque virtutes, et in juvenia, et in senectute, morum omnia sunt, non ætatum.

Vitia et virtutes non sunt ætatum

Quid enim gravius, quid constantius Catone posteriore juvene? quid prudentius, quid senilius Scipione Æmyliano etiam ante consulatum quem juvenis admodum gessit? Quid crudelius Mario et Sylla senibus? quid fœdus obsceniusque libidine illa Tiberii Cæsaris vetuli capri? quid ineptius atque stultius Claudio Cæsare etiam sexagenario, in quem jactum est illud a Græculo, καὶ σὺ γέρον ἔϊ, καὶ μαρὸς? ut dubium non sit, nullam ætatem mores adducere, sed ab educatione, assuefactione, ingenio accipere: hæc habui de mei descriptione, quæ tecum dissererem; cetera si nosse plenius aves, et Ovidii sequi præceptum, qui sic monet, (1)

Et tu senex et stultus es.

*Ventura memores jam nunc estote senectæ,
Sic nullum vobis tempus abibit iners,*

Ciceronis Catonem majorem consulo lectum relegas, in quo non solum senectutis moderandæ cedro digna consilia accipies, verum etiam gravissimum censorium senem illum, quem sui temporis homines Porcium Priscum vocarunt, de constituenda republica quam ipse optimis artibus moderatus est, et qua maxime re, qua arte, quasi clavo quodam, salva felixque gubernetur, de animorum immortalitate, ex Platónico Socrate, de fugienda corporis titillatione, quam voluptatem vocant, cujus nunquam ipse specie atque dulcedine est tactus, de agricultura, simplici illa et prima arte, quam hominum genus bona parens natura docuit, de fortitudine, de viribus et valetudine bona, quas ipse ad postremam usque ætatem ingenti continentia vitæ, continuis exercitamentis, integras perduxit, de contemnenda morte, cujus nunquam ipse metu est ab aliquo opere revocatus, majestate sua disputantem, cum antiquitatis multa memoria, quæ in ipso quanta fuerit (origines ejus testantur) videbis; idque ad eum modum, ut Catonis ne ea sint propter sermonis gravitatem, sententiarum

Argumentum operis de senectute

Catonis Senis laus.

C 2

pon-

(1) Art. Aman. lib. 3. v. 59.

pondus, et tam apte servatum decorum, an Ciceronis propter suavem dulcemque eloquentiam, politioem, atque uberioem orationis formam, nequeas dijudicare: hæc cum dixisset, discessit, ego admiratione, qua me ipsius affecerat sermo, solutus sum.

ANIMÆ SENIS FINIS.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI

IN SUUM SAPIENTEM PRÆLECTIO,
quam Procemium fore opusculi jubet.

Cuncti qui de corruptis hominum moribus scribunt, quæ illos quoque modo notant, eo fine illorum habent rationem, ut ab iis, qui sunt, emendentur, vitentur a junioribus; sanctus est hic zelus virtutis, et severis hominibus concessus in primis; hinc lingua philosophis olim libera, et ipsi habiti graviores atque severi, quasi verum sequentes: quare mihi de humana vita multo plus benè meriti Satyrici videntur, quàm Panegyrici; ut illi apud Catonem Ciceronianum inimici quàm ii amici qui dulces videantur: illi enim sæpe vera dicunt, hi nunquam: ad hoc, qui hominum vitia quovis modo subtrahunt, nihil ad se de humano genere putant: ipsi forsitan rectius, cum perspiciant nihilum valere veritatem, voluptatem posse plurimum, animum esse nullum. Si quis sapientiam quærat vel mentem, inveniatur potius sensus torporem, et partus intellectus abortivos atque monstrosos; nihilo secius tamen insurgendum erat validius in has labes, ne serperent fortiores; cumque a belluino victu deterriti mortales, essent ingenio studentes, relicto sensu, aditus pateret ad eam (qua nihil est in Deo pulchrius) sapientiam, quæ vel soli comparata invenitur prior: (1) *Sapientia prima est (inquit Horatius) stultitia caruisse.*

Quid

(1) Epist. lib. 1. epist. I. v. 41.

Quid putamus fuerit in causa ut Athenis tot sapientes, ut fuerint tot Romæ, ut tot in Christiana religione, ut hac tempestate tam pauci vel nullus? nempe quòd licebat in liberis civitatibus liberas esse linguas quæ prava quasi discerperent ac dilaniarent; licebat in exordio crescentis Ecclesiæ sedulo peccantes increpare, et quos timor Dei non reddebat meliores, verecundia mundi (quantulumcunque id esset) retrahebat: atqui habet nostra ætas palpones et gnatonos egregios, qui blandis adulationibus facinora fovant: quis hæc non increpat? sed quis non facit? idque adeo, ut sint primi qui deberent Lucilii genuinum experiri; accedit huc, quòd qui magistri veritatis et sapientiæ, erant aliis tamquam exemplar quoddam ac lucerna propositi, mendacia, nugas, mera deliramenta sequuti, immensas tenebras induxerunt; quo factum est, ut umbras fore vera corpora crediderint, et si quis se solidum vidisse corpus asseruerit, habitus fuerit derisui. Quamobrem nunc eos ludentes attingamus, experiamurque in utram id referent partem; nam si et boni consuluerint, et vitam dementis reddiderint tersiorem, monitore me non indigebunt; nec talem me ipse haud requisitus offeram; sin parum hisce pauculis nos senserimus profecisse, aperiemus omnem eorum vitam, faciemus omnibus omnium vanitates longiore sermone perquam notas, quando etiamnum ab hoc munere minimè constitui desistere quoad vel vicero, vel oppetiero. Vale.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

VALENTINI,

VIRI PHILOSOPHI, URBANUS PARITER AC GRAVIS
Dialogus, qui *Sapiens* inscribitur: in quo Sapientem per
omnes disciplinas disquirens, professorum earum
mores notat: denique veram sapientiam brevi
sermone depingit.

NICOLAUS BERALDUS, GASPAR LAX, VIVES.

BERAL. **A**Udivi sæpius Ludovicum Vivem Hispanum, de vi-
ro sapiente (ut est rei philosophicæ et summus
quidem admirator) graviter multa disserentem; adjicereque,
malle se vel medio quodam modo fieri sapientem, quam mor-
taliū omnium longe ditissimum: felix homo, mea senten-
tia, si persistit in eo appetitu, et dignus qui tum σοφὸς cūm
πλεῖστος fiat. Sed eccum huc ad nos venientem; illum ego jam
interrogabo, inveneritne sapientem: Ludovici mi, salve.

VIVES. Et tu Beralde, sis salvus.

BERAL. Accepi, te sapientem invenisse, eundem consumma-
tissimum.

VIVES. Quàm vel tu mecum vis tantisper joculari, vel tibi si
quis dixit, mihi illudere, non secus ac si gelidos ignes, aut
belluas versas in homines asseruisset. Rari sunt, mi Beralde,
rari, vel nulli, quod magis credo.

BERAL. Atqui facile fuit in tanto bonarum litterarum gymna-
sio complures invenire, si quæsiisses; nam et sunt cyclicis dis-
ciplinis absoluti, in quibus sophiæ thesaurus est abstrusus.

VIVES. Si tu eum mihi digito indicares qui Cyclopædiam ab-
solvisset, non diffiterer inventurum me virum, qualem sem-
per optavi.

BERAL. Vis, quando sumus feriati, per hæc ipsa gymnasia dis-
quirentes tuum hominem vestigemus; et tertius nobis Gaspar
Lax aderit, quem ausim (nisi vereor ne me amore moveri
di-

dicas) ad hanc sapientiam accedere plurimum affirmare: quis
enim eo (ut cetera taceam) æquius fert casus humanos, quem
video eodem vultu in prosperis et adversis rebus perstare? Ve-
rum adventantem salutemus.

BERAL. et *VIVES.* Salve noster Gaspar.

GASPAR. Et vos avete: quid tractatis, et quo tenditis?

BERAL. Scis quantopere hic Vives desideret sapientem, quem
se habiturum arbitratur, si vir extet qui disciplinarum cir-
culum quàm optimè calleat; eum nos investigaturi vadimus,
remque nobis gratissimam (spero) feceris, si te nostri ducem
exhibueris, utpote vir quovis honore dignus.

LAX. Vos minimè ducam, sed comitabor: quare verbis relic-
tis, eamus plætet: primum hunc Grammaticum interroge-
mus, nam non abs re docti viri plerique nomine hoc con-
tenti vixere.

VIVES. Ne a nobis quicquam hinc quæras, quin potius quem-
libet examinato.

LAX. Salvus sis, vir bone, gravis, et omniscie, et dignus qui
a ceteris omnibus colare. *GRAM.* Χαίρε ὦ αὐθραπε.

VIVES. Quid, mi Beralde, dixit? nam et magnis titulis et in-
vidiosis est eum noster Gaspar aggressus, novit enim homi-
num ingenium facile captantium præfationes sublimes.

BERAL. Atqui ille, *Ave homo*, respondit.

VIVES. Vide qua Stoica severitate?

GASPAR. De rebus tuis litterariis, inquam, paullulum coram
nobis precamur agas, nobilis magister, si vacat, et si vis.

GRAM. Vacat certe: ceterum petitis rem arduam, quam etiam
non recusabo, pro mea mitti natura, facilis; non enim sum
ut vos philosophi inexorabiles. Dic puer, in quo anni mense
Vergilius mortuus est? *PUER.* In Septembri, mi magister.

GRAM. Ubi terrarum? *PUER.* Brundusii.

GRAM. Quoto Septembris die? *PUER.* Nono calendis.

GRAM. Tu me (nugator) coram his bonis viris dedecorum red-
dis? ferulam tu mihi affer, tunicam sustine, extende palmam
pessime: tu Nono calendis, pro decimo, et coram me di-
cis? Responde tu mihi sequens: audite (obsecro) viri, scitu-
lum

- lum adolescentulum: Sallustius in principio Catilinæ conjurationis, *Omneis homines*, an *Omnes homines*, scripto reliquit?
- PUER. Sunt in hac sententia cuncti ut *Omneis* dixerit; ego vero *Omnes* forte scripsisse censeo, ac *Omneis* contra morem chalcographorum, per *ei*, non *i* solum, exarandum esse.
- GRAM. ; Quis vocabatur Remi frater, et quàm erat barbatus?
- PUER. Alii dicunt, mi magister, cum vocatum Romulum, alii Romum, inde Roma, sed blandimenti gratia, Romulum diminutivè postea appellatum; in bello vero, barbam nullam habebat; in toga, prolixam habebat, sic enim pingitur in Titii Livii Venetiis impressis.
- GRAM. ; Quomodo surrexit Alexander cum primum in terram Asiam cecidit? PUER. Manibus innixus, et elato capite.
- GASPAR. ; Quid hoc litteratore stultius? hîc, Vives, sapientiam ne expecta: dispereas nebulo, qui sic tenellos dedoceas: verum hunc Poëtam videamus; fuit namque, ut tradunt Horatius et Strabo, poësis prima olim sapientia.
- POËTA. Venus et Mars, ex Diomede, bello Trojano graviter sauci fuere adjuvante Pallade, qui postea in adulterio a claudo Vulcano comprehensi, colligati fuere. Venus cum Proserpina ad Jovis judicium venere, utri Adonis concederetur; quibus data judex Calliope, dimidiatum annum censuit frui illo Venerem, dimidiatum Proserpinam. Lycaon cum Jovis potentiam vult experiri, in lupum convertitur; Arcade postea inter stellas translato, et vocato Arctophylace. Hæc est Poëtarum sacra theologia, ob quam recte nos Ennius sanctos apud Ciceronem appellavit.
- GASPAR. ; Quid hoc poëta vanius? ; et videtis quàm sedulo palpebras agitet? animi mobilitate (credo) laborat: vocemus eum poëtam, non poëtam: atque utinam hæc fabularum studia minuerentur, ne tam valida pestis tantum (ut videtis) serperet; ubi nihil invenies veri, omnia prophana, humana divinis commixta. ; Quoniam ad id, ob quod poësis hominibus data est, eam convertimus, ad Deum scilicet, Dei-que opera efferenda, ad illa quo plus homines alliciantur quàm dulcissimè canenda, quomodo hominem quem queris,
- in-

invenies? Valeat igitur hic dæmonis consanguineus, qui loqui nescit, ni mentiatur: nostros jam dialecticos audiamus, nam quòd vera discernant a falsis, in eis hominem σοφόν suspicor invenies.

DIALECT. Sint asini duo, homines duo, et Angeli tres; ex unius asini medietate, cum alterius asini mediate, tertius asinus fiat; duo Angeli cum homine uno, binarium unum illorum asinorum possideant, utpote primum cum tertio copulativim; et copulative alteri Angeli duo cum altero homine, secundum binarium asinorum: tunc tibi copulativam probabo possibilem, et impossibilem de forma, et de forma acceptionis terminorum.

GASPAR. Hui, ; quis nisi Mathematicus vel Chaldæus ea scivisset, ut sunt coacervata? quare ego mihi logica videor scripsisse, hi tractant divinationem: ò stolidi capita, et eo magis quòd cum eam rem tamquam futilem prorsus omnes verbis aspernentur, omnes eam complectuntur: vidi eo tempore meo disserentes fere cunctos de vera dialectica, enuntiationibus perquam brevibus utentes, et quibus facile respondentem, ni esset impense doctus, capiebant; nunc bonam logicam oblitteratam, haud quaquam intelligibiles enuntiationes in exercitamentis volitare, artem divinandi quæri; idcirco illius ævi laureatos, in artes magistros appello, hujus vero, magistros inertes: at conferamus nos, si lubet, ad phisicos. Salvete rerum naturæ indagatores; sciscitatos velim vos (si minus displicet) quonam modo et adipiscatur et augeatur sapientia.

PHYS. Est qui sapientiam acquiri dicat per additamenta graduum ad gradus, præcedentibus subsistentibus semper; est qui dicat in quovis puncto acquisitionis novam generari, destrui priores omnes; est qui dicat per minorem cum contrario admixtionem; est qui per majorem radicationem in subjecto.

VIVES. Gaudeo summoperè, et credo invenimus tum omniscium hominem, tum sapientem: verum hæc, doctissime Philosophæ, exemplis, obsecro, expone.

PHILOS. Cum de calore vel albedine declaravero, brevi de sa-

piencia intelliges: accipiamus igitur pedalem materiam, quam volo divisam in partes proportionales, proportione multiplici sesquitertia; prima pars proportionalis sit aliquantum calida vel alba; secunda in octuplo vel albior, vel calidior; tertia in millecuplo; quarta in sesquialtero; et aliæ omnes in proportione ad primam super quadripartienti: hîc jam considerare operæpretium est quàm calida sit ea tota materia.

VIVES. Monstra hæc sunt, non disciplinæ, nec sapientia; et o dementiæ jam, sapientiæ philosophia mater venit? sperabam me ab hoc philosophastro aliquid sophiæ, reportaturum; sed nihil, ut video, nisi calorem ingentem, si permansero, et æstum; ad hæc, si vertit manum, gelu rigidissimum; quis sapientiam et bonas scientias a tanto calore, a tanto albore, a tantis partibus proportionabilibus, petet? sed qui fratrem habeo subnigrum, de albore saltem, ne discedam hinc vacuus, sciscitabor: heus tu Philosophæ, quonam modo albedo inducitur?

PHILOS. Ab agente per additionem gradus ad gradum.

VIVES. A quo porro agente?

PHILOS. Ab agente naturali, quid scio? ab *a*, vel *b*, voca ut volueris.

VIVES. *A, a, a*, abecedarium me docet ac si ego nescirem; pro albedine dat mihi litteras; abeat in malam rem, et his gerris suos congerrones participes faciat, non me: ah! verum id esse nunc experior quod amicis dictitare solebam: Parisienseis Philosophos omnem philosophiam inter dentes, labra, et linguam habere, in mente vero nullam.

GASPAR. Est jam illic Rhetoristes quidam, qui quartum Rhetoricorum ad Herennium, et affectuum artem tradit; eum nos oratorem conveniamus.

VIVES. Non est qualem Cicero et Quintilianus oratorem volunt; qui si esset, mirabili quadam ornaretur sapientia; ipsam vero ejus provinciam ego quandoque, ut scitis, assumeram, profitebarque me daturum illis brevi artem omnium affectuum movendorum, quam opinabar me perbelle habere; sed, Deus bone, quàm eram falsus? agebam me illos docturum,

rum, uti sibi gratiam et benevolentiam compararent, quam ab illis nequivi unquam adipisci, meorum enim laborum cum mercedem postularem, ac si telo illos cæcidissem omnes fugerunt: sed quid obstat ne hunc audiamus?

RHETOR. Docebam in quodam gymnasio adolescentes plerosque auditorio publico hanc artem; erat et mecum idiota quidam nugator, et prorsus inscius; persuasit illis mox se esse exactissimum Rhetorem; ego vero me aliquantulum doctum esse nunquam potui persuadere, itaque nihil illic lucrifeci; vos vero ubi videtis doctrinam meam, bonis stipendiis me donate.

GASPAR. Ha, ha, adolescentibus, quos vocat dementes, amenior se esse doctum non potuit persuadere, in quo minimæ quæque apparentiæ sufficiunt, et persuadebit uti sibi pecunias hi pauperuli dent? a divitibus et opulentis hominibus quanto labore vix unus accipit, qui certe abundant, et nonnunquam manticularium agere oportet, et ab istis egenis extorquebit? Nam divites et numatos adolescentes (videte quàm bene monet) non potuit in sua lectione detinere: sciat prius igitur affectus ciere, postea doceat: propterea in isto qui se non noscit, desiderandam esse sapientiam, minus censeo. Verum illic astrorum est peritus quidam, quem alloquamur: salve prognosticator veracissime.

ASTROL. Veracior certe illis, quas fingunt hi poëtæ, Sibyllis et responsis deorum; et vobis sit Capricornus, cum Jove in ascendente, princeps viarum: quid vultis?

GASPAR. In cælis tuis, vir scientissime, invenistin sapientiam? habemus hîc quendam Vivem, qui mirabile dictu est cum tam parum de illa gustarit, quàm ejus dulcore teneatur, atque ita ut exsatiari nulla possit.

ASTROL. Mercurium plures antiqui sapientem tradiderunt; Solem itidem, quem ideo animum mentemque mundi appellarunt; sed illa lego, non speculabor: at dabo vobis signum in quo facillime nancisci sapientiam queatis.

VIVES. O beatum qui id scias! non injuria vos felices Vergilius et Ovidius appellarunt.

ASTROL. Cùm Luna et caput draconis Jovi conjungitur, quid-

libet petas licet a Deo, consequere, petas divitias, petas sapientiam, petas celebres nuptias.

GASPAR. Si dedecorum mihi non esset, quàm te nunc domitux cæderem multis! hæc populo mendacia audes venditare, ut vel teruncium habeas? cur illa hora non precare fieri locupletior ne toties mentiri te cogat egestas?

VIVES. Mathematicos visamus (si tibi est cordi, Gaspar, mi magister) eos certe qui Geometriam, qui Arithmeticem, qui Musicen, qui Astronomiam, qui Perspectivam callent.

GASPAR. Mathematici (mi fili) pro nemine Parisiis verificantur.

VIVES. In tanto studio tam bonæ scientiæ non sunt cognitæ, in quibus cum primis versari deberent?

GASPAR. Deberent quidem, sed nec omnia faciunt quæ debent; tenentur illas Universitatis præcepto audire, sed novus abusus antiquum usum expulit, qui nisi antiquetur, non video cur jure docti viri Parisienses nominari possint; satis tamen legi facere putant, ubi de punctis, lineis, superficiebus cavillatorie disputant, sintne hæc divisibilia an indivisibilia? sed de jurisconsultis quid?

BERAL. Sunt olim sane sapientes et vocati et habiti, nunc vero versutissimi et fraudulentissimi, quorum calliditate nulla lex non est corrupta: quotæ cujusque legis (Deus bone) integer extat sensus?

VIVES. Atqui Medicos accepi priscis temporibus judicatos sapientes.

GASPAR. Nunc vero illos nihilo a carnifice differre ajunt, quibus impune occidere, et stipem cum necaverint recipere, et licere, et oportere: sed ne spera cum illis posse disserere, qui tot negotiis impliciti, vix sibi unquam sufficiunt: reliquum est ut gravem quendam Theologum in clivo illo, Eremitæ, id est solitarii, vitam ducentem adeamus: custos sit tui omnipotens, gravis pater, et cum in tentationem fueris adductus, sit ipse tecum ne decidas.

THEOL. Et pedes vestros, filii mei, deducat Angelus bonus Domini per vias quæ placent Altissimo; Dominus mihi vobiscum

cum videtur venire, tribus in nomine illius, sicut spero, congregatis.

GASPAR. Quid de sapientia sentias, obtestamur bone pater nobis aperias, ut gratia Paraclæti replearis.

THEOL. Nonne recte ego vos dixi in nomine Domini congregatos, qui sapientiam, id est, Dei filium quæritis? de qua, siquidem nox appetit, hæc breviter sentio: est ea, si quis quoquam modo illam attingere potest, omni thesauro, omnibus aliis bonis præstantior, quam non emit crumena nummis referta, nec vendit mollis et blanda illa eloquentia, sed timor Domini, et mens sibi recti conscia: *Initium sapientiæ* (inquiunt sapientissimi pater et filius) *est timor Domini*: ceterum magnum dat illi incrementum Dei et hominum vera caritas, quæ illam fovet in perfectionem; quam certe tum adipiscimur, cum veram sapientiam Dei filium intuemur et cognoscimus ut cogniti sumus; non est itaque in cura et clemente rei familiaris, ut plerique credunt, sita, sed in animorum prima compositione; ideoque et Apollo cum interrogaretur quis esset sapiens? non dives respondit, sed Socrates, cui erat exigua supellex, animus vero ingens, et ornatus; quin potius cum in lucri et ceterarum rerum cupiditates incidimus, curis cordis edacibus et furis agitati, dementes reddimur ac furiosi; anima enim quiescens, (ait Aristoteles) id est affectuum turbinibus vacans, non corpus sedens, sapientior fit atque prudentior; usque adeo ut nullam circa res mundi credam esse sapientiam, sed eam mundi sapientiam quæ corrumpitur, quam perdet Deus cum ejus sapientibus, quæque ad Deum stultitia est, animos vero, in quibus et circa quos versatur sapientia, res quasdam ultra mundanas cum illo Socrate appello.

VIVES. Affectus autem, mi pater, quàm habes moderatos?

THEOL. Deum in primis hic secedens a gentium frequentia, etiam inglorius, timeo; quem qui timet, quomodo mala potes imaginari faciet? nulli irascor, nulli invideo, opes non quæro cui olus et aqua sufficit, et cum parcissimo utar cibo, in luxuriam non exardesco, non inaniter lætor quem Dei timor complexus

est,

est, gaudeo vero in Dei timore, neminem odio prosequor qui Deum et homines omnes diligo, in quo augetur mihi sapientia: hanc idcirco vitam agens, intinxisse in sapientia intellectum mihi videor, habereque quasi embamma quoddam, nam furor est perfectam optare quam nulli mortalium datam contigisse credo. Hæc habui quæ de sapientia brevibus nunc dicerem, disserturus plura si me sæpius videritis: vos autem interim moneo ut dimissis mundi reculis momentaneis, et voce quadam instabilissimæ plebeculæ, hanc sequi toto animo conemini; quod si facere studueritis, hominibus Deoque optimo maximo eritis perquam cari: Valete.

JOANNES LUDOVICUS VIVES

VALENTINUS

D. MARLÆ CAMBRIÆ, PRINCIPI, HENRICI OCTAVI
Angliæ Regis filiæ,

S. P.

Solitum est Principibus adhiberi Satellitium, quod pro custodia corporis ac vitæ illorum perpetuo excubet, recepto magis more, quam sapienti aut probo: quum Principes eo ipso meritum suum testentur, qui fere ex conscientia nascitur: nec ulla certior custodia sit, aut fidelior, quam innocentia, et populorum amor, qui non armis aut terrore extorquetur: amore, fide, diligentia, cura communium commodorum elicitur. Nec immerito laudata est Agasiclis Lacedæmonum Regis sapientissima vox, posse quemvis sine Satellitio regnare, qui sic subditis imperaret, ut filiis pater. Sed si consuetudo tot annorum usu comprobata, tolli tam subito non potest, ne custodibus corporis istius careas, parentes Tui curabunt: ego vero a matre Tua, inclyta et sanctissima femina rogatus, Satellitium circumdabo animo Tuo: quod Te securiorem ac tutiorem præstabit, quam hastati aut sagittarii quicunque. Nam hæc corporea custodia,

cor-

corrupta nonnunquam vel precio, vel metu, vel deliciis, Imperatorem suum aut deseruit, ut Neronem, aut prodidit, ut Galbam, aut etiam occidit, ut Pertinacem; hi abs Te semel bona fide asciti, pectora sua pro salute Tua adversus impetus, assaultusque, et insidias omnes, objicient; est enim majus animo periculum a viribus, et astu vitiorum, quam corpori ab externis aut intimis simultatibus, quanto cuique carior esse debet animus quam corpus, et vitiorum callidiores insidiæ, atque occultiores, et eorum tyrannis gravior, et interitus animi acerbior, ac terribior.

Accipies igitur Satellites ducentos, aut paullo plures, quos sic tibi facies familiares, ut nec noctu, nec interdiu, nec dormi, nec in publico, sinas a tutela Tui vel latum unguem discedere, ne his, aut certe similibus, destituta, prædæ sis diabolo, qui, ut Petrus ait: *Tamquam leo rugiens circuit, querens quem devoret*: Symbola appellavi, quasi notas quasdam, cujusmodi mos vetus erat Principibus se insignire, quod et fit hodie; sed latius res patuit, ad vulgum etiam progressa, unde tamquam ex stultitiæ fonte manarunt illa stolidæ cujusdam arrogantiæ, quæ hoc tempore Principes usurpant, indigna non modo Christianis, sed etiam Gentilibus, quibus illi omnibus minantur, omnes terrent, et sibi ipsi plus tribuunt, quam homini est concessum, majoremque in potentia sua fiduciam collocant, quam in Deo: intelligi potest, de quibus loquar, nec mihi explicatius quicquam dicere necesse est: ejusdem ferociæ sunt insignia leonum, ursorum, pardorum, luporum, serpentum, draconum, molossorum, aquilarum, vulturum, gladio-rum, ignium, et hujusmodi; tamquam pulchrum, et magnificentum, et vere Principe dignum sit, talis esse ingenii qualis sunt illa, atrocis, rapacis, sævi, cruentique; quanto præstaret, aliquid pro insignibus ostendere, quod humanitate, comitate, lenitate, dulcedine alliceret, atque invitaret, aut gravitatis et præstantiæ magnitudine, ac majestate detineret? Porro symbolorum hæc est lex, ut sententiam absolvant verbis ad summum quinque, et quo breviora sunt, hoc venustatis plus habeant: quale est illud Augusti: *Matura*: obscuritatis aliquid, et alle-

go-

goriæ, symbolum condit, ut paullum a naturali sensu deflectatur, modo ne tanta sit, quanta Pythagoras est usus ut ab intelligentia dictorum suorum arceret imperitos, qui symbola sua longissime verbis abduxit illinc, quo sensus spectabat, adeo ut Tyrrenos induxerit, illis citra omnem allegoriam parêre, quum eam non assequerentur; idcirco et expositiunculas addidi, breves quidem pro rei argumento, sed in hoc tantum, ne Te in multis ambiguitas vel remoraretur, vel falleret: mihi pro hoc satellitio nolo stipendium aliud numerari, quàm ut lex Christi, unde sunt nobis hæc desumpta, utque inoluimus, in tota vita atque actionibus Tuis regnet, magno exemplo privatarum, si talis sis Princeps ipsa, quod facile consequeris matris Tuæ imitatione; homini enim Christiano, quod potest amplius præmium, aut præstabilius, in hac vita contingere, aut ad futuram fructuosius, quàm videre rectas suas admonitiones non irritas cecidisse, et operâ suâ auctam aliquorum pietatem? Impartiat Tibi Dominus Jesus spiritum suum, ut et felicissima quam diutissime vivas, et fortunis omnibus probitatem anteponas.

Brugis, ad calendas Quintiles, 1524.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

SATELLITIA CCXIII.

PRIMUM SATELLITIUM.

1 *Scopus vite Christus.*

Sit hoc primum Symbolum, tamquam felix auspiciam ceterorum, quo monemur omnia referenda in Christum, et in eum dirigenda ut jaculantium sagittas in scopum.

2 *Pax Christi.*

Hæc est, quæ in totum hominem placidissimam concordiam et quietem intuebitur, ne quid in ipso tumultuetur, ne
cum

cum alio intus aut foris pugnet, vel dissentiat.

3 *Murus æneus sana conscientia.*

Impenetrabilis est enim, et qui maximè hominem tutatur: ex Horatio: (†)

←—*Hic murus æbeneus esto,
Nihil conscire sibi, nulla pallescere culpa.*

4 *Felicitas unica, intus nihil strepere.*

Fons humanæ felicitatis et miseræ in animo est; qui si tranquillus sit, suavissimè agimus, sin commoveatur, insuavissimè; ut si fons turbetur, cœnosa est aqua, si quiescat, liquida, et gustui grata.

5 *Bonis omnia in bonum.*

Homo probus, et sapiens, quæcunque, sive bona contingant, sive mala, ad suam utilitatem vertit dexteritate sapientiæ; Deus etiam omnia, quæ dat caris sibi, convertit in salutis instrumentum sicut Paulus inquit: *Diligentibus Deum omnia redeunt in bona.*

6 *Suspicionibus, securis.*

Non indulgendum suspicionibus non leviter avertendæ, sed securibus sunt rescindendæ.

7 *Virtus instar omnium.*

Nulla enim re ad bene vivendum indiget qui eam habet: quod Stoici senserunt, et id sentire Christianos magis decet.

8 *Virtus citra fortunam valida.*

Et hoc ex Stoicis, et Christianis.

9 *Tibicen fortunæ virtus.*

Infirma sunt sine virtute quæcunque vel exterius contingunt,
Tom. IV. E vel

(†) Epist. lib. 1. Epist. I. v. 66.

vel corpori, ideo sustentaculum fortunæ est virtus, hoc est enim in ædificiis tibicen.

10 *Sanus intus et exterius.*

Juvenalis ex Socrate: (1)

Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.

11 *Antidotum vitæ, patientia.*

Horatius: (2)

Cujus dolori remedium est patientia:

hoc est verum antidotum contra tot venena vitæ hujus, quibus undique intrinsecus et extrinsecus invadimur, ac urgemur.

12 *Sal vitæ, amicitia.*

Insulsa est enim vita sine amicitia, et maxima quæque oblectamenta insuavia, ut Cicero in Lælio declarat.

13 *Oculus vitæ, sapientia.*

Sapientia est rerum humanarum et divinarum notitia; qua sublata, cæca esset vita nostra, et in densissimis tenebris destituta.

14 *In virtute oculi et manus.*

Inspicienda enim virtus, et agenda.

15 *Multi nimium, nemo satis.*

Habent, intellige: ex Seneca: *Fortuna multis nimium dedit, nemini satis*: nam multi quum plus quàm sufficit, aut oportet, possideant, nondum tamen videntur sibi habere satis, quòd ad cupiditatem vivunt, quæ insatiabilis est.

16 *Satis hoc contento.*

Nihil tam exiguum, quod non sufficiat ei, qui amplius non requirit.

17 Sa-

(1) Sat. 10. v. 356.

(2) Oda. 24. v. 19.

17 *Satis relicturo.*

Quid juvat tam multa congerere, aut tam anxie custodire, quum, velimus nolimus, relinquenda sint?

18 *Intus quàm exterius formosior.*

Vera pulchritudo est in animo; idcirco Stoici solum sapientem vocabant pulchrum: Cicero tertio de Finibus: et Socrates apud Platonem in Alcibiade de Votis, optabat ut intus pulcher efficeretur.

19 *Intus quàm exterius ornatio.*

Ornamenta interiora sunt virtutes, eruditio, acumen; quæ excellentiora sunt vestimentis, aut formâ corporis.

20 *Harmonia interna.*

Ut nihil ab alio dissonet, sed sit concentus in animo dulcissimus; hanc veram esse Musicam dicebat Socrates.

21 *Velle, instar omnium.*

Apud Deum sufficit velle; et gentilium sunt illa celebrata: *Si desunt vires, tamen est laudanda voluntas*: et, Voluntas pro facultate.

22 *Natura quis pauper?*

Nulli potest deesse quo se sustentet; sic enim providit Natura, ut facile suppetat animantibus alimonia, modo ne quis putet se non posse vivere sine pane siligineo, et pisciculis ex mari Ægeo advectis, aut aviculis multo parandis: panis, et aqua, vitæ sufficit, interim solum olus.

23 *Opinione quis dives?*

Nemo est humanis opinionibus dives, quæ in immensum nostros usus auxerunt, ut tam habeat multa cui non aliquid desse videatur; quo fit ut dives non sit quum aliquid requirit amplius: ita si errorem communem recipimus, nec sua opinione quisquam erit dives, nec aliena.

E 2

24 Nec

24 *Nec malum, nec frontem.*

Nec mali quid feceris, reveritus Deum; nec quod malum esse existimetur, reveritus homines, tum ne alios offendas, aut exemplo sis ad malum.

25 *Sapiens solus longævus.*

Vita enim stultorum non est vita, ea demum est vita, quæ per sapientiam agitur; ita præferendus est dies unus sapientis longissimæ æternitati stultorum: ex Cicerone quinto Tusculanarum quæstionum.

26 *Nocere promptum, ut pessimum.*27 *Prodesse abstrusum, ut optimum.*

Nihil est tam imbecillum, aut tenue, quod non possit aliquâ nocere, sed prodesse difficillimum; non est hoc cujusvis: et nocere pessimum, nempe diabolicum; prodesse verò, utpote divinum, præstantissimum; idcirco nemo explicare debet vires suas nocendo, quum aranei morsus possit hominem necare, sed juvando; quod rarum est, et pulcherrimum, divinæque naturæ cognatum.

28 *Pauper egens, non carens.*

Non est pauper, qui caret, sed qui eget, qui desiderat: Socrates forum ingressus, *Quàm multis ego, inquit, non egeo?*

29 *Alienis lacrimis cautior.*30 *Alieno risu lætior.*

Non est gaudendum alienis malis, sed danda opera ut illis fiamus cautiores ne in illorum causam incidamus; nec invidendum alienæ lætitiæ, sed gaudendum tamquam si tibi contigisset.

31 *Cor canum in juvenili corpore.*

Ut sit prudentia senilis in juvenia, cor enim sedes est ingenii, et mentis, unde cordati homines.

32 *Pedica, nimia fiducia.*

Decipitur facile quisquis nimium fidit aliis, sed potissimum qui sibi ipse, ne virtuti quidem suæ, unde facile nascitur arrogantia, et vanitas, quæ sæpissimè virtutibus succrescit.

33 *Columbi oculus in serpentino corde.*

Hoc ex Evangelio: *Estote prudentes ut serpentes, et simplices ut columbæ*: decet enim nos corde sapere, sed oculo in iudicando uti minime maligno, aut vafro.

34 *Oculus in sceptro.*

Nulla virtus magis decet principem, quàm prudentia; quid enim aliud est potentia in stulto quàm gladius in manu furentis? Istud sumtum ex Hieroglyphicis Ægyptiorum.

35 *In virtute delphinus.*

Narrant nullum animalium celerius esse delphino: admone-mur non debere nos differre bene agere, sed uti in eo aggrediendo magna celeritate.

36 *In ultione Callipides.*

Suetonius in Tyberio refert, hunc, seu hominem, seu animans aliud, quum diem totum se commoverit, non promovere tamen cubitum unum, ut tarditas illa in proverbium venerit: significat symbolum lentissimos debere nos esse in ulciscendo.

37 *Temporis minister.*

Allusio ad vetus oraculum: *Tempori pare*: de quo Plato, et Cicero, et Seneca; accommodare se debet unusquisque tempori, nec speret coacturum se tempora ut suis rebus serviant, ipse potius præsentis rerum statui subserviat.

38 *Tempori, parcus dispensator.*

Et istud vetus: *Tempori parce*: nihil carius debet nobis esse, quippe nihil est aliud tempus quàm vita quam unusquisque tantum

tum se amare profitetur, quum nullius rei magis sit prodigus quàm temporis: Seneca de brevitate vitæ; eodem spectat:

39 *Magno vendendum tempus.*

40 *Gloria Crocodilus.*

Animal est in Nilo, amne Ægypti, cujus hanc ferunt naturam, ut persequentes fugiat, fugientes persequatur; sic gloria quærentes fugit, negligentes sequitur: Sallustius de Catone: Quo minus gloriam petebat, hoc eam magis assequebatur.

41 *Hemerobia vanagloria.*

Aristoteles scribit ad Hypanim Scythiæ fluvium nasci bestiolas, quæ ad perendinum diem nunquam perveniant; quæ hac de causa dicuntur ἡμεριδῆες et ἡμερόβια, quasi diariæ: sic inanis gloria cito extinguitur, nec diuturna esse potest.

42 *Disce vivere.* 43 *Disce mori.*

Utrumque ex æquo discendum, et recte vivere, et recte mori; nemo recte moritur, qui non recte vixerit; hoc est totius vitæ exercitium, ut bene vivamus, nec iniquo moriamur animo.

44 *Vive ut post vivas.*

Sic est hîc vivendum ut ad alteram perveniamus meliorem, atque adeo veram vitam, nam præsens vita, quid aliud est quàm peregrinatio?

45 *Virtus exercetur, non perit.*

46 *Generosa virtus flatu accenditur.*

47 *Virtus inimicitii fortunæ crescit.*

Eodem pertinent; virtutem majorem fieri adversis, tamquam materia suorum incrementorum: medium referri potest, vel ad flatum iratæ fortunæ, vel ad laudem.

48 *Extorquet quies.*

Nullum imperium gravius aut potentius quieto, in quo inest plus auctoritatis et majestatis, quàm in vehementi et turbu-

bulento: tale describit Vergilius primo Æneidos: (1)

Ac veluti magno in populo:—

et Claudianus de consulatu Mülîi Theodori: *Imperium concitatum, ut multum habet impetus, sic minus virium; citius contemnitur, facilius frangitur.*

49 *Terret imperium.*

De imperio vehementi, quod metum quidem incutit, sed debilitat subditorum vires.

50 *Blandum imperium imperiosum.*

Majores enim habet vires, et fortius cogit: Ausonius: (2)

—Blando vis latet imperio.

51 *Domitrix omnium patientia.*

Vergilius: (3)

—Vincenda omnis fortuna ferendo est:

fortuna, et casus humani, et impetus hominum, retunduntur si opponatur moles patientiæ; quod ostenderunt martyres nostræ pietatis.

52 *Nobilitatem non dat unus dies.*

Nemo est nobilis quòd his aut illis parentibus natus sit; nec sors nascendi, quæ uno die contingit, facit nobilem, sed præclari virtutis actus: Juvenalis: (4)

Tota licet veteres exornent undique ceræ

Atria, nobilitas sola est atque unica, virtus.

53 *Generositas virtus, non sanguis.*

Ad idem tendit: inductione ad eam rem utuntur: quis equus generosus? quis canis? nonne qui optimus? et sic in ceteris animantibus, ac stirpibus: ergo et generosus homo non alius, quàm optimus.

54 *For-*

(1) Æneid. lib. 1. v. 152.

(2) Præfat. Theod. Aug. v. 10.

(3) Æneid. lib. 5. v. 710.

(4) Sat. 8. v. 19.

54 *Fortuna nimis blanda, hamata.*

Publius in Mimis: *Fortuna quum blanditur, captatum venit*: nulla est alia fortuna quàm Deus: sed admonemur non efferri, non fidere corporis aut divitiarum successibus; hi enim fortunæ nomine solent intelligi: nec Deus nos fallit; ipsi nos fallimus, stulte utentes rebus.

55 *Fortuna fallacior, quo blandior.*

Quod ego ad moderationem animi Cardinali Crojo dederam; sed non tam symbolum id fuit, quàm vaticinium, nam quum se effusissimè fortuna in illius, et Cerviani patruum, sinum effudisset, repentè utrunque absumsit, sed Cardinalem adolescentem adhuc, alterius et viginti annorum.

56 *Stabilissima fortuna stultissima.*

Idem Mimus: *Fortuna nimium quem fovet, stultum facit*: adimit enim mentem, et tantis successibus insolescit animus humanus, ut jam nec alios ferre possit, nec se: meminisse matrem Tuam, sapientissimam feminam, dixisse mihi quum a Sion ad Richemundiam cymbâ reveheremur: Se quidem temperatam et mediam quandam fortunam malle, quàm vel asperrimam, vel lenissimam; alterutrum tamen optandum si esset, electuram citius tristissimam, quàm blandissimam; infelicibus non desse consolationem, fortunatissimis desse mentem: quod dictum vere pudici pectoris, et sapientis, ego apud multos in hac regione celeberrimum feci.

57 *Corpus excors fragile.*

Horatius: (1)

Robur sine consilio, mole ruit sua:

et apud Ciceronem sæpe: *Nil esse vires citra consilium.*

58 *Cor, vel incorporeum, firmum.*

Consilium magnas per se habet vires, etiamsi corporeæ vires

(1) Carm. lib. 3. Oda. 4. v. 65.

res desint; quod ostendit natura in formicis, et apiculis: Salustius: Non viribus, aut velocitate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, auctoritate: eadem est sententia Ciceronis in Catone majore.

59 *Fideli nullæ seræ.*

Omnia ei concreduntur, nihil est ei clausum: Theognides: (1)

O Cyrne, argento fidelis præstat et auro:

contrà, infideli nihil est satis clausum.

60 *Auctoritas rerum gerendarum, telum.*

Plura perficit auctoritas, quàm vires, aut etiam consilia; declarari hoc potest in Principibus, qui magnas res gerunt, non tam opibus, aut sapientia, quàm auctoritate, et majestate: bella, dicebat Cæsar, famâ plurimum confici: multum quoque interest, quis dicat, honoratus, an inhonoratus: ut ait apud Euripidem Hecuba.

61 *Veraci creditur, et mentienti.*

Propter auctoritatem, et præceptam fidem.

62 *Mendaci non creditur, et jurato.*

Aristoteles interrogatus, quid lucrarentur mendaces? respondit: Ut quum vera dicant, nemo credat.

63 *Magnes amoris, amor.*

Nihil est quod sic eliciat amorem, ut amor: Martialis: (2)

Hoc non fit verbis, Marce, ut ameris ama:

est naturalis quædam in rebus conjunctio, et harmonia, ut nemo illum oderit a quo diligitur: de hoc Plato, Seneca, et alii.

64 *Philtrea, amor.*

Itaque non est opus alio poculo amatorio ad amorem exprimendum quàm amore.

Tom. IV.

F

65 Mag-

(1) Sententiar. v. 76.

(2) Epig. lib. 6. Epig. 9. v. 10.

65 *Magnum satellitium, amor.*

Claudianus: (1)

*Non sic excubiæ, nec circumstantia pila,**Ut tutatur amor:*Sallustius: *Non arma, aut opes, præsidia regni sunt, sed amici, nemo enim vult nocere ei quem amat:* simile est quod sequitur,66 *Firmissimæ opes, amor.*

Non modo impia, sed stulta est etiam in rebus mundanis illorum vox, qui ajunt omnia in pecunia esse constituta, amorem parum posse, quum videamus maximas opes propter odium subversas, minimas vero, et infirmas, in amicitiiis constabilitas; hinc verbum vetus: *Ubi amici, ibi opes:* apud Germanos et Scythas nullæ fuerunt olim opes aliæ.

67 *Ubi terror, ibi timor.*

Necesse est eum timere, qui terret alios: ex veteri sententia, apud multos celebri:

68 *Ubi uber, ibi tuber.*

Apulejus in Floridis: Nihil quicquam homini tam prosperum Divinitus datum, quin et tamen admistum sit aliquid difficultatis; ut etiam in amplissima quaque lætitia subsit quæpiam vel parva querimonia, conjugatione quadam mellis et fellis: ubi uber, ibi tuber.

69 *Omnia proposuit labori Deus.*

Horatius: (2)

*Nihil sine magno**Vita labore dedit mortalibus:*

et Vergilius: (3)

*Labor omnia vincit**Improbis:*

Fe-

(1) De 4. Cons. Honorii. v. 281.

(2) Sat. lib. 1. Sat. 9. v. 59.

(3) Georg. lib. 1. v. 145.

Ferunt fabulæ, Jovem hominibus omnia venalia exposuisse, precium esse laborem: dici non potest quantum in re omni valeat quantulacunque sedulitas, ut de formicis scribit Plinius.

70 *Immodica, imbecilla,* 71 *Modica, firma.*

Quum Theopompus, rex Lacedæmoniorum, Ephoros regio imperio opposuisset, querenti uxori quòd minorem filiis potentiam esset traditurus quàm a patre accepisset, atqui firmiter, inquit: Modicum vero cum mediocre est, tum moderatum; utroque dictum pertinet: et in omni vita res mediocres jucundiores ac stabiliores sunt, quàm vastæ atque immanes; unde illud Hesiodi: *Dimidium plus toto:* quia mediocritas nimietate præstabilior; et Claudianus: (1)

*Vivitur exiguo melius.*72 *Magnus, ope minorum.*

Nemo ad magnitudinem pervenit, nisi auxilio minorum: quo gravius est illum infirmiores despiciere, quorum adjumento eo evector est unde hoc ipsi facere liceret.

73 *Vicit vim virtus.*

Virtus, ut Deo cognata, vires omnes hominum infringit.

74 *Stravit fortunam virtus.*

Multis exemplis ostensum est potentiorum esse virtutem opibus, et casibus fortuitis, ut magni, et excellentes virtute viri, humanos casus, sublimes et intrepidi, calcarint, et quibus opes succubuissent, ea virtus superavit, velut carcerem Socrates, Rutilius exilium, inimicitias potentum Cato, sed atrocissima dictu nostri Martyres.

75 *Fortitudo in fortunam, non homines.*

Non est fortitudo, cædere, sternere, cladem hominibus afferre; hoc belluarum est, non hominum: vera fortitudo est, vitia

F 2

CO-

(1) In Rufin. lib. 1. v. 216.

cohibere, fortuita despiciere, nihil nisi probitatis timere jacturam.

76 *Optima, cibus invidiæ.*

Invidia non arrodit nisi excelsa et optima; humilia, abjecta, vilia negligit; non sunt illi esui: molestum est invidiam ferre, et tamen molestius, nihil habere invidendum.

77 *Invidia sibi et aliis venenum.*

Alia perimit, sed primum se ipsam; in ceteris invidia est iniquissima, in hoc æquissima, quod et illum tamquam veneno consumit, in quo est, et eum ulciscitur, quem impetit.

78 *Invidia, vipera.*

Ferunt hanc edi arrosis matris lateribus; ita priusquam exeat, matrem perimit: sic invidia, primum omnium enecat eum in quo gignitur, tum prodit venenatissima fera.

79 *Quod Deo, et homini.*

Æquum est nos ipsos voluntati Dei præbere morigeros, ac obsequentes, nobisque idem placere quod Deo, ne quis indignetur aut improbet res sic aut aliter evenire, quum auctor omnium sit Deus, nos quorsum tendant ignari.

80 *Da cæcus.* 81 *Accipe oculatus.*

Decet eum qui dat non meminisse beneficii, nec multum spectare cui det, certe continuo oculos avertere, ne exprobrare, aut imputare, videatur, aut laudem quærere; eum vero qui accipit, intueri non tam munus, quàm dantem, et semper meminisse gratiæ: idcirco fingunt tres esse Gratias, duas nunquam retrospicere, tertiam semper priores intueri.

82 *Bonus, bonis, et malis.*

83 *Malus, nec malis, nec bonis.*

Bonus, et admirabilis et carus est bonis et malis, malus vero, neutris.

84 *Præsidium, in innocentia.*

Inter tot vitæ hujus pericula, quum reliqua omnia injuriæ obnoxia sint, innocentia noceri non potest; tum et reliqua fluxa, et evanida, et infirma sunt, sola innocentia efficit ne aliqua violari possimus, nec quisquam alia re magis fidere, aut alia debet comparare suæ salutis munimenta, quis non tutus modo agat inter pericula, sed inter maximos terrores securus: *Innocentia humanorum summum*: inquit Plinius in præfatione.

85 *Matura.*

Quod aliter dicitur: Festina tarde: Augusti verbum apud Suetonium, per quod intellige debere in negotiis gerendis celeritatem tarditati admisceri, nec quicquam nimis properanter agi, nec nimis lente: hæc duo verbo unico significari putant: *Matura*: ut apud Sallustium, nam prius quàm incipias, consulto, et ubi consulueris, mature opus est facto: quanquam in consulendo velim suscipi plus tarditatis, in agendo autem, modo sit satis graviter deliberatum, plus celeritatis.

86 *Ciconiæ, beneficium.*

Ciconiæ hic est mos, ut unum e pullis relinquat ei domui, in qua est nidulata, tum et parentes senio defectos tamdiu et nutrit et gestat humeris, quàm ipsa eis fuerat parvula atque imbecillis educata, unde ἀντιπελαργεῖν: ita optimè in eam collocatur beneficium, et in homines gratos, qui ejus significantur nota; tametsi commodandum est cuicumque possis, quod vulgo nostrates dicunt: Benefac, nec spectes cui, sed gratis, potissimum propter exemplum.

87 *Comædia, vita humana.*

Est enim ceu ludus quidam, in quo unusquisque agit personam suam; danda est opera ut moderatis affectibus transigatur; nec cruenta sit catastrophe, aut funesta, qualis solet esse in tragædiis, sed læta, qualis in comædiis, ideo additur:

88 *Ne vita tragœdia.*

In qua, turbulenta, et sæva sunt omnia.

89 *Confide recte agens.*

Neminem metue innocens, nam probo animo nemo potest nocere, et si corpori noceat, hactenus nocet ut animam ex eo, tamquam e carcere, in libertatem emittat veramque vitam.

90 *Veritas, temporis filia.*

Verum, quod diu latuit, procedente tempore existit et apparet, ne quis fidat mendacio, vel putet in occulto semper veritatem fore: Cicero: Opinionum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.

91 *Lupus mendacio, tempus.*

Vorat enim, et absumit.

92 *Veritas premitur, non opprimitur.*

Laborat verum, sed eluctatur tandem.

93 *Mendacio, comites tenebræ.*

Tandem enim obscuratur; tum et amat tenebras, quibus tucatur se se.

94 *Veritatis, splendor comes.*95 *Exilium, inter malos.*

Non est exilium a patria abesse, sed a bonis, et inter malos agere; relegarant Sinopenses Diogenem Cynicum; et illos relegavi, inquit Diogenes: quum hic Athenis viveret, illi in Pontica barbarie.

96 *Ne hilarem insaniam insanias.*

Ex Seneca: quum quis mente abjecta, vel submersa, voluptatibus se et deliciis mancipavit.

97 *Inter spinas, calceatus.*

Admonet non incautè agendum inter inimicos; quumque inimicis septa sit hæc vita, circumspeditione et magna cautione opus est ad eam transigendam.

98 *Deum sequere.*

Vetus dictum, ἐπιουθεῖν; potest sic dici: *Deus dux*: ut illius et ductui, atque auspiciis, te totum in hac vitæ militia permittas, et imperiis obtemperes, et exemplum æmuleris.

99 *Fama pluris, quàm opes.*

Et jucundior est et utilior: multos videmus magnis spoliatos opibus, propter adversam famam, alios propter secundum et favorabilem rumorem locupletatos.

100 *Virtus pluris, quàm fama.*

Res solida, et firma, et perennatura, pluris æstimanda est quàm ficta, atque adumbrata; et corpus quanto majoris quàm umbra?

101 *Virtutis umbra, gloria.*

Ex Socrate: ideo compendiosa est ad gloriam per virtutem via.

102 *Oculos in pectus.*

In pectore est cor, sedes cogitationum: perinde est ac si dicas: *Nosce te ipsum.*

103 *Non extorquebis amari.* (1)

Claudianus in Panegyrico iv. consulatus Honorii: cetera extorquentur vi, amori non potest vis inferri.

104 *Tempus edax rerum.* (2)

Ovidii in Metamorph. xv. et Aristoteles: omnia tempore contacta-

(1) Claud. de iv. Cons. Honorii. v. 282.

(2) Ovid. Meta. lib. 15. v. 234.

tabescunt, et decidunt, præter Deum, et spiritus quibus ille immortalitatem communicavit.

105 *Subjecta Dei manu consistimus.*

Non excluditur hic immortalitas ab intrinseco, sed immortalitas a se.

Nec Angeli, nec animæ nostræ sunt natura sua immortales, sed voluntate Dei; nec res ulla vel momentum duraret, nisi eam regentis Dei cura sustineret; quo intolerabilior est in tanta infirmitate superbia, aut ingratitude, si non agnoscas cujus munus sit vita, et ea quibus intumescis.

106 *Gloria vento discutitur.*

Quum aliud non sit quàm flatus quidam.

107 *Propter invidiam, vela opulentiam.*

Invidia, inquit Sallustius, ex opulentia orta est, ideo opes celandæ sunt ne invidiam nobis pariant, grave est enim eam servare, quamvis innoxiam.

108 *Honores, onera.*

Multæ curæ et sollicitudines suscipiendæ sunt, multi labores adeundi constitutis in dignitate, aut honore, maxime quum illum student conservare: non minus erit venustum si dicatur: *Fasces, fasces*: erant fasces magistratuum Romanorum insignia, sunt et fasces sarcinæ ac onera.

109 *Virtutis radices altæ.*

Ad stabilitatem virtutis pertinet; quum reliqua vix summo solo hæreant.

110 *Mortalibus immortalia præferenda.*

Ut virtus, et ejus æternum præmium, divitiis, aut honoribus, aut quibusvis humanis affectibus.

111 *Alata etas.*

Celerrimè enim avolat; (1)

Et fugiunt freno non remorante dies:

ct

(1) Ovid. Fast. lib. 6. v. 772.

et hoc citius, si sit bona ætas; nam mala diutius immorantur, et premunt.

112 *Fidens, non confidens.*

Sperandum est benè, sed non stolidè, aut imprudenter; quumque incerta sint omnia futura, nec in felicitate attollendus est animus, nec in adversis contrahendus; nec id tamen sperandum, aut aggrediendum, quod majus sit viribus, aut verecundiæ terminos excedat.

113 *Cujus pudebit, pigeat.*

114 *Ne feceris quod factum nolis.*

Finis in re omni spectandus est, stultumque est id agere, quod postea multo redempturus sis: ne feceris, quum parum proderit pœnitentia.

115 *Stulta de alienis superbia.*

Videtur enim absonum, si ob eas te res extollas quæ tuæ non sunt; porro quid sit alienum declaratur proximo symbolo.

116 *Alienum, quicquid adimitur.*

Quod tolli potest, nostrum non est, ut fortuita et corpora; solus animus est noster.

117 *Quod commodavit fortuna, tollet.*

118 *Quod mutuavit natura, repetet.*

119 *Quod paraverit virtus, retinebis.*

Commodata videntur a fortuna, quæ eadem redduntur; mutuata a natura, quæ similia, non eadem; sed utraque non diutius futura sunt apud nos, quàm creditor aut commodator permiserit: at virtutis præclara facinora, quemadmodum inquit Sallustius, sicuti anima ipsa, immortalia sunt.

120 *Princeps, privatis sublimior, sentiendo.*

Non decet principem aut opibus modò aut potentia privatis excellere, sed sensu quodam, et opinionibus supra popula-

Tom. IV.

G

rem

rem captum sapientissimis; ut non moveatur exiguis et vilibus reculis, sicut plebecula, sed sit in eo ut dignitas, ita sapientia quædam singularis; indignum enim est eos, quibus ceteri parent, non melius de rebus censere, quàm vulgus imperitorum hominum.

121 *Princeps, multis consulendo.*

Hoc demum est principem agere, publicas utilitates suis anteponere, existimareque neminem esse inter subditos, cujus cura peculiariter ad se non pertineat; itaque princeps officium suum implet, propria commoda et proprios affectus exuendos, induendo communes, idcirco enim electi sunt principes, ut essent, qui satis privatis soluti curis, publicis excubarent: licebit et sic dicere: Officium est imperare, non regnum.

122 *Tu, tibi venerabilis.*

Ne quid turpe vel agas, vel cogites, reveritus te ipsum.

123 *Malum occultum, perniciosissimum.*

Non enim potest aut pœnitentia deleri, aut castigatione tolli, aut explicatione levare, aut consolatione leniri, sive sit delictum, sive affectus aliquis.

124 *Non quàm diu, sed quàm bene.*

Ad vitam et actiones omnes pertinet: multis breve tempus seu vitæ contigit, seu quid aliud agendi, nemini adempta est in quantulocunque tempore facultas recte se in eo gerendi quod instituit; ideo non refert, quanta sit ei diuturnitas, sed qualis administratio; nec vitam, ut sit bona, longam esse oportet: vel in uno momento sanctissimè licet vivere.

125 *Nomen præ opibus.*

Pluris enim faciendum est bonum nomen quàm divitiarum multarum, juxta sententiam Salomonis.

126 *Odiosus, modo immerito.*

Ne cures quòd odio habearis, modo id culpa tua non contingat, quòd aliquid ipse feceris odio dignum.

127 *Ingratitudo, multis immerentibus noxia.*

Cessant enim homines benefacere, si in ingratos inciderint; ita gratos recusant experiri, ab ingratis læsi; idcirco lex erat in Græcia adversus ingratos, quòd id vitium videretur communitati et societati hominum vehementer damnosum.

128 *Injuria, oblivione ulciscenda.*

Non est verior adversus injuriam ultio quàm si obliviscaris ejus, sic enim nec animum uret, nec magis lædet quàm si facta non esset.

129 *Præcipitis consilii assecla pœnitentia.*

Multum enim cogitandum, et deliberandum est, antequàm statuas: sententia ex Platone sumta.

130 *Quod uni, et omnibus.*

Pari sumus omnes creati lege, quicquid uni evenit, potest et omnibus evenire, ne quis quum aliena videt mala, securus agat.

131 *Ne ferrum igni.*

Non est ira ferro armanda: ex Pythagoræ symbolis.

132 *Lacrimis ignis extinguendus.*

Iram contra te lacrimis, et pœnitentia, et petitione veniæ placato, non solum Dei, sed etiam hominum; non est turpe veniam precari, turpe est Deum aut hominem habere inimicum.

133 *Fastigio caput summitte.*

Potentia cede; ne cum opulentiore, aut majore, aut meliore, contendito.

134 *Falso nomine non gaudendum.*

Fluxum est enim, et momentaneum; nec juvat, quum reclamet conscientia.

135 *Amicus, ut non alius.*136 *Inimicus, ut non idem.*

Amicus sic amandus est, sic colendus, sic cum eo versandum, ut non putes posse inimicum fieri; inimicum vero sic oderis, tamquam aliquando amicus sit futurus: in quo damnatur a Cicerone sententia Biantis Prienæi, quam sequutus est in Mimis Publius.

137 *Quod videri vis, esto.*

Nulla via facilior; non idem valent fucata et simulata, quod vera et solida; magna inest istis vis, infirma sunt illa.

138 *Oculum in metam.*

Spectandus est in rebus omnibus finis et exitus, ne præsentibus periculose decipiamur.

139 *Nocens metuit pœnam.*140 *Innocens nec casum.*

Nocens, stimulante conscientia, metuit paratam legibus pœnam; innocens, fiducia conscientia, nec humanos casus pertimescit, quum sua omnia in se uno, hoc est, in animo et virtute, posita esse ducat; tum et illum sequitur, illi fidit, in cuius manu casu omnes.

141 *Excusanda servitus sub necessitate.*

Non dico honesta, ut Publius, sed excusanda; causam enim probabilem potest afferre, cur serviat, quia necessitate impellitur, sed multum interest quam quisque fingat sibi necessitatem.

142 *Ne a pudendo vincaris hoste.*

Ut voluptatibus, libidinibus, cupiditatibus, ira, et ceteris vitiis.

143 *Tur-*143 *Turpibus ne servito.*

Ut vitiis, et malis hominibus, quorum consuetudinè fis peior, et eorum sceleribus videris esse administer.

144 *Amicum inimicum fugito.*

Hoc est assentatorem, fucatum amicum, et eum qui sub amicitia nomine odit, aut contemnit, aut invidet; sunt enim qui amicos infelices diligunt, felicibus invident: tum illos potissimè fugito, qui amorem simulant, quum insidentur probitati et virtuti; aut qui familiaritate ostensa, labem et ignominiam afferunt; quique ad flagitia et facinora vel exhortantur, vel incitamento sunt exemplo sui.

145 *Ne lingua mente celerior.*

Cogitandum prius quid loquaris; velocissimus datus est animus ne quid possit cum prævertere, si velit: debet hic esse linguæ clavus.

146 *Bellum cum vitiis.*

Non cum hominibus debet geri bellum, nec vires ac robur in eos ostentandæ, sed in vitia, qui sunt veri hostes, nobis exitiabiles.

147 *Divitiæ, injuriæ pignora.*

Ex Eucherio Lugdunensi: multis fit injuria, tantum ut tollantur opes; expilantur a furibus, spoliantur a latronibus; et cæduntur; in hos calumniatores invadunt, in hos iudices acriter cognoscunt, et animadvertunt, præsertim in iis criminibus, ob quæ fortunæ adimuntur, in quibus nulli tutiores sunt, quàm qui quod perdant non habent; nulli periculo propiores divitibus.

148 *Bona, ad benefaciendum.*

Non convenit bona vel animi, vel corporis, vel externa, data esse homini ad nocendum; nec ad malefaciendum tributa sunt, quod nomen ipsum indicat, ut et sibi prosint, et aliis.

149 *Ma-*

149 *Maximæ opes, prodesse.*

Nihil jucundius ipsi qui id facit; nihil eidem tutius; nam qui profuit multis, hunc tuentur multi.

150 *Thesaurus gratia boni.*

Magnus est thesaurus gratia, quam vir bonus debet pro beneficio.

151 *Quod vides, non diu.*

Quæcunque in vita cernis, non diu cernes; aut enim illa interitus auferet, aut te.

152 *Ut verax, ne suspicax.*

Ex Eucherio: qui enim suspicax est, facile quæ comperta non habet affirmabit: ita mentietur affectus impulsu.

153 *Non dives, ni contempnas.*

Ex Seneca: nemo enim suis divitiis, ut oportet, utitur, nec fructum ex eis ullum capit, qui noctes et dies pro illis est sollicitus; qui vero possidet tamquam alienas, hic demum tamquam suis fruitur; nullum bonum juvat animum, nisi ad cuius amissionem ipse præparatus est: hinc illud Mimi: Despicere oportet, quod possis deperdere.

154 *Expende.*

Singulorum pondus et precium æstimandum, tum quæ dicturus, quæque acturus, exordia, progressus, exitus rerum.

155 *Sine querela.*

Vivendum ita, ut non sit cur vel de te quisquam conquerratur, vel ipse de quoquam, aut de fortuna, nec ipse cuiquam facias injuriam, nec factam tibi credas: Seneca de Tranquillitate vitæ: Assuescendum itaque conditioni suæ, et quàm minimum de illa querendum, et quidquid habet circa se commodi apprehendendum: nihil tam acerbum est, in quo non æquus ani-

animus solatium inveniat: *Hoc est symbolum nostrum.*

Symbolum
Vivis.

156 *Frenum in lingua.*

Ne soluta dicat quod noceat; unde infrenes nominantur.

157 *Ne bos in lingua.*

Allusio ad vetus proverbium: Bos moneta erat numi Attici, et hinc ipse numus sic appellabatur; qui tacebant precio conducti, dicebantur loqui non posse quòd bovem haberent in lingua; simile est illud quod in Demosthenem mercede tacentem, quum anginam causaretur, quidam dixit: *Non anginam patitur, sed argentanginam.*

158 *Accuratè cogita immutabilia.*

Multum deliberandum est, antequàm facias quod factum mutari non poterit, ut ducere uxorem, sacris initiari, ad rempublicam accedere, aut bellum suscipere, aut prælium committere; potest etiam alio referri: ut multum de æternis illis post vitam cogitemus, quo sanctius hîc vivamus.

159 *Longius, modo tutius.*

Ad vitam spectat; ad tempus etiam, ne sectemur dispendiosa compendia vel in eruditione, vel in parandis opibus, aut ejusmodi; Augustus solitus erat dicere: *Sat cito, si sat bene.*

160 *Populo cede, non pare.*

Non est cum multitudine pugnandum, bellua multicipiti; sed nec ejus opinionibus assentiendum.

161 *Et pilo sua umbra.*

Nullus est tam contemptibilis, qui non et prodesse in loco, et, quod facilius est, nocere possit, ideo nemo contemnendus.

162 *Hospes, ne curiosus.*

In aliena domo, in aliena civitate decet unumquemque modestè se gerere, nec curiosè se interponere in administrationem; mul-

multo magis convenit nos in hoc mundo minimè sollicitè aut curiosè agere, in quo plane hospites sumus, seu exules verius.

163 *Cæde, modo doce.*

Ex amore sciendi dictum a Diogene Antistheni, quum is sustulisset baculum, ut discipulum cæderet, molestum sciscitatore.

164 *Magnum hospitium, magni hospitis.*

Non potest esse exiguum hospitium, quod implet magnus hospes; nec contemnendum id corpus, quod inhabitat excellens animus.

165 *Tota vita, dies unus.*

Ex Quintiliano in Mathematico: si omnia vitæ hujus diligenter excutiantur, quid aliud est vita tota, quàm dies unus? aut quid est in universa vita, quod non sit in quovis die? ut mirandum sit, non exsatiari homines eisdem toties redeuntibus.

166 *Diarii omnes.*

Ex superiore pendet, et ad brevitatem ætatis refertur.

167 *Ex usu, non collatione, fortuna.*

Ut sis dives, non spectandum est tibi quantum alii possideant, sed quanto tu egeas.

168 *Majores superbus, minores mæstus.*

Ad minuendam superbiam, spectet quisque præstantiores se in eo de quo intumescit; ad leniendum mærorem, infeliciores in eo de quo tristatur.

169 *Foris Argus, domi talpa.*

In eos, qui in aliena mire oculati sunt, ad sua cæci; Argus centoculus fuit, talpa est cæca: Fabella est de *mantiscis* apud Æsopum, et Persium, quarum altera dependet ad pectus, in qua sunt aliena vitia, altera ad tergum, in qua nostra: potest etiam dici: *Domi Tiresias, foris linx.*

170 *Ne nimium scrutare.*

In eandem sententiam; et sic: Ne molestus percontator.

171 *Certum in incerto.*

Nihil est vita incertius; in hac paranda est virtus, certissima possessio; intuenda altera illa immortalis; cogitanda mors, qua nihil est certius; vanæ et incertæ spes et sollicitudines dimittendæ, *quibus* (quemadmodum Manilius inquit) *dum querimus ædum, perdamus.*

172 *Voluptates, specta abeuntes.*

Nam quum adveniunt, delectant, ideo pulchræ jucundæque existimantur; recedentes, turpitudinem ac fœditatem suam produnt: posset sic formari: *In voluptate, dorsum, non faciem; vel sic, occipitium non frons: videbis fœditatem earum, et pœnitentiam quam relinquunt; sic fiet, ut eas averseris, ac detestere.*

173 *Voluptas, malorum esca.*

Platonis sententia: *Malus capitur voluptate, bonus consilio; bono viro Deus est lex, malo cupiditas.*

174 *Falle vivens, sed non te.*

Vetus erat, *λάθε βιώσας*: Putant fuisse dictum Epicuri, de quo Plutarchus, et Horatius: (1)

Nec vixit male, qui natus moriensque fefellit:
addendum tamen: ne quis se ipsum in vita ignoret, etsi ab aliis ignoretur.

175 *Non refert quâ, sed quò.*

Nihil refert quâ transeas in hac peregrinatione vitæ, sed quò pervenias; in omni loco, in omni fortuna, licet recte agere, et illo pervenire quò intendimus.

176 *Scopulus in undis.*

Ut sit in animo tanta firmitas, quam undæ omnes et fluctus humanorum casuum concutere non valeant, semper immobilis, et altior fortunâ.

177 *Miserrimum pendere.*

Inter spem et metum suspensum esse, miserrimum.

178 *Ne bis puer.*

Antiquum proverbium: Bis pueri senes: de senibus deliris, et dementibus; admonet ne in grandiore ætate vivamus aut sapiamus pueriliter.

179 *Ne laborem citra præmium. Et,
Ne laborem laboris præmium.*

Laboris in res mundanas vel præmium est nullum, aut certe vanitas, vel alter labor, honestior quidem, sed molestior; ut qui dignitates dignitatibus mutant: sic clamat Hercules ille in Tragœdia: *Finis unius mali, gradus est sequentis*: interim præmium horum laborum est sempiternus cruciatus, sicut Paulus inquit: *Stipendia peccati, mors*.

180 *Pertuso dolio nihil infunde.*

Allusio ad dolium Danaïdum apud inferos, ut habent fabulæ; ad multa tendit, ne quid des prodigo et profuso; ne rimosæ auri, et loquaci, arcanum credas; ne cupiditatibus inservias; ne voluptatibus obsequaris; ne insatiabilibus largiri assuescas.

181 *Turpe, gigantem in nano.*

In tam pusillo corpore, quantum natura dedit hominibus, tam fragili, et infirmo, turpissimum est esse tam ferum, et superbum animum, qui stulticia et superbia cœlos etiam contingat.

182 *Difficilis gloriæ custodia.*

Quàm multa perferenda sunt studioso gloriæ, ut paretur,
ut

ut parta conservetur! major perpetienda est servitus, quàm emptis de lapide, quum gloria, nisi fundamentis virtutis innitatur, fugacissima sit.

183 *Malus potentiæ custos, metus.*

Fragiles opes; quas multi metuunt, ac proinde oderunt: Sententia est omnium fere sapientum, quam tractat in Officiis Cicero.

184 *Nescis quid vesper serus velat.*

Futura incertissima, ne quis nimium vel confidat, vel desperet: dictum est Varronis, qui sic Satyras aliquot suas inscripsit: eodem refertur: Inter os et offam.

185 *Faciem ne aperias.*

Tecta est facies humana verecundiâ, quod solum velamentum reliquit ei natura; non est exuenda tam honesto tegumento, nihil enim inverecundia detestabilius.

186 *Manum per frontem ne ducito.*

Allusi ad illud: Perfricare frontem, sive faciem, sive os: de iis dictum, qui pudorem excutiunt.

187 *Splendor summus non intueendus.*

Solem si sereno cœlo intuearis, nocet oculis, interdum exæcat; sic si divinitatis fulgorem tentes contemplari, oculos mentis amittes: *Qui scrutatur majestatem* (inquit Sapiens) *opprimetur a gloria*: non capiunt angustiae mentis humanæ rem tam sublimem atque amplam: *Non videbit me homo, et vivet*: ait Deus; adoranda sunt hæc, non scrutanda.

188 *Linguas ne præscinde, sed cave.*

Non est libertas hominibus tollenda; nam sicut Augustus dixit: Decet in liberis civitatibus liberas esse linguas: sed sic vivendum, ne sit cur homines suam in te libertatem velint exercere.

189 *Ora virtute obtura, non metu.*

Eodem spectat: Non claudenda sunt ora metu, operculo fragili, et invalido; bene agendo efficies ne quis male de te sentiat, ac proinde nec loquatur.

190 *Cogitatus liber.*

Nemo prohibere potest quenquam cogitare.

191 *Cogitatus quis coget? vis veritatis.*

Hæc enim suspensiones omnes tollit, et tanta est, ut ultro in mentes hominum se insinuet, efficiatque ut nemini aliter libeat cogitare, sæpe nec liceat; ideo recte agendum est; non aliter assequemur ut omnes de nobis recte sentiant.

192 *Homo homini par.*

Ne quis supra hominem se efferat, ne contemnat, ne despiat, ne se præferat alteri, quum simus omnes a Deo, Parente omnium, æquo jure conditi, et in hanc vitam missi: Potest etiam ex Seneca sic dici: Deo imperium, homini consortium.

193 *Suavissimus post laborem fructus.*

Sic demum frui juvat, quum res labore quæsitæ est, ut molestia præterita usu præsentis levetur: vulgare est: Parta labore juvant.

194 *Animo corpus fulciendum.*

Non succumbendum operibus honestis, et deficientibus corporis viribus, animi conatus tantus sit ut labens ac decidens corpus sustentet: ex Seneca lib. de Vita beata.

195 *Nocens, se giudice, nunquam absolvitur.*

Semper enim accusatur et condemnatur a conscientia mentis suæ: Juvenalis: (1)

*Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet auctori; prima hæc est ultio, quod se
Judice nemo nocens absolvitur;*

De

(1) Satyra 13. v. 1.

De hac re Cicero in Pisonem, et pro Roscio Amerino, et Seneca multis in locis; apud Quintilianum est illud proverbii loco: Conscientia, mille testes.

196 *Ebrietas, nec madida, nec sicca.*

Ebrietas madida est, quæ fit ex vino aut cervisia; sicca vero, quæ affectu aliquo immodico, quum is vim omnem mentis et judicii consopivit, ut ira, lætitia, metus, insolentia ex immodicis fortunæ successibus, arrogantia, voluptates, et omne delectamentorum genus; quam ebriatatem Græci vocant *ἀνοιον*, quasi *invinam*: utraque cavenda, utraque hominem extra se pellet, et impotem sui reddit.

197 *Potentiolem, in te ne admittito.*

Consuetudo vitiorum, et qui a philosophis habitus dicitur, a Græcis *ἐξίς*, violentissimus est tyrannus quum animum occupavit; ideo magnopere laborandum est ne quis talis in nobis invalescat; non erimus nostri juris, illo admissio; idem dicendum de multis perturbationibus, ut ira, ut avaritia; sed potissimum, ludi cupiditate, amore, et voluptate.

198 *Precibus emptum, carum.*

Vulgare dictum: Cicero: Emere malo, quàm rogare: idem Apulejus in Florid. Magnum precium sunt preces, quippe illis additur verecundia; sic igitur te compara, ut paucis egeas, quo pauca roges; et rogatus, magnum te credito accepisse precium ejus quod rogaris, ne sis exoratu difficilis.

199 *Quiesce, nihil acturus.*

Dictum Attilii, quod citat Plinius Novocomensis: Satius est otiosum esse, quàm nihil agere: Nihil agere, est rem inutilem, aut non successuram, tractare; consultius est quiescere, quam id agere.

200 *Ingenium inexercitatum, torpidum.*

Cato ingenium hominis dicebat ferro esse simile, quod ex
usu

usu splendescit, at in otio rubigine obducitur, et exeditur; exercendum semper ingenium, otia enim feracissimum vitiorum seminarium, sed honesto aliquo et pulchro opere, velut eruditione et virtute; nam rebus flagitiosis aut turpibus exercere, hoc vero non exercere est, sed corrumpere: de quo est sequens symbolum:

201 *Ingenium situ pereat, non sentibus.*

Præstat otiosum degere, quàm malis exercitamentis occupari.

202 *Nullus sine linea dies.*

Ex vetere dicto, et more Apellis Coi pictoris, qui tanta fuit in arte sua diligentia, ut nullus præteriret dies tam aliis rebus occupatus, in quo non ipse saltem lineam aliquam penicillo duxisset, et erat olim maxima pars artis in lineis tenuissimè duccendis sita: admonet, non debere diem ullum abire, in quo non aliquid dignum homine egerimus, opus videlicet ingenii, vel ad eruditionem, vel ad prudentiam, vel ad probitatem et pietatem spectans, quem dicunt fuisse Censorii Catonis morem iis vero qui aliis artibus vitam quærunt, aliquid esse in sua cuique arte quotidie exercendum.

203 *Calumniæ morsui remedium nullum.*

Nullum fere est tantum malum, cui natura remedium non pararit, saltem fuga; atqui calumnia, et clam mordet, et ante occidit quàm sentiatur.

204 *Benevoli multi, consilarii pauci.*

Ex Salomone: Multis bene et velis, et facias, arcana tua ne cuivis committas, nec quemlibet consule, delige quo possis in hanc rem tuto et cum fructu uti.

205 *Justitia, gratuita.*

Ex Cicerone, primo de Legibus: Nihil est injustius, quàm justitiæ præmium quærere, et qui mercede est vir bonus, mercede etiam erit malus.

206 Mi-

206 *Misericordia venalis, crudelis.*

Crudele est eum, qui sic affectus est ut misericordia indigeat, cogere aliquid pendere quo sublevetur; est enim acerbus et immitis animus, quem non flectit hominis calamitas, sed suum commodum.

207 *Bonorum rector, malorum victor.*

Ex Seneca, Epistola octogesimaquinta: In secundis rebus regendum est, in adversis pugnandum; fortuna prospera, gubernanda arte, consilio, prudentia, ingenio; irata, retundenda magno robore, et invicto animo superanda, et calcanda.

208 *Quod invenisse pigeat, ne queras.*

Satius est ignorari; ut probrum domesticum, tristem sortem a divinaculo, quæ si prædicatur, nihil aliud quàm angit assiduo cor.

209 *Tantum scis, quantum operaris.*

Ferunt verbum hoc fuisse frequens Divo Francisco: ita est: Verius scit vir bonus, et rudis, quid sit virtus, quàm malus et doctus; et in rebus sacris, Christi Spiritus copiosissimè præbet se piis: quid prodest malo scientia? nec vere scit, tametsi argute disserat, nam in peccato semper inest cæcitas: an non melius novit quid sit pingere, qui imperitè de pictura disputans, peritè pingit, quàm qui doctissimè disputans, indoctissimè et lineas ducit, et colores inducit?

210 *Persona publica, privatam depone.*

Cui magistratus, aut imperium, aut principatus, mandatur, is sciat jam non sibi suas utilitates quærendas, sed populi, cui præest; sic optimè publicum officium administrabit, alioqui fiet tyrannus; deberet pro curiarum foribus dictum aliquod in hanc sententiam inscribi, quo admonerentur magistratus, et eorum consultores: *Huc ingrediens, personam privatam relinque in limine, publicam sume.*

211 Par-

211 *Parvo fames constat, magno fastidium.*

Naturæ paucis rebus satis fit; fames exiguo cibo placatur, et tollitur; ingentes mensæ fastidium afferunt, et morbos.

212 *Unum est necessarium.*

Verbum Domini, et Servatoris nostri Christi, ad augendam curam pietatis, et minuendam sollicitudinem rerum peritura- rum: procuratio et cibi, et potus, et rei familiaris, in qua Martha versabatur, utilis quidem homini ad tempus; at sedere ad pedes Domini, et verbum illius puris animis haurire, quod erat Magdalenaë munus, *id demum necessarium, et quod nunquam aufertur*: quum omnia, sive ingenii decora, atque ornamenta, sive corporis, atque externa commoda, expenderis, intelliges unum esse homini necessarium.

213 *Mente Deo defixus.*

Hoc symbolum tam fausto omine ponetur ultimum, quàm illud primum, *Scopus vitæ Christus*: ipse est initium, ipse finis; ab ipso proficiscuntur omnia, in ipsum tendunt; huic oportet nos affigamus, si volumus beati esse, non alio clavo quàm mente ipsa: possunt alia permulta symbola deduci ex Platone, Cicerone, Seneca, Horatio, sed præcipue sacris litteris, fonte, ut copiosissimo, ita liquidissimo, ac purissimo; et scriptoribus nostræ religionis adsunt proverbialia tot, et metaphoræ, et allegoria, fabulæ quoque, et historia, quæ suppeditare magnum numerum possunt; et nostra hæc mutari, atque in alias verti formulas, licebit, et ex scholiolis alias desumi; quocirca nec illa attigi, quæ sunt omnibus in ore: Nosce te ipsum; Ne quid nimis; Sponde, jactura præsto est; quæ dicuntur tria Apollinis oracula; et, Dimidium plus toto, quod Hesiodi; tum, Sustine, et abstine, quod Epicteti: hæc quæ posui, sufficient, sive ad sententiarum copiam, quæ omnes pæne his sunt conclusæ, sive ad rationem ostendendam quemadmodum alia possint innumera excogitari.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

IN LIBROS

DE INSTITUTIONE FEMINÆ CHRISTIANÆ,
ad Sereniss. D. Catharinam Hispanam,
Angliæ Reginam, &c.

PRÆFATIO.

MOvit me sanctitas morum Tuorum, et animi Tui ardor in sacra studia, ut de Christianæ feminæ institutione aliquid ad Te scriberem, argumento ut maximè necessario, ita nulli hactenus tractato in tanta ingeniorum scribentiumque varietate ac copia; quid enim est perinde necessarium atque illarum animos fingi ad virtutem, quæ nobis in omni vitæ ratione sociæ sunt inseparabiles? Benevolentia firma est inter bonos, inter malos autem non diuturna; nec immerito Aristoteles eas civitates, quæ feminarum institutionem parum habent rectam, magna se felicitatis parte ait orbare: videlicet, nihil est æque molestum ut communionem vitæ habere cum improbo: quod ut de civitatibus merito, sic de unaquaque domo justius dici potest. Porro de re familiari Xenophon et Aristoteles, et de republica Plato, præcepta cum traderent, nonnulla dixerunt, quæ ad mulieris officium pertinerent; Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius, de virginibus ac viduis sic disseruere, ut aliquod vitæ genus suadeant, potius quàm forment; toti sunt in castitatis laudibus celebrandis, magnifico vero opere, et illis ingeniis illaque sanctitate digno, sed præcepta formulasque vitæ paucissimas perhibuerunt, satius esse rati adhortari ad optima, et manum porrigere ad altissima, quàm erudire inferiora; nos autem exhortationes illis relinquentes, ut ætatis degendæ rationem ex auctoritate potius illorum, quàm ex opinione nostra sibi quisque deligat, ipsa vitæ instituta documentis componimus: itaque,

orsi a prima feminae aetate, ipsam usque ad connubia Primo libro deducimus: hinc a conjugio ad viduitatem quemadmodum transmittendum illi cum marito tempus bene ac beate censeamus Secundo: Postremo, viduitas instituta est.

Et quoniam fieri aliter nequit, multa primo dicta sunt volumine, quae ad uxores et viduas pertinent; multa proximo, quae ad coelibes; nonnulla tertio, quae ad omnes; ne qua vel virgo solum sibi legendum primum librum putet, vel nupta alterum, vel vidua tertium; universos singulis legendos censeo: in quibus breviores forsitan fuimus, quam nonnulli voluissent, sed si quis intentius consilii nostri rationem considerarit, non sine causa factum a nobis intelliget; nam in praecipiendo non in postremis esse debet ratio brevitatis, ne verborum legentium animos obruas potius quam edoceas; et ea esse praecipua decet, quae etiam memoriter quisque facillime comprehensa teneat, neque enim ignorari oportet leges, quibus vivendum est: quod Christus, et eum Apostoli secuti, Petrus, Paulus, Jacobus, Joannes, Judas, declararunt, qui pietatis praecipua, ut divina, sic etiam pauca brevique mundo tradidere: etenim quis illas servare leges poterit, quas ne tenent quidem qui in eis incanuerunt? Ea de causa, nec exempla, quae attuli plurima, extendi, nec in communes virtutum aut vitiorum locos egressus sum, amplissimum spatiandi campum, et qui se toto subinde opere ostendebat, ac velut invitabat, ut modum liber inveniret, nec solum legi sine lassitudine, sed relegi quoque posset. Ad hoc, ut virorum institutiones numerosae sint, feminarum certe mores paucissimis formari praecipua possunt; quoniam viri et domi, et foris, et in re privata, et in republica versantur; ideo quae ratio sit tantae diversitatis officiorum, non nisi longis voluminibus explicatur: feminae unica est cura pudicitiae; idcirco cum haec exposita est, abunde illa dimitti videtur instructa: quo execrabilius est illorum scelus, qui unicum hoc feminarum bonum corruptum eunt, tamquam si lusco illud, quod superest lumen, extinguendum cures: sunt qui foeda et spurca conscribunt carmina, qui, quem, dictu saltem honestum, obtendere consilio suo praetextum possint, equidem non video, nisi quod

corruptus animus nequitia, et veneno putris, aspirare nisi venenum nequit, quo interimat vicina: dicunt se amantes esse: credo; nam sunt etiam caeci, et dementes, quasi Tu potiri Tua non valeas, nisi simul cum illa reliquas omnes corrumpas, et contamines; mihi nullus unquam hominum justius videtur exulasse Ovidio Nasone, si modo propter artem amandi relegatus est; ceteri enim cecinerunt lasciva, et flagitiosa, hic egregius artifex, in formulas (si diis placet) et praecipua nequitiam redegit; magister impudicitiae, publicus corruptor morum civitatis.

Non dubito quin aliquibus videbor edere severiora praecipua, atque asperiora, quam par esset, qui si legerent quam minuta persequuntur Sancti scriptores, quam anxii sunt exactores singulorum, quibus verbis, qua gravitate, qua severitate, me utique blandum nimis atque indulgentem judicarent: sed ea natura est rerum: bonis apertissima videtur virtutis via, et amoenissima; contra, vitiorum angusta et salebrosa, malis nec jucunda via est qua insistunt, nec satis lata, satisque commoda, probitatis: quod quum ita sit, accedendum potius est bonis, et credendum falli citius malos iudicio suo, quam consensum bonorum; Pythagoras, et eum reliqui in descriptione *Tænulati*, superatis primae virtutis difficultatibus, cetera latissime et facillime patere ajunt; Plato, ex ejusdem Pythagorae sententia, deligendam vitae rationem suadet optimam, quam consuetudo suavissimam reddet; Dominus in Evangelio viam regni Dei arctam appellavit, non quod revera talis esset, sed quia pauci illam ingrediuntur, nisi quis vanum illius esse dictum putet: *Fugum meum suave est, et onus meum leve*: ac promissum illud: Neminem esse qui aliquid propter ipsum relinquat, qui non majora multo recipiat, etiam in hac vita: quorsum hoc spectat, nisi ad voluptatem, et delicias virtutis? Itaque non ignoro quibus haec mea praecipua severa nimis et rigida videbuntur, viris juvenibus, imperitis, lascivis, perditis, qui ne aspectum quidem probae ferre possunt, qui velut otiosi et bene pasti equi, ad equas omnes adhinniunt; tum etiam puellis stultis, vanis, insulsis, quae spectari, quae adamari gaudent, et approbari sua vitia cuperent multitudine peccantium, ceu conspiratio turbae

immutare rerum naturam posset: novum malis non est, odisse bene monentes: sed in hoc ipso materiæ genere Theophrastus, quum de conjugio gravissimè multa scripsisset, meretrices in se concitavit, et prosiliit Leontium Metrodori concubina, quæ adversus tantum et facundia et sapientia virum, librum sine mente, sine fronte evomeret; quod tam indignum facinus visum est, ut tamquam nihil jam superesset bonæ spei, proverbium natum sit: *Suspendio arborem eligendam*: Sanctus Hieronymus ad Demetriadem de se ad hunc modum scribit: *Ante annos circiter triginta de virginitate servanda edidi librum, in quo necesse fuit mihi ire contra vitia, et propter instructionem virginis quam monebam, diaboli insidias patefacere; qui sermo offendit plurimos, dum unusquisque in se intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audivit, sed quasi criminatorem sui operis adversatus est: sic ille: en, quod hominum genus, sanctè instituendo, offensuri sumus? quibus placuisse, vituperatione (ut ita dixerim) et culpa non caret.*

Stabunt a nobis graves et cordati viri, castæ virgines, probæ matronæ, prudentes viduæ, omnes denique qui vere et ex animo sunt Christiani, non solo nomine; qui omnes sentiunt, ac sciunt, nihil fieri posse mitius leniusque præceptis nostræ pietatis, a quibus nunquam sinat Christus mentem ac sententiam nostram vel latum pilum deflectere: sanctas feminas leviter tantum officii sui admonui; ceteras interdum paullo castigavi acrius, quòd viderim documenta sola parum proficere in iis, quæ ducenti reluctantur, et invitæ fere trahendæ sunt quo oportet; idcirco apertius quandoque sum locutus, ut fœditatem morum suorum ipsæ velut in tabella depictam intuentes, erubescerent, et desinerent erubescenda facere; simul bonæ tum se ab illis vitiis procul abesse gauderent, tum darent operam ut longius etiam recederent, et in sedes virtutis intimas se reciperent, maluique, juxta Hieronymi consilium, verecundia parumper, quàm causa periclitari; sic tamen, ne in pudendum quid prolaberer, quo nihil turpius est præceptori castitatis, quo factum est, ut intelligenda nonnunquam sint plura quàm exprimantur: quæ a receptissimis moribus abhorrerent, ea magnis

nis auctoritatibus suffulcii, ac confirmavi, ne dirui possent impetu publici consensus.

Hoc opus Tibi non secus offero, Regina inclyta, quàm si pictor faciem Tuam artificiosissimè expressam daret; siquidem ut in illa imaginem Tui corporis depictam cerneres, sic in his libris imaginem videbis animi; quippe quæ fuisti, et virgo, et sponsa, et vidua, nunc uxor, (quod ut diutissimè sis Deum precor) et sic in his omnibus vitæ generibus cursibusque Te gessisti, ut exemplum reliquis sit optimè vivendi quicquid agas: sed Tu mavis virtutes laudari, quàm Te, etsi nemo commendare muliebres virtutes potest, quin Te quoque eadem laudatione comprehendat, parendum tamen erit Tibi, modo scias, sub excellentibus et egregiis virtutibus alias plerumque Tui similes expresso nomine, Te semper (etsi tacitè) prædicari; neque enim extolli laudibus virtutes possunt, quin pariter et illi commendentur, quamvis innominati, qui plurimum illis ipsis virtutibus præstiterunt: leget hæc monita mea Maria filia Tua, et effinget ea, dum se ad domesticum exemplar componit probitatis et sapientiæ tuæ; effinget certè: et nisi humanas omnes conjecturas sola fallat, optima et sanctissima ut sit necesse est, Te et Henrico Octavo nata, tali et tam laudato conjugum pari: habebunt igitur feminæ omnes, ut per vitam et actiones Tuas exemplum, sic per hoc Tibi dedicatum opus præcepta et rationem vivendi: utrunque debent probitati Tuæ, qua et Tu sic vixisti, et ego ad scribendum impulsus sum. Vale.

Brugis, nonis Aprilis 1523.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
DE INSTITUTIONE CHRISTIANÆ FEMINÆ
LIBER PRIMUS,
QUI EST DE VIRGINIBUS.

DE EDUCATIONE VIRGINIS INFANTIS.

CAP. I.

FAbius Quintilianus oratorem instituens, a cunis ipsis exordiendum censet, nullum tempus debere vacare ratus, quod ad finem illum destinatæ artis non accommodaretur; quanto major cura suscipi debet de virgine Christiana, ut non solum ejus incrementa formemus et componamus, sed initia quoque a lacte ipso, quod velim, fieri si possit, maternum esse, idque consulerunt Plutarchus, Phavorinus, et alii maximi philosophi; sic enim mutua illa inter matrem et filiam caritas fiet major, quum nihil de matris nomine a matre ipsa in aliam descindetur, nam et nutrices matres appellari sunt solitæ: verius mater filiam existimat suam, quam non solum utero gestavit et peperit; sed etiam infantulam semper in ulnis bajulavit, cui præbuit mammam, quam de sanguine suo aluit, cujus somnos sinu suo fovit, primos arrisus accepit blanda, et osculata est, prima balbutiem conantis fari audivit læta, atque adjuvit, et ad pectus infantem pressit, optima precans; hæc vicissim tanta in matrem pietate imbuent filiam, ut carior multo sit ipsi mater, cujus amorem rudi adhuc et tenero animo largissimè hausit: quis possit dicere, quantum hæc in hominibus conciliant augentque caritatem, quum belluæ fere ab omni amoris sensu in alienum genus remotæ, nutritios atque educatores suos diligant, et quo illos protegant, ac propugnent, mortem obire non recusent! Deinde fit, nescio quo pacto, ut non amorem modo, verum et pronitatem ad certos aliquos mores sugamus cum lacte; hoc ipsum est, inquit Phavorinus apud Gellium, quod sæpenumero mi-

Nutrimen-
tum lac ma-
ternum.

DE CHRISTIANA FEMINA LIBER PRIMUS. 71

miramur, quosdam pudicarum mulierum liberos, parentum suorum neque corporibus, neque animis similes existere: neque vero de nihilo nata est, etiam pueris nota, fabula: *Illum qui scrofa lacte nutritus esset, in cæno se volutavisse*: qua de causa vir acutissimus Chrysippus sapientes optimasque eligi nutrices præcepit, quod nos et sequemur, et præcipiemus iis matribus, quibus infantes suos proprio lacte non licebit alere: neque vero tantam curam in quærenda puero nutrice ponendam volo, quantam puellæ; Quintilianus satis habuit dicere: Videndum ne sit vitiosus sermo nutricibus, propterea quòd qui in infante insedit sermonis modus, difficile elueretur: de moribus non ita fuit sollicitus, quos sæpius alibi puer induit, quàm domi; et tamen Chrysippi de nutricibus sententiam attulit, velut idem sentiret ipse: at puellam quoniam non perinde doctam volumus, ac pudicam, et probam, tota est parentum cura illo conferenda, ne quid ei adhæreat vitiosum et turpe, nihil per sensus corporis tale, nihil per nutrimentum irrepit; nutricem vero primam audiet, primam videbit, et quæ rudis discet, hæc peritia et callida tentabit reddere; quocirca D. Hieronymus Læta filiam instituens, nutricem vetat, temulentam, aut lascivam, aut garrulam, sumi.

Nutrices.

DE RELIQUA INFANTIA.

CAP. II.

UBi jam ablactata fuerit, fari atque ingredi cœperit, lusus omnes sint cum puellis æqualibus, præsentem aut matrem, aut nutrice, aut gravioris ætatis probam feminam, quæ lusiones illas, et animi oblectamenta temperet, atque ad honestatem virtutemque dirigat; omnis masculus sexus absit, nec assuescat viris delectari, naturam enim in illos diutissimè amor noster perseverat, cum quibus pueriles horas, oblectationesque traduximus, qui affectus in femina est pertinacior, nempe ingenio ad voluptates propensiore; in illa ætate, quæ nondum bonum ac malum dijudicat, ne docenda quidem sunt mala, et rudis adhuc animus

Lusus.

sanis opinionibus imbuendus; pestilens opinio eorum, qui filios suos volunt et bonum et malum non ignorare: ita demum, ajunt, melius virtutem persecuturos, et fugituros vitia: quanto rectius et utilius est, mala non modo non facere, sed nescire quidem? quanto item felicius? Quis non saltem fando audivit, illa nos omnes hora miseros factos, quum primi illi auctores generis humani quid bonum esset, quid malum, noverunt? et profecto patres, qui nolunt filios suos malorum imperitos et inexpertos esse, digni sunt quorum liberi ea sciant, et quum male fecisse poenitebit, recordentur se male facere patribus auctoribus didicisse. Impudica, aut lasciva verba, aut gesticulationes parum decoras, ne tum quidem discat, quum rerum est rudis, effictura etiam robustior et gnara; plerisque ita usu venit, ut quæ assueverunt, hæc crebro insciis et imprudentibus excidant, interdum reluctantibus, ac retinere conantibus elabantur, et erumpant invitis; tanto crebrius si sint mala, ut est eorum tenacior humanus animus.

Indulgentia

Caveant parentes ne factum aliquod ejus indecens, vel risu, vel verbis, vel gestu approbent, aut, quod turpissimum est, osculis et complexu excipiant; id sæpe conabitur puella reddere quod gratissimum parentibus putabit: omnia sint in primis annis casta et pura, saltem morum gratia, qui ex illa infantili consuetudine prima velut delineamenta ducunt: verba aliquot Cor. Taciti lubet adscribere de indole veterum Romanorum: *Fam pridem suus cuique filius ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed in gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri domum, et inservire liberis; eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis, spectatisque moribus, omnis cujusdam familiæ soboles committeretur, coram qua neque dicere fas erat quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur, ac non studia moresque, sed remissiones etiam, lususque puerorum, sanctitate quadam ac verecundia temperabat: sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Actiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse Principes liberos accepimus; quæ disciplina ac severitas eo pertinebat, ut sincera et integra, et in nullis pravitatibus detorta uniuscujusque natura, toto statim pectore arri-*

pe-

peret artes honestas: sic ille: unde apparet, qua ratione, quibus artibus antiqui illi in illam virtutum claritudinem, quam ne intueri quidem nunc sustinemus, evaserint: et narrat hæc de viris; quantam erga feminas adhibitam diligentiam existimamus? Ergo ludicris oblectamentis, quibus ætas illa indiget, absit quicquid potest rectæ institutioni officere, nihil obscœnum in animos irreat, non garrulitatis inficiatur studio; sed jam tum, ceu per lusus, meditetur quæ postea profutura sunt, castis fabellis ducatur, tollantur pupæ, imago quædam idololatricæ, et quæ comptus ac ornatus cupiditatem docent, augentque, magis probarim scruta illa, quæ simulacra totius domesticæ suppellectilis in stanno aut plumbo sunt expressa, cujusmodi est in hac Belgia magna copia; est hoc jucundum infanti ludicrum, et interea singulorum nomina, atque usus, aliud agens, addiscit.

Ludicra.

DE PRIMIS EXERCITAMENTIS.

CAP. III.

ÆTate, qua videbitur jam idonea litteris et cognitioni rerum, incipiat ea discere quæ ad cultum animi, quæque ad tuendam regendamque domum spectant; tempus nullum diffinio; alii enim anno septimo exordium putaverunt, ut Aristoteles, et Eratosthenes; alii quarto, quintoque, ut Chrysippus, et Quintilianus; ego vero totam hac de re deliberationem ad parentum prudentiam rejicio, qui ex qualitate et habitu infantis consilium sument, modo ne officiat indulgentia, qua quidam ita delicatos habent suos liberos, adeo illis metuunt, ut ab omni arceant labore, ne forte in morbum incidant; hi dum eorum vires corpusque putant augere ac confirmare, debilitant et frangunt. Multum officit filiis parentum indulgentia, quæ effrenem illis in mille vitia licentiam offert, atque adeo ingerit, sed feminæ in primis; hæc enim magna ex parte solo cohibetur metu, qui si absit, tum demum habenas naturæ laxat; si in malum fertur proclivis, eo se præcipitat; nec bona evadit, nisi talis sit suoapte ingenio, ac natura ipsa, quales non-

Indulgentia

Tom. IV.

K

nul-

nullas est iuvenire: discet ergo simul litteras, simul lanam et linum tractare, duas artes jam inde ab innoxio illo seculo posteris traditas, utilissimas rei familiari, et conservatrices frugalitatis, cujus convenit in primis studiosas esse feminas: non descendam ad minutiora, ne cui humiliora instituto meo persequi videar, sed feminam nullo modo placet mihi artium, quæ manibus tractantur, imperitam esse, ac ne Principem quidem, aut Reginam, quæ quid enim aliud potius agat, aut melius, vacua domesticis negotiis? Confabulabitur scilicet cum viris, aut aliis feminis: quibus de rebus? semper loquetur? nunquam conticescet? at cogitabit; quæ? celer est cogitatus feminæ, ac ferre inconstans, vagus, peregrinus, nescio quò lubricitate devolvetur sua.

At legere optimum est, et id in primis consulo, sed jam lectione fessam, otiosam videre non possum; nec Persicas illas feminas imitabitur, inter eunuchorum agmina cantibus, comessationibus, jugibus, et sempiternis voluptatibus, immersas, quæ ad fastidium vitandum subinde mutabantur, et unius finis initium erat sequentis, nec efficere tamen poterant, ut vel hæc varietas jucunditate animum expleret; semper aliquid et in unaquaque desiderabatur, et in universis, lassitudoque et ipse primus gustus tædium illico adferebat; tum repetebant voluptates damnatas; hinc quas maximè placituras existimarent, mira anxietate aversabantur; ita quum nulla satisfaceret, aspernabantur omnes; nimirum non est ille verus animi pastus, idcirco semper animus quidem ad diversa properabat, tamquam aliena percurrens: at in opere honesto apud probas mentes, et actio reficit, et quod inde existit placet mirificè; et bene collocatas horas ducimus, quæ in hoc consumuntur; neque aliud requiem suadet, quàm fatigatio continua intentionis; nec mutare vellemus, si per eam liceret. Divus Hieronymus Paulam, nobilissimam feminam, ex Scipionum et Gracchorum gente, quæ etiam Agamemnonem illum principem Regum in stemmate ostendebat, discere vult lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fustum, stamina pollice ducere; Demetriadem quoque pari nobilitate atque opibus, habere jubet

la-

lanam in manibus, et vel staminis pollice fila deducere, vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusa vertere, aliarumque neta aut in globum colligere, aut texenda componere; fuit enim semper lanificium honestæ feminæ exercitamentum atque ars: Romanæ omnes, quum nubarent, fustum et colum cum lana ad mariti domum afferebant, postesque lana attingebant, et coronabant; quod illis religiosum fuit; tum super lanatam pellem sedere nova nupta jubebatur, ut disceret quid factura domi esset; hinc marito hæc dicebat verba: Ubi tu Cajus, ego Caja: fuit Caja Tanaquil Etrusca, summo loco nata, frugalissima mulier, ut si qua alia, Tarquinii Prisci Regis uxor, quæ lanificio maximam operam curamque adhibuit, ideo pro dea culta est, ejusque statuæ colus addita, pudicitæ et industriæ monumentum. Acclamabatur etiam in nuptiis creberrimè, *Thalassio*, ceu quis dicat, quasillum in quo reponitur lana, ut admoneretur operis sui nupta; itaque hoc agere, argumentum erat prudentis et pudicæ feminæ. Regii juvenes, quum orta super uxori- bus contentione Romam properè venissent, ceterasque regias nurus inter æquales convivantes, Lucretiam vero nocte sera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas, in medio ædium sedentem, deprehendissent, pudicitæ laus pænes eam omnium consensu mansit.

Redacto universo populi Rom. imperio in Augusti potestatem, ipse filiam et neptes suas lanificio voluit assuescere; idem Carolus Magnus fecit; Terentius, quum parcam et pudicam puellam describit, Lana, inquit, et tela victum quæritans; Salomon, in encomio sanctæ feminæ, lanam et linum quæsiisse illam dicit, et operatam consilio manuum suarum: nec referre puto, lana sit an linum; utrunque ad usus vitæ necessarios pertinet, et honestissima est feminarum occupatio: Anna, Helcane uxor, Samueli filio suis ipsa manibus tuniculas dicitur annuas confecisse: castissima Ithacensium Regina Penelope viginti annos, quibus Ulysses maritus abfuit, texendo fefellit: Reginæ Macedonum, et Epiri, vestes maritis, fratribus, filiis, parentibus, ipsæ propriis manibus contexebant et consuebant; e quibus aliquot Alexander Magnus Persicis Reginis ostendit, a matre

Romano-
rum mos.Caja Tana-
quil.

Thalassio-

Filii et pro-
pinqui Tar-
quini.Reginæ Ma-
cedonum et
Epiri.

et sororibus confectas: apud Hispanas veteres præmium fuisse certamini publicè propositum, tradunt rerum Scriptores, quæ plurimum nevisset, aut texuisset, idque statis temporibus iudicabatur, allatis in publicum operibus, honosque erat permagnus, ut quæque multum et industriè laborasset; manet hodieque idem studium frugalitatis in plerisque, et ostentatur diligentia operis; tum apud optimas quasque turpe est otiosam desiderare; Regina Isabella, Fernandi conjux, nere, suere, acu pingere quatuor filias suas doctas esse voluit; ex quibus duæ Lusitanæ fuerunt Reginæ, tertiam videmus Hispaniæ, Caroli Cæsaris matrem, quartam Britannæ, Henrici Octavi conjugem sanctissimam.

Culinaria. Discet ad hæc culinariam, non illam popinariam sordidam immodicorum ciborum, et quæ pluribus ministret, quam publici coqui tractant, nec voluptatis nimix, ac gulæ; sed sobriam, mundam, temperatam, frugalem, qua parentibus et fratribus cibos paret virgo, marito vero et liberis nupta; sic enim et ab illis, et ab his non exiguam initura gratiam, si non omnia in famulas rejecerit, sed ipsa suis manibus curarit, et concinnarit, quæ jucundiora erunt parentibus, viro, liberis, quàm a famulabus ministrata, atque eo magis, si ægrotent; nemini culinæ nomen sordeat, necessariæ, et sine qua nec ægri convalescimus, nec vivimus sani; quam nec Achilles, Rex, et Regis filius, et horum præstantissimus, fastidivit, ad quem quum Ulysses, et Ajax, et Phoenix venissent, de reconciliatione cum Agamemnone acturi, ipse paratis mensis præcinctus, culinam ac cibos curavit, optimos carissimosque sibi Principes convivio excepturus suavi, et sobrio: spectat id quoque ad frugalitatem, et munditias, nam præsentem domina, aut filiafamiliâs, omnia fiunt lautius, nitidius, adde etiam accuratius, minore sumtu: quæ ista est tanta manuum sollicitudo, aut tantum culinæ fastidium, ut ne interesse quidem, aut spectare sustineant quod esurus est carissimus, vel parens, vel conjux, vel etiam filius? Sciant quæ id agunt, fœdari magis manum si porrigatur alieno viro, quàm si intingatur fuligine; turpius esse conspici in chorea, quàm in culina; vilis taxillos aut lusoria folia sci-

Hispano-
rum mos.

Isabella Fer-
nandi ejus
quatuor fi-
liæ.

Achillis hu-
manitas.

scite tractare, quàm cibos; minus decere probam gustare in comessatione potum ab alieno viro traditum, quàm sorbitiunculam viro suo tradendam: hanc ergo artem mea callebit femina, quo magis omni ætate suos demereatur sibi, et quo tum rectius ac purius, tum minoris curatæ dapes ad mensam veniant: vidi ego et hinc, et in Hispania, et in Francia, qui convaluerint cibo ab uxoribus, aut filiabus, aut nuribus cocto, qui eas postea multo habuerint quàm antea cariores: vidi contra, exosas viris uxores, soceris nurus, patribus filias, quòd se artem negarint tenere instruendi epulas: atque adeo quòd viri in hac Belgica cauponentur sæpe ac multum, præcipuam esse causam autumo negligentiam et ignaviam feminarum in coquendis cibis, quæ cogit viros a domo abhorrere, et alibi quærere quod domi non inveniunt.

DE DOCTRINA PUELLARUM.

CAP. IV.

IN puella instituenda longè plus video adhibendum operæ, quàm vulgus hominum credat; natura humani corporis protinus ab sua origine proclivis est ad flagitia, in ea nutu suo fertur, sicuti est sacris oraculis proditum; propellunt eodem tot ubique occursantes mali, qui vel magistri sint vel auctores ad malitiam; quocunque te verteris, verba se et facta prava ingerunt oculis; perimus ingenio nostro ad malum vergente, perimus tot exemplis, tanta conspiratione contra bonum, et acerbissimam præter ceteras infligit plagam diaboli pugna capitalis; quòd si pro bono nihil adsit, non monita, non præcepta sapientiæ, et rectè vivendi; quid reliquum fiet misero homini ad extrema scelerum? Bene nobiscum ageretur si vel recti notitia a tot malis oppugnantibus nos posset tueri, nedum ut nudi et destituti a bonis consiliis salvi esse possimus: stulte dixi facere illos patres, qui liberos suos bonum et malum scire volunt; non minus et illi peccant, qui eos nec bonum scire patiuntur, nec malum: utinam inter tot malos transigere vitam possemus,

ma-

malitiæ ignari; sed bonum, si non tradas, nesciri potest; malum, etiamsi occultes, non potest celari, undique existit, et se profert, nec se in obscuro contineri patitur: sunt multis suspectæ doctræ feminæ, ceu malitiæ naturali accedat adjumentum astutæ eruditionis, quasi vero non et viri eadem conditione suspecti esse debeant, si astuta eruditio pravo ingenio addatur: sed doctrina, quam ego toti humano generi velim proponi, sobria est et casta, quæ instituat, et meliores reddat, non quæ ad pravas animi libidines vel armet, vel instiget, cujusmodi sunt, ut loquar de femina, præcepta vitæ, et exempla probitatis, quorum si peritia damnosa est, non video quomodo futura sit ignorantia utilis.

Feminam
qualis erudi-
tio deceat.

Quid ergo? vis tu filiam tuam malum callere, et bonum ignorare? quæ igitur ad scelus adducunt tenebit, quæ a scelere abducunt ignorabit? tam inique de scientia bonorum statuis, ut nocituram eam arbitrere, quum non noceat scientia pessimorum? Quum ergo a vitio invadetur cui assuevit, quod erit præsidium ab honestate, quam nullo modo novit? Quod si ista placet sententia, cur ad sacras conciones adducimus? cur docemus ipsi, castigamus, admonemus meliorum? præstabit credo rus seponere, et ingenium, si quod habent, debilitare, ac opprimere, denique belluas efficere ex hominibus, ita enim longius aberunt a doctrina. Quærit Aristoteles philosophus, cur tibicines, et musici, qui festis ac celebritatibus, mercede conducti, canunt, quos vulgus Græcorum Dionysiacos vocabat, voluptatibus semper dediti, nunquam ad bonam ullam frugem pervenirent, sed nequiter perditis moribus vitam omnem degerent? respondet hinc fieri, quod quum semper inter delicias et convivia versentur, nec unquam philosophiæ præcepta, quæ ad vitam sancte degendam pertinent, audiant, nec ullum, dum recte vivit, aspiciant, aliter vivere nesciunt quàm quomodo vel audiendo, vel videndo, vel usu didicerunt; nihil porro audierunt, nihil viderunt, aut consueverunt, nisi voluptuarium, et pecuinum, inter voces et clamores absonos, inter saltantes, osculantes, ridentes, edentes, potantes, vomentes, inter perfusos immodica læticia, et omni cura mentis morumque abjecta; hæc

ca-

eadem moribus et tota vita ut exprimant necesse est: mulierem non facile invenias malam, nisi quæ ignorat, aut certe non considerat, quantum sit bonum pudicitia; quantum scelus admittat, si eam perdat; quàm turpi, et levi, et momentanea voluptatis imagine quantum bonum commutet; quantum simul malorum agmen introducat, ejecta castitate; nec expendit quæ sit corporea voluptas, ut inanis et stulta res, et propter quam ne manus quidem esset vertenda, nedum ut illud abjiciat quo nihil esse potest in femina pulchrius, ac præstabilius; quàm leve ac vanum sit comi anxie, excoli, expoliri, magno ornari: quàm perniciosum, aliorum in se oculos et desideria convertere; nam quæ hæc et similia, vel naturali virtute ac bono mentis, vel ex litteris cogitare didicit, imbuto et munito pectore sanctis consiliis, nunquam ut turpe aliquid admittat, animum inducet, aut si inducat, retrahentibus a facinore tot probitatis præceptis, tot sanctis monitis atque adhortamentis, ex eo conjectura fieri potest, qualis esset futura, si nihil de honesto audivisset.

Ac nimirum si revolvere atque explicare superiores ætates libet, nullam fere inveniemus doctam, impudicam, immo vero pleraque omnia feminarum hujus, et superiorum seculorum, vitia (quæ sunt sane inter Christianas plura quàm unquam in ulla gentilitate aut Barbaria fuerunt) ex inscitia sunt profecta, quæ egregia illa sanctorum patrum monita de castitate, de solitudine, de silentio, de ornamentis et cultu muliebri, neque legerunt, neque audierunt; quæ si quo modo cognovissent, fieri non potest ut res esset in insolentiam hanc progressa adeo intolerabilem: illorum rationes, atque auctoritas, et erumpentia cohibuissent flagitia, et grassantia compressissent. Objiciet fortasse aliquis ex omni memoria gentiles, unam aut alteram; Sappho-

Mulier mala quæ.

Sappho.

Leontium.

Sempronia.

de

de Barbaris quoque: verum antequam id facio, de hisce tribus loquar: auctores habeo magni nominis, qui Sapphum Lesbiam lyricam doctissimam, non illam esse putent, quæ Phoenem deperierit, sed aliam, magna ut eruditione, ita continentia vitæ; tum Leontium non venit ad Metrodorum docta, sed illius domi eruditionem percepit, et ejus generis eruditionem, quæ ad mores minimum conferret, nempe Epicuream, omnia voluptate metientem, unde illi in Theophrastum rabies, qui voluptatem incesset; Semproniam doctrinam non fuit, quam nos probæ feminæ concedimus rerum moralium, et rationis vitæ bene agendæ, tantum erat sermonis cujusdam expolitoris cura, qua non ita multum laboris collocari volumus; idem poterat de Sappho responderi.

Cornelia.

Jam, si nos doctas acies explicarimus, prodibunt, Cornelia Gracchorum mater, quæ ipsa pudicitiam exemplar, filios suos edocuit, Lælia, Mutiæ, Porcia Bruti, quæ de Catonis patris sapientia copiose hausit, Cleobulina, Cleobuli unius ex Septem sapientibus filia, quæ tam dedita litteris et sapientiæ vixit, ut Venerem omnem aspernata, virgo permanserit; cujus exemplum secuta est Pythagoræ filia, quæ patris scholam eo mortuo rexit, virginumque choro præfecta est; ex eadem secta et disciplina Theano Metaponti nata, insignis etiam vaticinio, singulari splenduit castitate; Sibyllas decem Hieronymus virgines fuisse prodit; Cassandra, Cassandram itidem, et Crissem, vates Apollinis, ac Junonis, virgines legimus; id fere commune feminis vatibus fuit: Pythia Delphis non aliter quam virgo responsa consulentibus edebat, quarum prima, Pemonoe, heroici carminis inventrix fertur; Phemonoe. Sulpitiam Caleni præcepta de conjugio conscripsisse, significat Sulpitia. Valerius Martialis sed quæ ipsa prius vita sua expresserat: (1)

*Omnes, inquit ille, Sulpitiam legant puella,
Uni quæ cupiunt placere viro;
Omnes Sulpitiam legant mariti,
Uni qui cupiunt placere nuptæ;*

Cas-

(1) Epig. lib. 10. Epig. 33. v. 1.

*Castos hæc docet, et pios amores,
Lusus, delicias, facetiasque:
Cujus carmina qui bene æstimavit,
Nullam dixerit esse sanctiorem.*

Constat ætate illa nullum maritum Caleno fuisse feliciorem, Sulpitia uxore; Hortensia, Hortensii Oratoris filia, patrem ita effinxit dicendo, ut honestissima, et venerabilis femina, orationem ad Triumviros reipublicæ constituendæ habuerit pro sexu suo, quàm posterior ætas non modo in admirationem et laudem muliebris facundiæ, sed ad imitationem quoque legit, ut Ciceronis scripta, vel Demosthenis; Edesia Alexandrina, Syria- Edesia. ni philosophi propinqua, ingenti et doctrina et puritate morum, ævo suo miraculo fuit; Corinna Tanagræa, Archelodori Corinna. filia, adolescentula prudentissima, Pindarum vatem carminum certamine quinquies vicit; Theja Erinna, quæ Platonis ætate Erinna. nondum viginti annos nata fato concessit, Homerum majestate heroici carminis fertur æquasse, quum ille Apollini comparetur; Eunomia virgo Christiana, sicuti apud Hieronymum legitur, Eunomia. Nazarii Rhetoris filia, in eloquentia patri coæquatur; Paula, Paula. Senecæ mariti doctrina instructa, mores quoque æmulata est; Seneca idem Albinam matrem suam, sapientum præceptis mariti jussu imbutam tantum, non item eruditam dolet; Argentaria Polla, Lucani conjux, quæ marito mortuo Pharsaliæ opus Polla Ar- emendavit, etiam adjutasse in scribendo virum dicitur, insignis gentaria. genere, opibus, forma, ingenio, pudicitia: de qua sic Calliope apud Statium Lucano loquitur: (1)

*Nec solum dabo carminum nitorem;
Sed tædis genialibus dicabo
Doctam, atque ingenio tuo decoram,
Qualem blanda Venus, daretque Juno,
Forma, simplicitate, comitate,
Censu, sanguine, gratia, decore.*

Tom. IV.

L

Quin-

(1) Papinus Sylvar. Geneth. Lucani. lib. 2. v. 81.

Quinque filias Diodorus dialecticus habuit, illustres artibus, et pudicitia, quarum historiam Philo, Carneadis magister, persecutus est; Zenobiam, Palmyrænorum Regina, etiam græcè et latinè calluit, et historiam composuit: cujus, ut aliarum quarundam, incredibilis continentia, proximo a nobis libro red-detur. Quid Christianas loquar? an Teclam, Pauli discipulam, dignam tanto magistro discipulam? an Barbaram, edoctam ab Origene Adamantio? an Catharinam Alexandrinam, Costi filiam, quæ disputando maximos et exercitatissimos philosophos superavit? Cognominis ejus Catharina Senensis, virgo, doctissima monumenta ingenii sui reliquit, in quibus puritas illa sanctissimi animi relucet: nec nos gentilitati suas vates invidemus, quippe qui quatuor etiam in eadem habemus domo virgines vates, Philippi filias, Hieronymi temporibus, sanctæ omnes feminae, doctissimæ fuerunt; utinam illis nonnulli ætatis hujus senes Theologi eruditione pares essent! Scribit ad Paulam, ad Lætam, ad Eustochium, ad Fabiolam, ad Marcellam, ad Furiam, ad Demetriadem, ad Salvinam, ad Herontiam Hieronymus, ad alias Ambrosius, ad alias Augustinus, ad alias Fulgentius, suscipiendas omnes ingenio, litteris, vita; Valeria Proba, quæ virum unicè dilexit, Vergiliocentones de Christo Domino composuit; Eudociam Theodosii junioris, rerum scriptores non minus claram peritia rerum et probitate narrant, quàm imperio, cujus dicitur esse, qui circumfertur, Homerocenton; Hildegardis, Germanæ virginis, epistolæ, et eruditi libri sunt in manibus; ætas nostra quatuor illas Isabellæ Reginae filias, quas paullo ante memoravi, eruditas vidit; non sine laudibus et admiratione refertur mihi, passim in hac terra, Joannam Philippi conjugem, Caroli hujus matrem, ex tempore latinis orationibus, quæ de more apud novos Principes oppidatim habentur, latinè respondisse; idem de Regina sua, Joannæ sorore, Britanni prædicant; idem omnes de duabus aliis, quæ in Lusitania fato concessere; quibus quatuor sororibus nullæ, memoria hominum, mulieres sinceriore pudicitia, nullæ puriore ac integriore fama, nullæ populis suis gratiores atque amabiliores Reginae extiterunt, nullæ magis amarunt conjuges suos, nullæ obsequentius eis pa-

rue-

ruerunt, nullæ accuratius se ac suos omnes sine labe conservarunt, nullis magis fœditatis aut lascivia displicuit, nullæ absolutius et exactius numeros omnes probæ feminae impleverunt.

Crescentem Valentiae meæ video Menciam Mendozam, Marchionis Zeneti filiam, quæ olim (ut spero) celebrabitur; si Reginae post se de privatis feminis mentionem fieri paterentur, adderem huic numero Angelam Zabatam, civem meam, incredibili ad omnis generis litteras ingenii celeritate ac dexteritate, pudicitia ac prudentia singulari; tum Thomæ Mori filias, Margaritam, Elizabetam, Cæciliam, atque earum consanguineam Margaritam Gigiam, quas patet non contentus esse castissimas, etiam doctissimæ ut essent curavit, sic fore judicans ut verius firmissime essent castæ; in quo nec vir ille sapientissimus fallitur, nec alii qui idem censent, res enim est litterarium studium, primum quæ mentes hominum occupat totas, deinde in cogitationem attollit pulcherrimarum rerum, ut a turpitudinum cogitationibus avocet animos; et si qua talis cogitatio obrepit, vel eam statim præceptis ac consiliis bene vivendi munita mens pellit, vel aurem non præbet rei abjectissimæ ac spurcissimæ, quum alias ipsa purissimasque, solidas, et maximi decoris voluptates habeat, quibus ducatur: hinc puto Palladem, ingeniorum atque artium deam, Musasque omnes, virgines esse a vetustate existimatas. Nec a libidine solum abhorrebit pectus sapientiæ deditum, hoc est, a fuligine res candidissima, et a maculis mundissima, sed a levibus quoque et nugacibus oblectamentis, quibus leves puellarum tentantur animi, velut a saltationibus, cantiunculis, et lusibus ejuscemodi lascivis, ac ineptis: Nunquam, inquit Plutarchus, saltationibus se mulier recreabit litteris addicta. Sed quænam sint istæ litteræ, quibus femina formabitur? quæret aliquis, et quas imbibet? initio disputationis hujus id attingi: sapientiæ studia, quæ mores ad virtutem fingant; studia sapientiæ, quæ rationem doceant optimè et sanctissimè vivendi: de eloquentia nihil sum sollicitus; non indiget eâ mulier, probitate ac sapientia indiget; nec turpe est feminam tacere, fœdum, et abominandum, non bene sapere, male vivere; sed nec protinus eloquentiam

Mencia
Mendoza.Angela Za-
bata.Thomæ Mo-
ri filia.Pallas et
Musæ virgi-
nes.Studia Sa-
pientiæ.

in hoc sexu improbarim, quam Quintilianus, et hunc secutus Divus Hieronymus, laudatam in Cornelia Gracchorum matre perhibent, et in Hortensia Q. Hortensii filia, et in Eunomia Nazarii filia: si feminam aliquam invenire sit sanctam, et doctam, quæ erudiat, hanc malim; sin minus, virum deligamus vel grandævum, vel certe optimum et probatissimum, neque hunc cœlibem, sed cui uxor sit, et quidem nec deformis, et cara; ita demum in alienas minimum exardescet: neque hæc fuerunt prætermittenda, quum in educanda femina potissimam, ac nescio an solam, curam vendicet pudicitia.

Quum docebitur legere, ii libri sumantur in manus, qui mores componant; quum scribere, ne sint otiosi versus qui ad imitationem proponuntur, nec lasciva quæpiam aut vana cantiuncula, sed grave aliquod dictum, prudens et sancta ex litteris Sacris aut philosophorum monumentis sententiola, quam sæpius scriptam, tenacius memoriæ affigat: et in dicendo quidem, nullum, ut viro, sic neque feminæ finem statuo, nisi quod virum plurium ac variarum cognitione rerum instructum esse par est, quæ et ipsi prosint et reipublicæ, tum usu, tum etiam eruditione in alios transfundenda, et propaganda, mulierem totam esse volo in ea parte philosophiæ, quæ mores sibi formandos sumpsit, ac meliores reddendos; ad hoc, sibi uni discat, vel ad summum liberis pueris adhuc, aut sororibus, in Domino, neque enim scholis præfici feminam decet, nec inter viros agere, aut loqui, et verècundiam pudoremque vel totum, vel magna ex parte in publico deterere primum, hinc paullatim excutere, dum alios docet; quam, si proba sit, domi sedere potius, et aliis incognitam esse convenit, in cœtu vero, demissis oculis, pudibundam tacere, ut videant quidem eam sane nonnulli, audiat nemo; Apostolus Paulus, vas electionis, ecclesiam Corinthiorum sanctis præceptis instruens, *Mulieres*, inquit, *vestrae in ecclesia tacento, neque enim permittitur illis loqui, sed subditas esse, ut lex jubet, si quid vero cupiunt discere, domi viros proprios interrogent*: et Timotheo discipulo suo sic scribit: *Mulier in silentio discat, cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque auctoritatem habere in viram, sed esse in silentio*: Adam

Silentium feminæ.

enim

enim primus fictus est, deinde Eva; et Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit; itaque, quoniam infirmum animans est femina, et iudicio invalido, quodque falli est in proclivi, (quod ostendit parens hominum Eva, quam levi argumento cepit diabolus) idcirco docere illam non oportet, ne quum sibi falsam de re aliqua opinionem persuaserit, auctoritate docentis in auditores transfundat, et alios quoque in errorem suum facile pertrahat, nempe ultro doctorem sequentibus discipulis: non excidit mihi quasdam esse de feminis parum idoneas percipiendis litteris, utique sicut inter viros; harum non est abjicienda cura; exhibendum sermone, quod scripto non potes; et a doctis aliis, sui æqualibus, discant, sive dum illæ legunt, sive dum ea referunt quæ legerunt.

QUI NON LEGENDI SCRIPTORES,

QUI LEGENDI.

CAP. V.

SANCTUS Hieronymus ad Lætam de Paula instituenda scribens, sic præcipit: *Nihil discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet*: haud dubium, quin idem de lectione consulturus; invaluit consuetudo, quavis gentilitia pejor, ut vulgares libri, qui in hoc scribuntur ut ab otiosis, tum vitis, tum feminis, legantur, nullam habeant aliam quam de bellis, aut amoribus, materiam; de quibus libris ne præcipiendum quidem puto, si modo inter Christianos verba facimus: quid ego quanta sit ea pestis dicam, quum igni stipulæ, et arida subjiciuntur ligna? At scribuntur hæc otiosis; ceu vero non satis per se magnum sit vitiorum omnium fomentum otium, nisi et faces subdantur quibus ignis hic cunctum simul hominem valide corripiat, et exurat! Quid puellæ cum armis quæ ipsi vel nominare dedecus est? Narrant mihi quibusdam in iocis morem esse, ut puellæ nobiles ludicra armorum avidissimè spectent, etiam de armis, deque viris fortibus iudicium ferant, viri vicissim illarum censuram plus reveantur, pluris faciunt, quam

quàm virorum ; non facile animus est pudicus , quem ferri , et lacertorum , et virilis roboris cogitatio occupavit ; quis inter hæc inermi , et imbelli , atque imbecillæ pudicitiae locus relinquitur ? Femina quæ illa meditatur , venenum pectore imbibit ; cujus hæc cura , hæc verba , apertissima indicia sunt : lethalis est hic morbus ; nec detegendus tamen a me , sed obruendus , atque opprimendus , ne alias , et odore offendat , et contagio inquinat ; arma igitur , quum Christianum virum tractare , nisi in acerrima atque inevitabili necessitate , fas non sit , spectare feminam fas erit ? et , si non manibus , certe , quod gravius est , animo et corde versare ? Deinde , quid mihi amores alienos legis ? et blanditias et veneni illectamenta sensim hauris ignara , et plerunque videns ac prudens , quum nonnullæ , in quibus nihil jam superest bonæ mentis , ad hæc legenda veniant , ut ejusmodi se se amatorii cogitationibus suavissimè pascant ? Has non modo præstaret nunquam didicisse litteras , sed perdidisse etiam et oculos ne legerent , et aures ne audirent : quanto has satius esset cæcas , et surdas , ut Dominus in Evangelio dicit , ingredi in vitam , quàm cum geminis oculis auribusque mitti in gehennam ignis ?

Hæc puella usque adeo Christianis turpis est , ut etiam Barbaris esset pudenda , ac detestanda : quo magis miror sacros concionatores , quum plerunque res minutas maximis tragediis exagitant , hoc singulis concionibus non clamare : miror cordatos patres hoc suis filiabus permittere , maritos concedere , mores et instituta populorum dissimulare , ut nequitiae assuescant feminæ legendo : decet humanas leges , et magistratus , non fora solum , et lites spectare , sed mores quoque , et publicos et privatos : itaque conveniret , libidinosa carmina et spurca , de vulgi ore per leges tolli , ceu vero cani in civitate nihil debeat nisi fœdum , et quod audire nemo probus queat sine pudore , nemo sapiens sine indignatione ? ut videantur , qui ejusmodi cantiunculas componunt , nihil laborare magis , quàm ut publicos juventutis mores corrumpant , non secus ac qui publicos fontes venenis inficiunt : quis hic est mos , ut cantio non existimetur , quæ vacet turpitudine ? Hoc ergo curare le-

Cantiunculae turpes.

ges

ges et magistratus congruit. Tum et de pestiferis libris , cujusmodi sunt in Hispania Amadisus , Splandianus , Florisandus , Tirantus , Tristanus , quarum ineptiarum nullus est finis ; quotidie prodeunt novæ ; Cœlestina læna , nequitiarum parens , carcer amorum : in Gallia Lancilotus a lacu , Paris et Vienna , Pontus et Sydonia , Petrus Provincialis et Magvelona , Melusina , domina inexorabilis : in hac Belgica Florius , et Albus flos , Leonella , et Cana morus , Curias et Floreta , Pyramus et Thisbe : sunt in vernaculas linguas transfusi ex latino quidam , velut infacetissimæ facetiæ Poggii , Euryalus et Lucretia , Centum fabulæ Boccatii ; quos omnes libros conscripserunt homines otiosi , male feriat , imperiti , vitiis ac spurcitiae dediti ; in quibus miror , quid delectet , nisi tam nobis flagitia blandirentur ; eruditio non est expectanda ab hominibus , qui ne umbram quidem eruditionis viderant ; jam quum narrant , quæ potest esse delectatio in rebus , quas tam apertè et stultè confingunt ? hic occidit solus viginti , ille triginta ; alius sexcentis vulneribus confossus , ac pro mortuo jam derelictus , surgit protinus , et postridie sanitati viribusque redditus , singulari certamine duos Gigantes prosternit ; tum procedit onustus auro , argento , serico , gemmis , quantum nec oneraria navis posset portare.

Quæ insania est , iis duci , aut teneri ? Deinde argutum nihil est , præter quædam verba ex penitissimis Veneris scriniis deprompta , quæ in tempore dicuntur ad permovendam , concutiendamque , quam ames , si fortè sit paullo constantior : si propter hæc leguntur , satius erit libros de arte lenonia (sit honos auribus) scribi ; nam in aliis rebus arguta quæ possunt proficisci ab Scriptore omnis bonæ artis experte ? Nec ullum audivi affirmantem illos sibi libros placere , nisi qui nullos attigisset bonos ; et ipse interdum legi , nec ullum reperi vel bonæ mentis , vel melioris ingenii , vestigium ; nam eis qui ejusmodi laudant , quorum ipse quosdam novi , ita demum fidem habebō , si id dixerint postquam Senecam , aut Ciceronem , aut Hieronymum , aut Sacras litteras degustarint , moribus quoque fuerint non omnino corruptissimi , nam plerunque ea sola est laudandi causa , quod in illis , ceu

Libri pestiferi qui.

in

in speculo, mores suos contemplantur, et approbari gaudeant: Postremo, etsi essent acutissima, si jucunda, nolim tamen voluptatem veneno illitam, nec exacui feminam meam ad flagitium; profecto ridenda est maritorum dementia, qui permittunt suis uxoribus ut ejusmodi legendis libris astutius sint pravae: quid de ineptis et imperitis Scriptoribus loquar, quum acutissimos, juxta et doctissimos, poëtas, Græcos, Latinosque, qui amatoria cecinerunt, vetet Ovidius attingi ab eo, qui mores impudicos fugiat? Quid dici potest Callimacho, Philetæ, Anacreonte, Sappho, Tibullo, Propertio, Cornelio Gallo, poëtis, jucundius, dulcius, suavius, argutius, omni eruditionis genere excultius, atque expolitius? quorum ingenium et Musas tota Græcia, tota Italia, totus orbis admiratus est? et tamen rejiciendos castis præcipit, inquam in secundo libro de Remedio amoris: (1)

*Eloquar invitus, teneros ne tange poëtas:
Summoveo dotes impius ipse meas.
Callimachum fugito, non est inimicus amori,
Et cum Callimacho tu quoque Cœe noces.
Me certe Sappho meliorem fecit amica,
Nec rigidos mores Theia Musa dedit.
Carmina quis potuit tuto legisse Tibulli?
Vel tua, cujus opus Cynthia sola fuit?
Quis potuit lecto durus discedere Gallo?*

ad postremum se quoque vitari jubet:

Et mea, inquit, nescio quid carmina tale sonant.

Sonant certe, et ea de causa a bono Principe in exilium meritissimum ad Getas expulsus es; in quo subit admirari severitatem, vel seculi, vel Principis illius.

Vivimus in civitate Christiana, quis hodie auctori similium carminum vel leviter succenset? succenset vero? quis non

(1) Lib. 2. v. 361.

non amplectitur, non favet? Pellit Plato ex republica, quam instituit bonorum hominum, Homerum, et Hesiodum poëtas; at hi quid turpe habent præ arte amandi Ovidii, quæ a nobis legitur, habetur in manibus, teritur, ediscitur? Sunt magistri, qui suis discipulis prælegant; sunt qui, editis commentariis, nequitiae viam aperiant; videlicet Ovidium Augustus relegavit, et hos Ovidii interpretes in civitate retinisset? nisi plus esse credimus scripsisse turpia, quam explicare, et nova adolescentiæ pectora tam honestis fecundare seminibus: exul est, qui pondera, qui mensuras fraudavit; exurit, qui adulteravit numum, qui falsavit instrumentum; in rebus parvis qui tumultus? et honoratus est in civitate, atque etiam magister sapientiæ, corruptor juventutis? Feminæ igitur hi omnes libri non secus quam vipera vel scorpius aversandi sunt; si qua est, quæ sic horum librorum teneatur lectione, ut ponere de manibus nolit, huic non modo illi extorquendi sunt, sed si ægrè ac invita meliores evolvit, danda opera vel a parentibus, vel ab amicis, ut nullos legendo, litteras desuescat, et (si fieri potest) dediscat penitus; consultius est enim, bona re carere, quam malè uti: proba femina nec tales libros in manus sumet, nec spurcis cantiunculis os suum contaminabit, et quantum præstare poterit efficiet ut aliæ similes sui sint bene agendo simul et bene monendo; adde his etiam, jubendo et præcipiendo, si hoc ei liceat.

Porro quinam libri sint legendi (nam hoc quærat aliquis) de quibusdam nemini non constat, velut de evangeliiis Domini, de Apostolicis tum actis, tum epistolis, de historicis et moralibus veteris instrumenti, de Cypriano, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, Hilario, Gregorio, Boëtho, Fulgentio, Tertulliano, Platone, Cicerone, Seneca, et similibus; super quibusdam consulendi sunt docti et cordati viri, nec temerè suum judicium sequetur femina, nec leviter disciplinis et litteris intincta, falsa pro veris, perniciose pro salubribus, inepta et stulta pro gravibus, et approbata admittat; erit omnino sciendi cupida ut rectius vivat, in judicando autem meticolosa; nec de dubiis pronuntiabit, sed tenebit ea quæ

Libri femi-
næ legendi
qui.

Poëtae femi-
nis legendi
qui.

vel ecclesiae auctoritate videbit approbata, vel consensu optimorum; et meminerit semper, ac recolet, non de nihilo esse quod Paulus docendi aut loquendi in ecclesia munere feminis interdixit, sed subdi viris, et tacitas quae opus sit addiscere: neque vero poëtis carebit, si capiatur numeris; aderunt Prudentius, Arator, Prosper, Juvencus, Paulinus, qui non multum antiquis concedant: inveniet profecto in auctoribus, lectu dignis, omnia acutiora, pleniora, majoris et certioris voluptatis, pastum denique animi jucundissimum, quae omnia tum vitae prosint, tum animum mentemque mira delectatione perfundant; itaque festis diebus assiduo, et profestis interdum, legenda vel audienda sunt, quae mentem in Deum extollant, quae pectus in quietem Christianam componant, quae mores meliores reddant; optimum erit, antequam ad rem sacram exeas, evangelium domi et epistolam ejus diei legere, addita, si habes, expositiuncula; sacris operata, ubi domum redieris, remque familiarem curaris si qua ad te illius spectat cura, sedato et tranquillo animo aliquid ex illis legere, quae diximus, si modo scis legere, sin nescis, audire; profestis aliquot diebus idem agito, praesertim si aliis operibus domi necessariis non impederis, magis etiam, si libri sint ad manum, maxime, quum intervallum est inter festa solito majus: cave credas ferias esse ab ecclesia institutas, ut ludas, ut otiosa confabuleris cum aequalibus, sed ut tum demum intentius, et tranquilliore mente de Deo cogites, de vita hac nostra brevissima, deque illa in caelis sempiterna.

Feriae cur
instituta.

DE VIRGINITATE.

CAP. VI.

Virginitas
quid.

Tanta est virginitas, tamque admirabilis, ut pauca de illa dici nec possint, nec debeant; nos tamen institutam brevitatem obtinebimus, ut qui recordamur praecipuos esse nos, non praecones: virginitatem voco, integritatem mentis, quae etiam in corpus dimanet, integritatem porro ab omni corruptione,

ac

ac contagio; hujus generis vita nulla est caelesti similior, illic enim, abrogata lege carnis, tamquam Angeli Dei erimus, nihil jam deinceps a sexu sentientes; ubi nullae nec virorum erunt nec feminarum nuptiae. Quid inter res conditas, vel purius est angelicis mentibus, vel a sexu et commistione generationis, et corporis servitute liberius? quid inter homines magis hoc exprimit quam virginitas? Ceterum puritatis hujus ac sinceritatis praecipua pars, ac prope tota, in animo est sita, in quo et fons virtutum omnium; nam corpus terrenum, ac brutum, administrum est solum nostrae voluntatis, neque illud spectat Deus, aut curat, alienissimum a se, sed mentem, naturam sibi similem, et quadamtenus propinquam; quapropter quae contaminato animo corpus integrum servant, virginitatis sibi vel nomen stulte arrogant, vel laudem: hujusmodi Dominus in evangelio suo virgines appellat fatuas, quae non aliter virgines sunt, quam mortuae, vel depictae; quid enim fatuum, nisi quod saporem naturae non resipit? Virgo fortassis hominibus fuerit, qui oculis carnis carnem intuentur: Deo profecto non erit, qui spiritus spiritu cernit. Quid, quod ne hominibus quidem est pro virgine? Declamator ille de seculo, incestam esse eam pronuntiat, etiam sine stupro, quae cupit stuprum: si quae contagium in se hominis admittit, virginitatis amittit decus, et nomen, quae diabolis prostituta est, quomodo poterit virgo Christi nominari? quae conventio Christi ad Belial? quid purissimo Deo cum animo impuro? Nec immerito discessum a Deo Sacrae litterae fornicationem appellant, quod animus noster castitatem suam, uni Deo debitam, adulteris prostituit: recte Fulgentius: *Virginitatem, inquit, carnis per hominem nititur diabolus praeipere, cordis vero virginitatem per se ipsum conatur auferre.*

Fatae vir-
gines quae.

Illuc ergo admovenda sunt validiora praesidia, quo majus periculum incumbit; mens est diligenter munienda, ne in virgineo sit corpore violata, ut omnes divitiae, omnis pulchritudo integritatis ibi firma atque inexpugnabilis perduret: Filia Regis, in Psalmo quadragesimo quarto, etiam si ornata aureis fimbriis, et circumamicta varietate, tamen gloriam omnem

M 2

in-

introrsum convertit: *Hæc est ecclesia universa*, de qua Augustinus ait, quod desponsata est uni viro Christo, sicut Paulus ad Corinthios scribit: quanto igitur digna sint honore membra ejus, quæ hoc custodiunt etiam in ipsa carne, quod tota custodit fide? quæ imitantur matrem viri et domini sui? nam ecclesia quoque virgo et mater est: sic Augustinus: ejusmodi virgines merito, quod Fulgentius scribit, *A virtute nomen accipiunt; istis unigenitus Dei filius, unigenitus etiam virginis filius, sponsus est, sanctæ virginitatis fructus, decus, et munus, quem corporaliter sancta virginitas peperit, cui spiritualiter sancta virginitas nubit, a quo sancta virginitas fecundatur ut perseveret intacta, a quo donatur ut permaneat pulchra, a quo coronatur ut regnet perenniter gloriosa: tantum Fulgentius: O felicem vitæ conditionem, que jam nunc in hoc mortali corpore meditatur quod futuri sumus in æternitate; quæ in Christo patrem habet, et sponsum, et filium, ne nihil in illo sit, cujus ad virginem jus non pertineat! Sed tu sponsa es Christi per integritatem mentis, vide ut majore sollicitudine ad custodiam hujus excubes quàm corporis; ut hanc quidem serves, multum est operæ ponendum, sed ut illam, multo plurimum, sive ut rectius loquar, universum: quantumcunque vales, oculos et aures claude, qua ingressus machinis diaboli oppugnantis; cogitatus rege, et habe in tua potestate, ne arcem animi tui prodant prava aliqua dulcedine illecti, ac venditi: nec exigua res est virginitas corporalis, quam omnes gestant in oculis, vel impudicis quoque hominibus reverenda, ut non injuria poëtæ fabulentur, Majestatem in terras delapsam, ipsis quoque virginibus non aliter assistere, quàm Regibus et magistratibus; inter deos ipsos gentilium, alioqui spurcissimos, Cybelen, quam illi omnes vocabant matrem, virginem fuisse volunt; Diana deis gratiosissima, quod perpetuæ se virginitati consecravit; Minervam tria eximia suspiciendam reddebant, virginitas, fortitudo, sapientia, et de Jovis cerebro (quem illi maximum, Principemque existimabant, et patrem deorum ac hominum) nata fingeant, unde nefas erat oriri quicquam, nisi purum, castum, sapiens, magnum planè et admirandum; ita conjunctam putabant sapientiæ virginitatem, ut eundem septenarium numerum et castitati et sapientiæ dicarint, tum Musas*

Virgines a virtute.

Ovidius. Virginittatis honores.

om-

omnes, scientiarum præsides, virgines esse perhibuerint.

In templo Delphici Apollinis sapientissima femina, quæ a flatu divino plena, consulentibus futura præcinebat, virgo semper fuit, quam vulgo Pythiam cognominabant; omnes etiam Sibyllas, quas Varro decem numerat, Hieronymus virgines fuisse perhibet; Romæ templum fuit Vestæ, cui a virginibus ministrabatur, quas Vestales vocabant, iis assurgebat cunctus Senatus, his magistratus omnes de via decedebant, maximoque in honore fuerunt apud totum populum Romanum. Semper sacra ac venerabilis res castitas fuit, et potissimum virginitas, etiam inter latrones, sacrilegos, facinorosos, nefarios homines, inter feras quoque bestias tuta et reverenda; *Tecla*, inquit D. Ambrosius, *naturam bestiarum virginittatis veneratione mutavit*: tantum habet virginittas admirationis, ut eam vel leones mirentur ipsi: quanti igitur æstimanda ea res est, quæ feminas sæpenu-mero ab Imperatoribus, a tyrannis, a magnis exercitibus vendicavit ac tutata est? legimus raptas plerunque feminas dimissas esse ab insolentissimis militibus, tantum respectu virginalis nominis, quod videlicet virgines se esse affirmassent, nefas enim existimabant propter brevissimam, et momentaneam delectationis umbram, tantum bonum imminuere, malebatque unusquisque tanti facinoris auctorem quemvis potius esse, quàm se: O nefariam puellam, et vita indignam, quæ se ultro eo privat bono, quod rapere milites, omnibus scelerum generibus assuefacti, reformidant! vel amatores ipsi, ardore cæci, furore amentes, cunctantur; nullus est enim amans tam perditus, cui si succurrat virginem esse, quam deperit, non expergiscatur, non oculos aperiat, non sumat judicium, non deliberet quid sit acturus, et de mutanda mente consultet: usque adeò expavent omnes tanti precii bonum tollere, quod postea nec retinere ipsi possunt, nec reddere, quum tamen nihil ipsis depereat, scelerata puella non contremiscit id perdere, quod perditum semel, recuperare in posterum nulla ratione valeat, quum maximum quod habebat bonum, ipsi pereat? Et si affectus aliquid valent, ut valere plurimum par est justos præsertim et honestos, vertat se quoquo volet puella, amissâ pu-
di-

diciam, omnia inveniet, suam causam, tristia, moesta, lamentantia, lugentia, irata sibi, et infesta: quis dolor consanguineorum, quum se omnes dehonestari sentiunt unica puellae illius turpitudine? quis moeror? quae lacrimae parentum, et nutritorum? haec gaudia rependis pro tot sollicitudinibus, tot laboribus? estne hoc praemium educationis? Quae detestatio familiarium? qui sermones vicinorum, amicorum, notorum, execrantium sceleratam juvenem? quae irrisio? quae fabulae aemularum virginum? quae aversio amicarum? quae undique fuga, et solitudo, quum unaquaque mater, non filias modo, sed etiam filios, contagio tam pravae atque impurae mentis procul areet? Quid, quod etiam proci, si quos habebant, discedunt? et qui prius amorem simulabant, nunc aperte oderunt? interim etiam detectis verbis exprobrant scelus, ut mirer posse puellae, quae haec videat, non dico vitam jucundam esse, sed omnino ullam esse, et non protinus moerore contabescere?

Jam quid dicam odia, et iras omnium, quibus scimus a multis patribus jugulatas esse filias, a fratribus sorores, a tutoribus pupillas, a consanguineis consanguineas? Hippomenes, Atheniensium princeps, quum filiam vitiatam a quodam deprehendisset, eam cum equo ferocissimo in equili sine cibo conclusit; equus, quum diu inedia tolerasset, naturae etiam truculentia versus in rabiem, puellam dilaniavit ut se pasceret: Pontius Aufedianus, Romae, ubi filiam suam Fannio Saturnino a pedagogo proditam comperisset, et servum et filiam interemit: Publius Attilius Filiscus, filiam, quod se stupri foeditate contaminaverat, trucidavit: inventus est in eadem urbe L. Verginius, Centurio, qui filiam integram amittere maluerit, quam habere vitiatam, ideo Verginiam suam unicam, carissimam, ne Decemviri libidini servire cogeretur, quando alia nulla re poterat, cultro et oblatam morte vendicavit: Patrum memoriâ in Hispania Tarraconensi duo fratres, quod sororem, quam virginem credebant, ferre uterum deprehendissent, dolore quousque enixa esset dissimulato, et cohibito, simul foetum utero emisit, inspectante obstetrice, gladiis in ventrem adactis confecerunt: in eadem Hispaniae parte, me puero,

tres

tres virgines sodalem puellam, quam in obsceno facinore deprehenderant, praelargo linteo praefocarunt: plena est exemplorum historia, plenus vitae communis usus: nec mirum est haec a patribus et necessariis designari, et in tantum odium caritatis affectum subito mutari, quum ipsae, abominando et saevo amore actae, omni prorsus ex pectore ejecta pietate, parentes, fratres, filios etiam oderint, non tantum amicos, et familiares: atque haec non solas puellas velim de se dicta existimare, sed maritos quoque, et viduas, omnes in summa feminas.

Jam vertat se ad se ipsa femina, et suum scelus consideret; ipsa se formidabit, atque exhorrebit, nec noctibus nec diebus quiescet, exagitata semper conscientiae flagello, et incensa velut facibus ardentibus; a nemine intentius conspicietur, quin eum aliquid de suo facinore scire vereatur, eique tunc venire in mentem; nemo summissius loquetur, quin de suo scelere loqui illum putet; non audiet sermonem de nefariis feminis, quin propter se suspicetur dici; non audiet nomen corruptoris, etiam in quovis alio, nominari, quin oblique se peti metuat; nullus strepet occulte domi, quin palam factum scelus suum paveat, et se jam jam punitum iri, serviendum est iis omnibus, quos aliquid suspicetur suspicari; demisse agendum, et abjecte, ne si quid paullo vel liberius dicet, vel erectius agat, continuo obijciatur illi dedecus suum; semper consternata, semper exanimata vivet, immo non vivet, sed privabitur morte corporis, quum toties animo enecetur: quae regna velles hoc perpetuo cruciatu emta? hunc viri conscelerati patiuntur, sed feminae longe acerbius, quo foediora sunt omnibus earum delicta, et natura est meticulosior: ac nimirum si quis expendat accuratius, dignae sunt tum iis malis, tum etiam pejoribus, feminae, quae parum diligenter pudicitiam custodiunt; nam viro multa sunt necessaria, prudentia, eloquentia, peritia reipublicae, ingenium, memoria, ars vitae aliqua, justitia, liberalitas, magnanimitas, et alia, quae omnia longum esset persequi; horum aliquid si absit, minus videtur culpandum, si modo adsint nonnulla; at in muliere nemo vel eloquentiam requirit, vel ingenium, vel prudentiam, vel artes vitae, vel administrationem reipublicae, vel

vel justitiam, vel benignitatem, nemo denique quicquam aliud præter pudicitiam; quæ sola si desideretur, perinde est ac si viro desint omnia, quippe in femina, pudicitia instar est omnium: ignavus et iners custos est, qui unicam rem commissam, et fidei suæ creditam, multisque commendatam verbis et anxie, nequit custodire, præsertim ubi nemo extorturus est invito, ac ne nolenti quidem tacturus: id unum femina si cogitarit, attentior erit, et cautior custos suæ pudicitiae; qua una, ut salva, cetera ipsi omnia in tuto sunt, ita perdita, universa semel cum ea pereunt: *Quid enim salvi est mulieri, amissâ pudicitia*, inquit Lucretia? cui tamen animus castus erat in corpore inquinato; idcirco, *condito in viscera sua ferro*, ut Quintilianus inquit, *pœnam necessitatis exegit, ut quamprimum pudicus animus a polluto corpore separaretur*: non quod factum imitandum proponam, sed mentem, ut nihil mulieri restare credas, quæ pudicitiam abjecit; adimas feminæ formam, genus, opes, venustatem, eloquentiam, acumen ingenii, peritiam suarum artium, addas tamen castitatem, omnia cumulatissimè dedisti; contrà, largiaris plena manu illa omnia, et dicas impudicam, hoc uno verbo detraxisti omnia, nuda relicta est, et detestanda: sunt alia, tum ex corpore, tum etiam ex animo, quæ ad curam pudicitiae feminas adjuvent: de quibus nunc loquar.

QUOMODO VIRGO CORPUS TRACTABIT.

CAP. VII.

Quamquam non erat propositi hujus de corpore loqui, quia quædam tamen, quæ in animo sunt ex habitu et ratione corporis, interdum si non reguntur, certe inficiuntur, idcirco de corporis virginei cura nonnulla erunt dicenda. Primum omnium illud parentibus consulendum duco, quod Aristoteles in *Historia animalium*, ut filias, ineunte pubertate, maximè custodiant, arceantque ab omni virorum congressu; eo tempore proniores esse in libidinem; ipsæ quoque puellæ, cum omni alio tempore, tum hoc in primis, ab omni occasione seu vi-

den-

dendi, seu audiendi, seu etiam cogitandi turpium, debent se se abducere, in quod per reliquam nihilominus ætatem dabunt operam; et ante connubium crebriora jejunia proderunt, quæ non debilitent quidem corpus, sed refrenent, et comprimant, restinguantque juventutis incendia, nam hæc demum sunt vera et sancta jejunia: victus sit facilis, ac parabilis, nec efficacia Victus. calidus; cogitandumque, et primam illam matrem propter cibum ejectam ex Paradiso, et multas juvenes delicatis cibis assuefactas, quum illos domi non haberent, foris cum naufragio pudicitiae quæsivisse: potus erit ille a natura in commune Potus. paratus, liquida et pura aqua: *Vini usus*, inquit Valerius Maximus, *olim Romanis feminis ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero patre intemperantiæ gradus ad concessam Venerem esse consuevit*; aquam vero si non feret stomachus, dandum erit paulum cervisiæ, aut vini, quantum sat erit ad concoquendum cibum, non ad corpus inflammandum; nec id solum ad amores, et corporis lasciviam, petulantiamque coërcendam juvat, sed ad firmiorem quoque valetudinem.

Apud Hieronymum Furiae scribentem, sic legimus: *Ajunt medici, et qui humanorum corporum scripsere naturis, præcipueque Galenus in libris περὶ ὑγιεινῶν, puerorum, et juvenum, ac perfectæ ætatis virorum, mulierumque corpora insito calore fervere, et noxios illis esse cibos ætatibus, qui calorem augeant, sanitatque conducere frigida quæque in esu et potu sumere; sicut e contrario, senibus, qui pituita laborant, et frigore, calidos cibos et vetera vina prodesse; unde et Salvator: Attendite, inquit, vobis ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ: et Apostolus: Nolite inebriari vino in quo est luxuria: nec mirum hoc figulum sensisse de vasculo, quod ipse fabricatus est, quum etiam Comicus, cujus finis est humanos mores nosse, atque describere, dixerit: Sine Cerere et Libero friget Venus. Primum igitur, si stomachi firmitas patitur, donec puellares annos transeas, aquam in potu sume, quæ natura frigidissima est, aut si hoc imbecillitas prohibet, audi cum Timotheo: Vino modico utere, propter stomachum, et frequentes tuas infirmitates: deinde in ipsis cibis calida quæque evita; non solum de carnibus loquor, super quibus Vas electionis profer sententiam: Bonum est vinum non bibere, et carnem non*

Tom. IV.

N

man-

manducare: sed etiam ipsis leguminibus, infantia quæque, et gravia, declinanda sunt: et paullo ante: Quid ergo necesse est nos jactare pudicitiam, quæ sine comitibus, et appendiciis suis, continentia et parcitate, fidem sui facere non potest? Apostolus macerat corpus suum, et animæ subjicit imperio, ne quod aliis præcipit, ipse non servet, et adolescentula, fervente cibus corpore, de castitate secure est? Neque vero hæc dicens, condemno cibos, quos Deus creavit ad utendum cum gratiarum actione, sed juvenibus, et puellis, incentiva aufero voluptatum; non Ætnæ ignes, non Vulcania tellus, non Vesuvus, et Olympus tantis ardoribus astuant, ut juveniles medullæ vino plene, et dapiibus inflammate: hæc omnia ex Divo Hieronymo: quæ adduxi, ut sciretur quid magister ille continentia sentiret, qui etiam Salvinæ præcipiens, mavult valetudinem corporis quàm animi periclitari, dicens: Multo melius est stomachum dolere, quàm mentem, imperare corpori, quàm servire, gressu vacillare, quàm pudicitia.

Vir sanctissimus Gregorius Nazianzenus, Hieronymi magister, virginem suam pane vult famem placare, et sitim aqua; Hilario monachus, quum in eremo etiam tenuissimo victu vix se sustentans, titillari se tamen nonnunquam a libidine sentiret, jejuniis corpus suum macerabat, dicens: Domabo te, concupiscentia, ut de cibo cogites, non de voluptate; et hæc quidem dicunt discipuli Christi, socii Pauli, dediti sobria et castæ religioni, quippe qui sciunt sanctorum hominum alimenta, etiam missa divinitus, tenuia et simplicia fuisse, quæ satisfacerent naturæ citra delicias: Elisæus se ac filios prophetarum agrestibus alebat oleribus, et amarum cibum dulcorari farina jubet, non melle, aut saccharo: idem milites, quibus in Samaria luminum usum ademerat, excipi jubet convivio panis et aquæ: Joannes Baptista, destinatus Christi metator, et instantis lucis præco, locustis et agresti melle in solitudine sustentatur: Abacuch, Angeli jussu, cibum messorum ad Danielem defert Babylonem: Eliæ subcineritius panis, et aquæ poculum ad refectionem e cælo missum est; ceu vero non siligineus panis, et perdices, et capi, et phasiani, et mattyæ panes mitti e cælo possent, aut coturnices, ut olim filiis Israelis, tam fa-

ci-

cile, quàm ejusmodi alimentum; sed nimirum tali nutrimento sancti egent, quod animum contineat in corpore, non submergat. Quid philosophi? quid sapientia mundi magistri? modicum cibum, et facilem, et parabilem commendant omnes, quo sobria sit mens, et continens corpus: Socrates, philosophia parens, tenuitate victus assecutus est ut nunquam nec ipse, nec ejus familia, gravi aliquo et periculoso attingeretur morbo: Senecam Stoicum, scribit Tacitus, in summa opulentia, agrestibus pomis, et aqua pura, naturæ satis fecisse; unde et corpore ad eum modum fuisse extenuato, ut aperta Neronis jussu venæ, sanguinem pæne nullum stillarint: qualem victus rationem putamus in Xenocrate fuisse, cui cum clanculum esset in ejus grabbatum Phryne formosissimum scortum a discipulis summissum, multum ab ea contrectatus, et variis modis sollicitatus ad libidinem, commotus tamen non est! Plato in suis legibus vini usum adolescentibus detrahit: Cicero in Officiis totum victum, cultumque corporis, ad valetudinem et vires, non ad voluptatem referendum censet: Atque etiam, inquit, si considerare volumus quæ sit in natura hominis excellentia et dignitas, intelligemus quàm turpe sit diffluere luxuria, et delicate ac molliter vivere, quamque honestum, continenter, parce, severe, sobrie: hoc Cicero: Ovidius Naso amori tradens remedia, eum qui caste victurus sit, temperantem quoque esse monet, eique a cibus illis abstinendum, (1)

—qui Veneri corpora nostra parant,

vinumque in primis vitandum, illos autem mensis inferendos, (2)

—qui Veneri corpora nostra negant.

Quum de cibus dico vi sua calidis, idem de omni exercitatione volo intelligi qua viscera inflammantur, quin etiam de unguentis, de aromatis, de confabulationibus, ac virorum aspectu; hæc omnia noxia sunt castitati, quibus incendimur flagitioso ardore. Lectus erit non perinde delicatus, ac mundus;

Lectus.

N 2

ut

(1) Lib. 2. v. 404.

(2) Lib. 2. v. 406.

ut placidè quiescat, non molliter; quod etiam in vestibus præcipiendum est ne sint delicatæ, aut præciosæ nimium, sed sine sordibus, sine labe; nescio quemadmodum mundities animi corporis gaudet munditie; contra, delicatus, et enervis, et fractus animus, sericis ac byssinis vestibus delectatur, et omnia nisi sint talia, aspera putat, dura, intolerabilia: Gregorius Nazianzenus aurum, serica, margaritas, virginibus suis aufert: quàm stulti sumus, si credimus verba illa Servatoris Christi: *Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt*: id significare, ut qui in comitatu Christianorum Regum ætatem degunt, mollibus induantur; non novit Christi religio aulas et Reges hujusmodi, de quibus ipse idem dixit: *Reges gentium dominantur eis, et qui potestatem habent in eas, benefici vocantur; vos autem non sic, sed maximus vestrum, fiat ut minimus, et ductator velut ministrans*: si Dominus noster superbiam ipsis Regibus et regnis adimit, quomodo superbiæ relinquet instrumenta? Omnino vult Christus suos meminisse Christianos esse se, non mundanos; quibus dictum est: *Vos de mundo non estis*: sancta est et severa Christiana pietas, cujus ut jugum animabus est facile, dulce, suave, et in quo est eis requies, ita grave ac molestum corporis voluptatibus, cum quibus perpetua est illi pugna: hic est mundus, qui

Somnus.

Christianos odit, quia de mundo non sunt. Somnus sit in virgine non longus; nec minor tamen quàm pro valetudine; cui nos ita prospicimus ut melius valeant quæ hanc nostram frugalitatem sequuntur, quàm quæ delicias, quibus deditas, marcescere videmus, ac pallere.

His omnibus addendum est negotium aliquod, et occupatio digna virgine, cujusmodi aliquot recensui; nunquam enim

Otium.

facilius subrepat astus diabolicus, quàm in otio, nec alias promptius exercet artes suas Venus, nec in femina modo, sed in fortiore animante, ac constantiore viro; sunt enim nostri animi ad aliquid agendum nati, et appositi, itaque opere pascuntur, roborantur, gaudent, otio vero dissolvuntur, inertia decidunt, nec omnino possunt nihil agere; ut ad libidinem et flagitia, et his graviora etiam facinora, prolabantur necesse sit, quum melius aliquid deest quo occupentur: artifex ille tractandorum

amo-

amorum, Ovidius, Ægisthum ea sola causa animum ad Clytemnestram Agamemnonis conjugem corrumpendam, ipsumque Agamemnonem occidendum, adjecisse definit, quòd desidiosus esset; hinc inter amoris remedia, illud est de præcipuis, ne nos Cupidinis sagitta otiosos ac vacuos deprehendat: (1)

*Otia si tollas, inquit, perière Cupidinis arcus,
Extinctæque jacent et sine luce faces.*

Adolescit amor, et altissimas jacet radices, si de eo quod amas multum cogites et crebro; D. Hieronymus Demetriadi vitandum prorsus otium suadet; idcirco ubi perfuncta sit precibus, lanam jubet tractare, et parare telam, ut hac vicissitudine operum, dies longi nunquam videantur; nec ideo non cessandum vult, quòd illa egeret quæ esset femina inter primarias Romanas locupletissima, sed ut per occasionem operis nihil cogitaret aliud, quàm quæ ad obsequium Domini pertinerent, quem locum sic claudit: *Simpliciter loquar; quamvis omnem censum tuum in pauperes distribuas, nihil apud Christum erit preciosius, nisi quod ipsa manibus tuis confeceris, vel in usus proprios, vel in exemplum virginum ceterarum, vel quod avie matrique offeras*: sic ille: profecto ita est; segnis, atque ignava, vel etiam (si diis placet) lusibus voluptatibusque ætatem transmittens, indigna est alimento suo in ecclesia Christiana, in qua Paulus maximus Christi præco clamat, ac velut legem pronuntiat: *Qui non laborat, nec edat*: communis est illa pœna generis humani, a Deo pro prima illa noxia hominum generi inflicta: *Per sudorem vultus tui vesceris pane tuo*: haud dubie istos, qui huic generali pœnæ subditi non sunt, quum non minus quàm alii peccarint, alia manet, vel gravior, vel certe non levior; quum continendos vel opere, vel sanctis et cogitationibus et confabulationibus, muliebres animos jusserim ne in flagitia otiosi prolabantur, quonam existimabimus illos ferri, qui foliis aut taxillis lusitant? Quæ occupatio in viro quum sit fœda, non poterit non esse in femina detestanda; quid discere, quid cogitare poterit femina, aleam ludere?

(1) Ovid. de Rem. amor. lib. 1. v. 139.

dens? necesse est solvat animum, et in avaritiam rapiatur suopte nutu illuc propensa; tum in perjurium, numi causa; hinc si viri adsint, multa audiat femineis auribus indecora: quàm turpe visu est, feminam pro calatho alveolum tractare? pro fuso talum rotare? pro radio taxillum jacere? pro spatilio, aut libro precatorio, lusorias chartas evolvere? Nemo paullo cordatior non eam desidentem malit aspicere, quàm sic occupatam, nec est qui non, et illam quæ didicit, et eum qui illam talia docuit, et eos qui permiserunt, cum ingenti animi indignatione, grandi convicio prosequatur.

DE ORNAMENTIS.

CAP. VIII.

Dici non potest quantum inter hunc cultum ornatumque feminarum intersit, et eum quem sancti omnes auctores uno ore præscribunt feminæ baptizatæ; nimirum secuti principes Apostolorum, et ecclesiæ columina, Petrum ac Paulum, quorum de ornandis feminis hæ sunt breves sane præceptiunculæ, sed quæ aliorum longissimas orationes includant: Petrus sic ait: *Mulierum ne sit exterior, vel capillis complicatis, vel circumjectione auri, aut indumentorum amictu, ornatus; ceterum mens et conscientia, quæ separata est ab spectantium oculis, si incorrupta sit, et placido quodam agatur spiritu, ac tranquillo, ea demum splendida res est apud Dominum, et magna*: Paulus vero sic: *Mulieres in habitu ornato, cum verecundia et sobrietate ornantes se, et non intortis crinibus, aut auro, vel margaritis, vel preciosa veste, sed, quod decet mulieres pietatem professas, per bona opera*: hæc Apostoli quibus nihil sane opus est pluribus; verum explicatius sunt dicenda nonnulla, iis præsertim, quibus multa sunt verba facienda priusquam velint exaudire, et persequar separatim, et configam singulas earum insanias. Principiò de fucò: in quo equidem audire pervelim, quid spectet virgo, quum cerussa et purpurisso se illinit; si sic placere sibi, demens est; quid enim carius, aut gratius cuique, quàm unusquisque per se sibi? Si viris, scel-

lesta; unicum habes sponsum Christum; ei ut placeas, animam orna virtutibus, et formosissimus te deosculabitur: at sponsum quæris virum, et ei conciliari studeas fucò: primum docebo quàm fatue, deinde quàm impie: perinde mihi videtur esse, cupere te fucò pellicere virum aliquem, ac personam; quem tantum avertes renudata, quantum attraxisti contacta; misera, si solo fucò ducitur ad te maritus, quando fucum elueris, quomodo eris grata? nisi forte nunquam crustam illam ablatura es, sed sic ibis cubitum incrustata, sic surges, sic in privato versabere, sic in publico; jam, cui tandem potest non esse molestissima fuci cura, ut semper sit integer? quàm aliis ad risum expositum est, si quid vel aquæ aspergine, vel sudore, vel æstu, de cerussa, aut purpurisso liquefactum est, et aliquid ostenditur cutis nativæ? nihil potest esse in forma aspectu deformius.

Celebrabatur in Græcia convivium, multis mulieribus frequens; inter oblectamenta epulantium, cum alii sunt nonnulli lusus inducti, tum ille, ut per vices unusquisque convivarum ceteris omnibus quicquid esset collibitum imperaret; quum esset ventum ad puellam quandam insigni specie, et ingenio non inamceno, eaque animadvertisset adesse complures feminarum, cerussa, purpurisso, et aliis pigmentis incrustatas, ad pudorem incutiendum: rem, inquit, levem jubebo, quàm et ipsa obiibo prima: ut unaquæque nostrum madidas manus per os circumducat, ac linteo extergat: ipsa prima est suum ipsius jussum executata, sed quum nihil gereret fuci, ex lotionè illa pulchrior remansit, fucatæ vero absurdas in primis et ridiculas facies retulerunt, ludibrioque tunc habitæ, abstinerunt deinceps ejusmodi medicamentis, et contentæ nativæ facie, spreverunt emptitiam: ad hæc, quis unquam pulchras existimet, quas sciat pigmentis illitas? etiam formosæ, speciei honorem, laudemque amittunt, quum pictæ cernuntur, universus enim decor, omnis gratia attribuitur arti, non naturæ: quid, quod et tenella cutis citius rugatur, et totus faciei habitus in senilem deformatur modum, foetet spiritus, scabrescunt dentes, toto denique corpore teter halitus spiratur, tum ex cerussa, et ar-

gento vivo, tum vel maximè ex dropacibus, sapunculis, et smegmatibus, quibus cutem velut tabellam in postridianam picturam parant, ut jure sint hæc ab Ovidio venena dicta? Juvenalis festivè, qui quærit: (1)

*ꝫ An quæ mutatis inducitur atque fovetur
Tot medicaminibus, coctæque siliginis offas
Accipit et madidæ, facies dicatur, an ulcus?*

Feminae Valentinæ.

Quæ omnia possem fusiùs persequi, in ea natus urbe, cujus feminae hac de re apud alias gentes male audiunt, et mea sententia merito: libet carissimam mihi patriam reprehendere, ut quod reprehendendum est pudefacta vitet: huc accedit, quòd si aliter nuptura non es nisi dealbata et rubicata, satius est nunquam nubere, quam offenso Christo nubere, et viro dementi nubere, cui plus placitura est cerussa, quàm tu ipsa; ꝫ quid enim de ejusmodi viro sperare potes, cui plus aridet alba crustula, quàm proba femina? ꝫ quis eo insanix devenit ut servum, vel equum empturus, malit eum mangonizatum sibi ostendi, quàm rudem, et in ea facie quam dedit natura? Hoc facimus in mancipiis et jumentis, ꝫ non faciemus in uxoribus? Dedit tibi Deus humanam faciem ad imaginem Filii sui, nec nudam dedit, nam inspiravit in eam spiraculum vitæ, ut radius quidam vitæ illius rerum omnium in ea reluceat, ꝫ quid tu eam mihi sordibus obruis, et cæno? Si Apostolus Paulus virum velare caput suum prohibet, quia imago Dei est, ꝫ quid eum diciturum censes de imagine Dei in facie mulieris luto illo confædatam? Hieronymus adversus Helvidium, ne quis putet jocos, aut lusus, esse, sic scribit: *Hæc ad speculum pingitur, et in contumeliam artificis conatur pulchrior esse, quàm nata est: et ad Furiam: ꝫ Quid facit in facie Christiana purpurissus, et cerussa, quorum alterum ruborem genarum, labiorumque, mentitur, alterum candorem oris, et colli, ignis juvenum, fomenta libidinum, impudicæ mentis indicia? ꝫ Quomodo flere potest pro peccatis suis, quæ lacrimis cutem nudat, et sulcos ducit in facie? Ornatus iste non Domini est; velamen*

(1) Juvén. Sat. 6. v. 469.

men istud Antichristi est, ꝫ qua fiducia erigit ad cælum vultus, quos conditor non agnoscit? Tantum Hieronymus, audi nunc sanctissimum martyrem Cyprianum.

Cypriani
sententia.

Ornamentorum, ac vestium insignia, et lenocinia fucorum, non nisi prostitutis et impudicis feminis congruunt, et nullarum fere preciosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est; sic in Scripturis sanctis, quibus nos instrui Dominus voluit et moneri, describitur civitas meretrix, compta pulchrius, et ornata, et cum ornamentis suis, ac propter ipsa potius ornamenta peritura; ꝫ nunc quanta ignorantia veri est, quanta animi dementia, id velle quòd et nocuerit semper, et nocent, et putare quòd inde ipsa non pereas, unde alios periisse cognoscas? Neque enim Deus purpureas aut coccineas oves fecit, aut herbarum succis, aut conchiliis tingere et colorare lanas docuit, nec distinctis auro lapillis, et margaritis contexta serica, et numerosa compage digestis, monilia instituit, quibus cervicem quam fecit absconderet, ut operiatur illud quòd Deus in homine formavit, et conspiciatur desuper id quòd diabolus adinvenit; ꝫ an vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, et mali secularis ignara, crucietur, ut postea de aurium cicatricibus et cavernis preciosa grana dependeant? et si non suo pondere, mercium quantitate: quæ omnia peccatores et apostatæ angeli suis artibus prodiderunt, quando ad terrena contagia devoluti, a celesti vigore recesserunt; illi et oculos circumducto nigrore fucare, et genas mendacio ruboris inficere, et mutare adulterinis coloribus crinem, et expugnare omnem oris et capitis veritatem, corruptelæ suæ impugnatione docuerunt: et quidem isto in loco, pro timore quem nobis fides suggerit, pro dilectione quam fraternitas exigit, non virgines tantum, aut viduas, sed et nuptas puto, et omnes omnino feminas admonendas, quòd opus Dei, et factura ejus, et plastica, adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet denique lineamenta nativa corrumpente medicamine; dicit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ꝫ et audet quisquam mutare et convertere quòd Deus fecit? Manus Deo inferunt, quando illud quòd ille formavit, reformare, et transfigurare contendunt, nescientes quia opus Dei est omne quòd nascitur, diaboli, quocunque mutatur.*

Si quis pingendi artifex, vultum alicujus, et speciem, et corporis
Tom. IV. O qua-

qualitatem, amulo colore signasset, et signato jam, consummatoque simulacro, manus alius afferret, ut jam formata, jam picta, quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria, et justa indignatio videretur; et tu te existimas impune laturam tam improbae temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica circa homines, et incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis violatisque quæ Dei sunt, peior adultera detineris; quod ornari te putas, quod putas comi, impugatio est ista divini operis, prævaricatio est veritatis; Dominus tuus dicit: Non potes facere capillum unum album, aut nigrum, et tu ad vincendam Domini tui vocem, vis te esse potiores? Audaci conatu, et sacrilego contemptu crines tuos inficis, malo præ-sagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris, et peccas (prò nefas!) capite, id est, corporis parte meliore: Hæc Cyprianus: pudet post christianorum præcepta aliquid de Barbaris afferre; unicuique tantum addam hominis prudentissimi, Lycurgi Lacedæmoniorum legislatoris, qui quum ex virtutibus spectandas feminas suas, non ex cultu ornatuque censuisset, fucum omnem muliebrem civitate sua legibus expulit, omnibusque comendi et ornandi corporis artificibus, sparta interdixit, tamquam corruptoribus virtutis, et bonarum artium: Dominus per Osee prophetam significat, mulierem, quæ a se ad mœchos suos conversa esset, inauribus et monilibus se ornasse, ut illos sequeretur, non Deum suum, quæ ornamenta maledicta sunt, ut Tertullianus ait: *Sine quibus non potuit maledicta et prostituta describi:* Deo si te paras, ac bonis hominibus, satis pulchra es, quum bona, diabolo, et malis hominibus, non placebis, nisi naturali pulchritudini, et proinde virtuti, multum detrahas; quid faciunt auriculæ perforatæ, quas integra cartilagine natura produxit? quid ni etiam perforet nares luxuria? Sed hoc quoque apud Barbaras quasdam gentes fit: quid ni vel digitos, vel labia? nam articulorum singulos radians gemma devincit: quid prodest tantum auri pondus, ut etiam congestum videri possit ad vires ostendendas? An melior credêris, an formosior, an prudentior, tanto metallo onerata? nihil tale.

De bonitate quid attinet loqui? An potest esse bona, simulatrix, quæ et aliud vult credi, quàm sit? Quid quod for-

mo-

mosiores, mea quidem sententia, illæ videntur femine, in quibus pulchritudo faciei elucet in mediocri cultu? nam splendor cultus obscurat decus formæ, nihil est enim tantum, quin comparatione majoris minuatur, ac velut decrescat; si tantus est nitor ornatus, necesse est ut honor speciei appareat minor, et quicquid in ea placet femina, cultui attribuat, non formæ; sapienter Romanus ille, qui Princeps suæ civitatis in humili domuncula habitans: Malo, inquit, ut domui ego sim ornamento, quàm mihi domus, nec aliquid volo domi meæ visendum, præter me; sic femine pulchriores censentur, in quibus modicus atque honestus cultus commendat et probum ingenium, et amabilem formam, non opprimit fastuosus ille ac nimis lautus; decet virum ornatus gravitatis, feminam honestatis; quid, nullas ne olim censetis formosas et fuisse, et esse existimatas, et adamatas viris suis, apud rude illud seculum, et priscum, quum nondum malitia tantas vires nacta esset? Ego vero plures autumo, et constantius gratas, quum non erat pulchritudo temporaria, sed perpetua; videlicet naturalis, quam non poneret femina cum veste: quando igitur nec ad decorem facit cultus ille, nec ad virtutem, quorsum pertinet? dic ipsa: Ditiore videbor, et ea causa honoratior: hæccine cogitatio est, hæc vox, pectoris Christiani? Inutili auro collum tuum premitur, quum tot circa te esurientibus numulum neges? Spolias vicinos, ac forsitan etiam familiam, liberos, conjugem ipsum, ut in te auri et gemmarum radii spectantium oculos præstringant? Tam multi exuuntur, ut tu una induaris? Hæc est caritas Christiana? hoc in baptismo conceptis jurasti verbis, renuntiare te Satanæ, ac pompis ejus? At, quid non pomparum Satanæ tenacius prolixiusque retines, quàm gentiles ipsæ? Totam te specta, Satanæ satellitem agnosces: tu domi exquisitissimis ad saturitatem utens cibus, ructans capos, perdices, phasianos, delicatas placentulas, pulmenta, condimenta, offulas, omnia magno conquisita et comparata, inter tot enectos fame; tu in otio, in lusibus, ac voluptatibus, inter tot sudores et ærumnas vicinorum; tu in publico, serico et bysso amicta, inter tot nudos; tu auro, tu argento, tu gemmis, inter tot mendicos spectanda? an sic Christi

O 2

pau-

pauperis discipula es, et non potius divitis Plutonis? Nolo te squalidam et pannosam conspici, sed nec in vestibus ad ostentationem et superbiam inventis; imitare, cujus merito gaudes nomine cognominari, Christum; imitare tenuem et frugalem ejus Matrem, quam nunc Dominam homines colunt, inferi tremunt, superi reverentur, cujus ut exterior vestis ex vulgari et parabili erat panno, sic interior ille vestitus speciosissimo auro et gemmis distinctus atque intertextus; non potes utrinque esse aurea; elige, utrum mavis, corpus, an animum aureum? Non queo singula argumenti hujus percurrere, quæ sunt infinita, nempe vitia; de odoribus tamen dicam.

Odores.

Ut non probat animus recte atque ad humanitatem institutus immunditiam aut foetorem, moderatos odores non rejicit, quibus spiritus vel reficiuntur defatigati, vel excitantur languentes, vel etiam curantur affecti, (nam Maria illa unguentum super caput Domini effudit, nardi fidelis preciosæ, quo odore domus tota repleta est, nec id fuit Christo ingratum;) sic odores istos tam immodicos improbat, fomenta istius corporis, cui quo magis indulgetur, eo se in animum erigit insolentius, et universi hominis tyrannidem poscit, trahitque ad imas cupiditates omnia, ubi sedes est suarum deliciarum: Hieronymi dictum est ad Demetriadem virginem, *Cinnatulos pueros, et calamistratos, et peregrini muris olentes pelliculas, de quibus illud Arbitri est,* (1)

Non bene olet, qui bene semper olet,

quasi quasdam pestes, et venena pudicitiae, virgo devitet: similis est apud Martialem versiculus: (2)

Malo quam bene olere, nil olere:

Plautus Mostellaria: (3)

Mulier, inquit, recte olet, ubi nihil olet.

Respondebit forsitan aliqua fastidiosola, et quæ argutiis ingenii

no-

(1) Marti. Epig. 10. v. 4.

(2) Act. I. Scen. 3. v. 116.

(3) Epig. lib. 6. Epig. 37. v. 5.

nomen prudentiæ pararit: Dandum est aliquid generi, nobilitati, opibus, spectatoribus: cedô, quæ es quæ ista dicis? Christiana ne, an gentilis? Si gentilis, tecum non disputo; si Christiana, scito superbissima femina, non nosse Christum ista discrimina; arrogantia sunt hæc diabolicæ, non modestiæ animi Christiani; inveteravit dictum illud propter veritatem: Nullum esse animal ornata femina superbius: non ornamenta sunt ista corporis, aut naturæ, sed fomenta insolentiæ tuæ; *Veritati*, inquit Tertullianus, *nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum; quia Dominus noster Christus, qui manet in æternum, veritatem se, non consuetudinem cognominavit:* Dandum est, inquit, aliquid receptis moribus dandum consuetudini; quæro, quæ consuetudini quorum? si sapientum et bonorum hominum, fateor; si stultorum, quæ cur aliquid concedendum est, nisi ab stultis? quid, quod (ut docte Quintilianus ait) consensus bonorum, ea sola dici debet consuetudo vitæ? Est inducta mala consuetudo; esto tu princeps ejus abolendæ, et ea pænes te manebit gloria; sequentur et aliæ tuum exemplum, ac ut a malis confirmatus est mos pravus, sic a bonis extirpabitur, atque invehetur bonus: quod si semper moribus obsecundandum ac indulgendum est, nunquam in melius proficient secula, semper in pejus, cum invehere pessimum licebit morem, auferre non licebit.

Age, quorum est iste mos, quem jactas? aut unde acceptus? A gentilibus feminis; quæ cur non etiam gentilitatem cum eo more retinemus? aut si Christianum placet nomen, quin et mores quoque huic nomini congruentes? Illa gentilis est, et ea facit quæ Deum non novit, nec temperantiam vitæ; tu, quæ Deum nosti, et in eo abluta es, quæ quid plus quam illa præstas? Quid est illud quod renuntiare te Satanæ, et omnibus ejus pompis es professa, si sic cum gentili certas ut non eam æques modo pompa, sed superes? Quid dicam æmulari te gentiles? non illas sanctiores, et severiores antiquas, sed juniores has, leves, luxu diffluentes, flagitiis et sceleribus delibutas; non Lacænas illas priscas honestissimas, quarum Reginæ Lysandri conjugii, ejusque filiabus, quum Dionysius Syracusanus Rex stolas precio-

sis-

sissimas misisset, eas illæ spreverunt, hoc dicto: *Hæ dedecori nobis erunt potius quàm decori*: non veteres Romanas, quibus quum Pyrrhus Epirotarum Rex per legatum Cyneam, aurum, argentum, byssina et serica amicula donaret, nulla inventa est tam vel cultus studiosa, vel avida, vel perdita mente, et ore perfricto, quæ acciperet: Q. Claudia virgo Vestalis, dubiæ pudicitiae fama laboravit, quod exquisitiore et accuratiore corporis cultu uteretur: lex fuit Romæ Oppia, secundo bello Punico lata, ne qua mulier auri plus semuncia haberet, neu versicolori veste uteretur, quæ duravit quoad Asiana luxuria invasit civitatem; tunc mulieres tamquam furibundæ in publicum se proruerunt, licentiam sibi cujusvis ornatus flagitantes: ne hoc fieret, vir gravissimus M. Cato consul, oratione sapientiæ plena dissuassit; suaserunt duo Tribuni plebis, quorum oratio scripta est apud Livium, diluta sane, et auribus stultæ multitudinis accommodatior, quàm sapientum; pervicerunt tamen importunitate, et pervicacia sua, mulieres ut superbiæ suæ freni laxarentur, liceretque quantum liberet; unde quæ mala eventura essent, prædixit Cato, ut aliis multis suis dictis, ita et hoc vates verissimus; nam quis explicare queat, quanta sit pudicitiae jactura propter hanc cultus contentionem? dum unamquamque ornatu a socia vinci pudet, et ubi compositas se atque instructas intuentur, tunc prodire, tunc ostentare se se, et versari cum viris gestiunt: ibi naufragium pudicitiae: *Ægyptias mulieres*, inquit Plutarcus, *calceis uti patrius mos non fuit, ut domi continerentur*: sic feminae si serica, byssina, aurea, argentea, gemmas, lapillos adimas, facilius domi clausam teneas.

Cultus contentio.

Mulieris ornatus.

Apud eundem auctorem duæ sunt, Sophoclis tragici, et Cratis philosophi, de ornatu sententiæ; ille de divite cultu inquit: *Non est hic ornatus, o misera, sed dedecus videbitur, et manifestum insanie tuæ argumentum*. Crates ait: *Ornatum esse, quod ornat, ornat autem, quo mulier honestior fit; talem non reddit aurum, aut smaragdus, aut purpura, sed quaecunque indicia sunt gravitatis, moderationis, pudoris*: Demochares mulieris ornatum, *Sermonis et ornatus parsimoniam* definit, cujus etiam est Sophocles sententiæ: apud Græcos vulgare illud erat, et proverbii forma jactatum:

Or-

Ornamentum mulieris non aurum esse, sed mores: Aristoteles philosophus ingeniosissimus, mulieres jubet sumptu, vestitu, et apparatu minore etiam uti, quàm legibus permissum sit, considerare præcipiens, non vestimentorum nitorem, nec excellentiam formæ, nec auri copiam tantum valere ad mulieris laudem, quantum modestiam in rebus, ac studium honestè ac decorè vivendi: in hanc eandem sententiam cunctus secularium sapientium populus vadit; nullus est in eis, qui hanc cultus elegantiam ab stultitiæ vanitate profectam non pronuntiet, ut erubescat christiana femina gentiles sequi, non eos graves et sapientes viros, non probas et honestas matronas, sed stultorum errorem, et insanarum exemplum: et profiteor me expedire non posse quid, saltem dictu honestum, ornatui suo mulieres queant obtendere, nisi solum ut formosiores videantur, ut magis illiciant viros: atqui hoc etiam gentiles puderet confiteri: loquar cum christianis: quæ ut virorum animas facilius et arctius illaqueent? *Non de integra conscientia venit*, inquit Tertullianus, *studium placendi per decorem, quem naturaliter invitorem libidinis scimus*: Chrysostomus non habet in numero virginum studio comendi ac ornandi sui deditas; quæ quanto minus, si id fecerint ut libidinem intuentium inflamment? Tu ergo simul superbiæ tuæ servies, et diaboli retia in tuo corpore ad inspectantium animas capiendas extends? O non feminam christianam, sed diaboli ministram, et satellitem! pronunciabitur tibi indignantis Domini super te atrox comminatio; per Isaiam enim sic loquitur Deus: *Pro eo quòd elevatae sunt filiae Sion, et ambulaverunt extento collo, et nutibus oculorum ibant, et plaudebant, et ambulabant, et pedibus suis composito gradu incedebant cum calceolis squamatis, decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, et turpitudinem earum nudabit, et pro ornamento erit ignominia: in die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, et lunulas, et torques, et monilia, et armillas, et mitras, et discriminaria, et periscelides, et murenulas, et olfactoriola, et inaures, et annulos, et gemmas in fronte pendentes, et mutatoria, et pallia, et linteamina, et acus, et specula, et sindones, et vittas, et theristra; et pro suavi odore fætor, et pro zona*

fu-

funiculus, et pro crispanti et compto crine calvicium, et pro fascia pectorali cilicium: ista de feminis.

De viris quoque, propter eas ipsas vilibus et se indignis rebus addictis et mancipatis: *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, et fortes tui in praelio, et marebunt atque lugebunt portæ ejus, et ipsa urbs desolata in terra sedebit: hæc Dominus Deus, terribilis quum irascitur, cujus sanctus martyr Cyprianus sic inquit: Sed sunt aliquæ divites, et facultatum ubertate locupletes, quæ opes suas præferant, et se bonis suis uti contendant; sciant primo illam divitem esse, quæ in Deo dives est; illam esse locupletem, quæ locuples in Christo est; bona illa esse, quæ sunt spiritalia, divina, celestia, quæ nobiscum apud Deum perpetua possessione permaneant: ceterum si tu te sumtuosius comas, et per publicum notabiliter incedas, oculos in te juventutis illicias, suspiria adolescentum post te trahas, concupiscendi libidinem nutrias, peccandi fomenta succendans, ut si ipsa non pereas, alios tamen perdas, et velut gladium te et venenum videntibus præbeas, excusari non potes quasi mente casta sis, et pudica; redarguit te cultus improbus, et impudicus ornatus; nec computari jam potes inter puellas et virgines Christi, quæ sic vivis, ut possis adamari; locupletem te dicit, et virginem; sed jactare divitias suas virginem non decet quum dicat Scriptura divina: Quid nobis profuit superbia? aut quid divitiarum jactura contulit nobis? transierunt illa omnia tamquam umbra: locupletem te esse dicit, et divitem, et utendum putas iis, quæ possidere te Deus voluit: utere, sed ad res salutares; utere, sed ad bonas artes; utere ad illa quæ Deus præcipit, quæ Dominus ostendit; divitem te sentiant pauperes, locupletem te sentiant indigentes, patrimonia tua Deo fanora, Christum ciba: hæc martyr: Fulgentius vero explanatius: Vestis quoque talis sit sacræ virginis, quæ testis existat intimæ castitatis; nihil nitoris in habitu exterioris hominis quærat, ne interioris hominis habitus sordidetur; virgo, quæ ornatum corporeæ vestis affectat, animam suam virtutum splendore despoliat; nec habet castitatem veram, quæ intuentibus parat illecebram; nec fidem servat Christo, quæ populo quærit magis placere quam sponso; consequenter autem necesse est ut quæ humano conspectui concupiscentiam seminat, in divino conspectu iracundiam metat: ne dicat igitur puella, quum ornatur: vestis aut monile non*

ma-

malefaciet: ita est: Sed illac introibit malefactor, et suggestor male voluntatis: hactenus ex Divo Fulgentio: nam in re tam aliena a moribus, et consuetudine diuturna et confirmata, libenter sanctorum Patrum auctoritatem interponimus, quo fides sit apud elegantes istas et urbanas major, quæ rusticanam et infrunitam esse ducunt, si qua christiane vestiatur.

Neque vero satis est quod quædam dicunt: Sufficit mihi mea conscientia, quam Deo approbabo: sufficit, si proximum non lædis, si non es ei offendiculo in quod impingat: modestiam nostram Apostolus vult esse notam omnibus hominibus, non ad gloriam nostram, sed ut Dominus dicit: *Quo videant vestra opera bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est:* idem Apostolus, ne fratrem offendat, carnes se in æternum non gustaturum profiteretur, et tu ne fratrem in laqueum pertrahas, non sustinebis pectus tegere, nec alienam faciem tuæ imponere? Ubi deinde est caritas proximi, cui præfers, non dico vestem tuam, sed vestis ostentationem? Tertullianus religiose: *Pudicitia christianæ satis non est esse, verum et videri:* tanta enim debet esse plenitudo ejus, ut emanet ab animo in habitum; an non meministi, matrem tuam Evam viro fuisse causam ruinæ? et tu illam in eo æmulari vis? Quanto esset satius, ut vos lugubri veste sexus vestri peccatum defleretis, quam ut splendido ornatu juvenum concupiscentiam irritaretis? Quid tu, postquam aliquos diabolo manciparis tuis laqueis, quomodo extricabis, quum voles? quomodo ex diaboli servitute in libertatem Christi vindicabis? quibus piaculis tam nefarium scelus expiabis? et ludis in tanto discrimine, segura non magis de alieno corio, quam de tuo? at sunt quæ objiciant: Hoc ipsum scandalum fugimus per cultum, ne aliæ cultiores redargui se per mediocritatem nostram interpretentur, quum nec inferiore loco natæ simus, nec minus possideamus: sinite illas, juxta consilium Redemptoris nostri, quia cæcæ sunt, et duces cæcarum, quæ malunt offendi, quam provocari; si illæ scandalizantur vestris bonis, quin vos potius eorum malis? illæ offenduntur, quod ex præscripto Apostolorum ornaminibus; vos magis offendimini, quod illæ ex diaboli voluntate, ac præceptis:

Tom. IV.

P

egre-

egregius esset proximi zelus, si te et illum perderes, ne ille offenderetur: O alteras illas delicatas puellas, quæ ne beneficientes quidem alias ferre possunt! Quid ergo, (quærat aliquis) sordentes tu, et squalidas esse feminas jubes? Ego vero id nolo, nec tam spurca est mea disciplina, nec mihi unquam immundities cordi fuit; sed Apostolicam regulam servari velim quam initio tractationis hujus posui, quæ non immundas, nec obscenas, et horrentes situ ac squallore jubet esse pias mulieres, non illuvie ac pannis obteatas; sed ab immodico dehortatur ornatu, simplicemque et parabilem suadet: sunt suæ frugalitati munditiæ, puriores multo quàm luxui, ut facilius est a sordibus exiguum vasculum tueri, quàm amplam suppellectilem; non vestietur serico, at laneo; non byssino, at lineo vulgari; non splendet vestis, at nec sordebit; non erit admirationi, sed nec fastidio; mundus muliebris nominatur earum ornatus, quo mundities significatur, non artificium, vel opulentia auri, vel argenti, aut margaritarum, gemmarumve; non video rei tam sumtuosæ ad quid valeat usus, nisi quorundam lapillorum vires magis æstimentur quàm ostentatio, sicut coralli, vel smaragdi, si modò tantillæ rei vires illas natura indidit, quas perhibent; sed quota quæque propter eas quidem lapillos quærit, et non potius in vanitatem ut ditior habeatur? Multo minor est usus sericorum, in quibus quòd brevi deterantur, perit expensa, et sumtus est intolerabilior rei familiari.

Ergo mea virgo non fucabit faciem, sed mundabit; non illinet sapunculo, sed abluet aqua; non capillos insolabit, aut inficiet, ut colorem mutant, sed nec habebit impexos, neque furfuribus capitis horrentes; caputque ipsum et ab sudore, et ab squalore tuebitur; non oblectabitur delicatis odoribus, minus foetore; ad speculum se se intuebitur, non ut accurate comat et pingat, verum ne quid ridiculum aut dedecens sit in ore, et toto capite, quod cernere non potest, nisi per speculum, tum ibi se componet, ne quid in vultu sit quod castam et modestam foedet: postremo, quod Socrates discipulis suis præcipere solebat, putabit et sibi dictum esse: ut se in speculo spectarent; si formosi essent, curarent ne deformem haberent animum; sin de-

for-

Mundus muliebris.

Speculum.

Forma.

formes, pulchritudine animi corporis deformitatem compensarent: inter hæc omnia, pudicæ animo semper obversabitur, pulchritudinem corporis, et plerasque possidentium in magnam arrogantiam, et plerosque spectantium in libidines tetras atque abominandas, quæ utrisque exitio fuerint, impulsisse; quo factum est, ut sanctæ complures feminæ (quantum poterant) negligendæ formæ dederint operam, ut minus quàm erant speciosæ apparerent, ne in eas inciderent voragine, quas paullo antea indicavi: hæc quæ de cultu ex institutis Christi attuli, quum feminis congruunt omnibus, tum vel maximè virginibus, quas, nescio qua tandem ratione, elegantius ornari quorundam mos obtinuit, quàm conjugatas; ego vero honestius judico uxorem aliquando, si ita marito placeat, excultiosem prodire, quàm virginem, in quantocunque genere, et opibus: uxor oculis viri se se ornat, virgo tota Christi est, cui se parat, nam virum vel poscere, vel expetere, non est germanæ virginitatis, ut suo loco dicam, ideo Apostolus inquit: *Mulier innupta, et virgo, cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu; quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro*: illud vero ne admonendum quidem arbitror, feminæ virili cultu et vestitu utendum non esse, alioqui evidentissimum fore signum, et audaciam virilem, et notabilem impudentiam inesse muliebri pectori, conservatur enim distinctione illa vestitus pudor, parens et nutritius pudicitia, audiendusque est Dominus his verbis in Deuteronomio vetans: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea; abominabilis enim est apud Deum qui facit hoc: sexuum diversitatem natura insignem fecit in animantium corporibus; quòd si nos corpus tegimus, et discrimen illud naturale ab occurrentium oculis avertimus, velamentis uti par est, ut indumenta ipsa significationem præ se ferant differentia, oportet ne nos confundamus quod suis notis natura distinxit; quocirca qui vestimenta reddit promiscua, merito abominandus nuncupatur a Domino, qui rem tentat naturæ legibus inimicam, unde multa in hominum cœtibus existerent pericula: sed id nulla audet femina, nisi quæ pudicitiam prius simul cum pudore abjecerit, cui præcepta nostra nec proderunt, nec scribuntur.*

Sexuum vestitus.

DE CHRISTIANA FEMINA
DE SOLITUDINE VIRGINIS.

CAP. IX.

TAm validum est in hoc inferiore mundo regnum Satanæ, et ex eo tanta pro malo conspiratio, tam pertinax vitiorum suorum defensor populus, ut nemo proferre possit caput in publicum, quin ilico per omnes sensus in animum insiliat quod virtutem et pietatem divexet; ut sapientissimè nostri dixerint, per sensus omnes, ceu per fenestras quasdam, mortem ad animum vel irrumpere, vel irrepere; qua de causa vigilandum est perpetuo in custodia animæ, et reputandum militiam esse hominis vitam in terra, sicut inquit Jobus; ut, quemadmodum Propheta ille fortis luctator, stemus super custodiam nostram, et figamus gradum super munitionem: januas has sensuum, tanti periculi, haud sæpe virgo aperiat, et quum aperit, adhibendum est præsidium, et caute, ne vel impetu se hostis proruat, si vires desint, vel astu se se insinuet, si prudentia. Virgini rarus debet esse egressus in publicum, quum neque negotii sit ei quicquam foris, et periculum preciosissimæ rei, pudicitia; nec solum quum prodibit sit matri comes, verum etiam quum domi seder, quod et matribus præcipiendum est: Hieronymus Lætæ consulit, ut itura ad suburbanum, filiam in urbana domo ne relinquat: *Nesciat, inquit, sine te, nec possit vivere, ac quum sola fuerit, pertimescat*: quod sic volo intelligi, ut abducat secum filiam mater si aliquandiu moratura sit, nam alioqui nihil necesse est semper comitem matri exire filiam quoties domo prodit; præsertim si ipsa vel ad convivia, vel nuptias, vel virorum congressus, vel ad aliquem similem eat locum, sive necessarii officii gratia, sive ut marito gerat morem, quo virginem filiam afferri non convenit: sed sit domi mulier aliqua proba, pudicitia custos; quippe nulla est pestis major, neque perniciosior, quàm quæ alitur domi; hanc quomodo aliter caveas, ni expellas prorsus? Quid prodest ab omni externa injuria lignum defendere, si intus teredine exedatur? Probissimam novi feminam, quæ custodia puellarum commissa, filios cum

Custodia domestica.

puell-

puellis lascivius lusitantes, quod tenere nimis illos deamaret, reprehendere et arcere ab injuria castitatis non sustinebat.

Quapropter providendum est ne matrona, cui puella creditur, viros habeat, aut filios, aut fratres, procaciores ac lascivos, vel quibus ipsa obsistere non audeat, nec commissam rem fortiter propugnare: sit non casta modo, sed quæ se etiam vultu, et gravitate, tum prudentiæ, tum morum, tum orationis, venerabilem et suspiciendam reddat; cujus oculos, et supercilium, nedum vocem, omnes vereantur, et fratres natu majores, ipsa in custodia stationis suæ nullum vereatur, ut, sola præsentia sua, tuta omnia circum pudicitiam præstet: illa vero pellenda quàm longissimè, quæ exemplo suo ad lasciviam et libidinem invitet, nam quæ, precio conducta ab amatore, verbis sollicitat, et protrudit ad facinus, nomine humano caret, nempe res diabolica, quam fugiet puella non secus ac viperam, vel aspidem; quam ex civitate sic expulsam oporteret, tamquam communem omnium perniciem: dici non potest, quorum sint ejusmodi mulieres malorum causæ: non ferat ergo puella, ne aspectum quidem harum, nam basilisci sunt, aut catoblepæ, oculis præsentissimum venenum inspirant, et vel solo intuitu perimunt. Nec putet quis hyperbolicè hoc a me dictum; sunt nonnullæ harum tales artifices, ut oculis sæpe sine verbis capiant; aliæ etiam fascinis et incantationibus utuntur, cujus rei utinam rariora essent exempla: quid, quòd vel sola salutatione, aut arrisu, aut etiam obtutu, maculam hic serpens aspergit puellæ quam aspexerit? apud illos præsertim, qui artem mulieris norunt, ut taceam quanta labes, et quàm inelvisibilis imprimatur domui, in quam aliquoties sit ingressa; confugiendum ergo ad matrem velut asylum, et ei, quid nefaria tentarit, narrandum, aut sic vitanda et aversanda est, ut intuentibus significationem præbeas, te in ea pestem metuere; ita et tibi proderis facto, et aliis exemplo, quum quid aliis puellis expavendum in ea sit ostendes: e republica esset, in tenues vetulas inquiri; ut censori morum civitatis constaret unde victum parent, qui si desit, certissimæ fiunt lenæ, atque hinc veneficæ.

Lenæ.

Inquirendum in tenues vetulas

Jam de comitibus sic Hieronymus præcipit: *Nolo de ancillu-*

lulis suis aliquam plus diligat, cujus crebro auribus insusurret; quicquid uni loquetur, hoc omnes sciant; placeat ei comes non compta, neque formosa, atque lasciva, quæ liquido gutture carmen dulce moduletur, sed gravis, pallens, sordida, subtristis: eadem est ad Demetriadem sententia. In puellis sodalibus illud caveri convenit, ne qua vel cultu, vel verbis, vel lusiunculis noceat lascivis; nihil tibi sit omnino rei cum puellis, quæ spectari, quæ amari gaudent, quæ formosum illum, aut divitem, aut elegantem, aut nobilem, gloriantur se haberet amatorem, et ab eo scriptas litterulas circumferunt, interim suis æqualibus ostentant, aut facta narrant, aut dicta referunt: hæc egit, hæc dixit, sic me aggressus, sic me laudavit: apage istas, quamlibet tibi sint vicinæ, quamlibet opulentæ, necessariæ, affines, consanguinæ; quòd si sorores sint, id vero tu nega; morsæ sunt a diabolo, cane rabido, et ipsæ in rabiem versæ, ubi nullum est tam carum nomen, ut ad commercium pertrahat, quin potius et a sorore præfocatur soror, et a fratre frater, et a matre filius: oblectabit se igitur virgo mea cum delectis virginibus sui similibus, interim lusibus honestis ac liberalibus, alias sanctis lectionibus, aut confabulationibus quas lectio suggeret; nihil de saltationibus, aut convivio, aut voluptatibus referat, ne sociæ falsa delectationis specie commoveantur; nemo intererit vir: tum, a sociis relicta sola in cubiculo suo, non prorsus nihil aget, nam otiosam esse periculosum est, præsertim solam: (1)

In populo (inquit Ovidius de tali) tutior esse potes:

nec cogitationibus animum ut permittat est tutum, quantumlibet honestis initio, et sanctis; lubricus est feminæ cogitatus, nec uno loco facile consistit; a rectis ad prava exiguo negotio delaberetur; nec omnino sine causa videtur quibusdam dixisse Publius Syrus mimographus: *Mulier quum sola cogitat, male cogitat: neque vero Magdalena illa, quæ sedens juxta pedes Domini audiebat verbum illius, contemplatione tantum rerum cœlestium fruebatur; sed id faciebat, sive dum legit, sive dum audit,*

si-

(1) De Rem. Amoris. lib. 2. v. 183.

sive dum orat; idem faciat mea non virgo solum: sed quævis femina, nam, in multis hujus libri locis, omnibus in universum feminis præcipimus: legat igitur sola, vel oret, festo die; eadem agat profesto, aut operi manuario intenta sit; non dubium, quin tale aliquid agentem reperit Mariam Angelus, quæ turbata est quòd venerandum illud, et perpetuum silentium, nec interpellari unquam solitum, vox, augustior quidem, sed virilis, similis rupisset, ideoque *alma* dicitur ab Hebræis, quòd virginem absconditam sonat; hæc est de qua prædicit Isaias: *Ecce virgo abscondita concipiet, et pariet Deum et hominem: ea demum Virgo concipit Christum, quam nullus præter Christum novit.*

Ergo et domum nemo admittetur a virgine, nisi quem pater disertis verbis admitti jusserit; ipsa matrem domesticis paulatim laboribus incipiet levare, quam, et patrem, rerum omnium post Deum carissimos habebit; hi si jubeant lanæ, aut lino, aut cuicumque opificio, filiam intentam esse, non modeste solum, verum alacriter etiam exequetur; hoc diligentius, et solertius, si aliqua victus pars eo labore ad parentes reditura est, tum vero felicissima erit, et cogitabit se gratiæ partem aliquam, cui tantam debet, referre, et illis alimenta reddere, a quibus acceperit: quum puellæ per negotia domestica soli esse licebit, ac orare, primum omnium se totam Deo tradat, et dedicet, veneretur Christum, ejusque Matrem, et veniam pacemque ab illis petat; tunc cogitet se esse virginem christianam, Christi sponsam, Mariæ imitatricem; nihil esse virginitatem corporis, nisi pura sit mens; hæc si adsit, nihil esse mundius, nihil Deo gratius: se, sectatricem sanctissimæ Matris Domini, primum omnium debere in se excellentissimam ipsius effingere virtutem, modestiam illam, et moderationem animi, quam humilitatem vulgo dicimus; quæ tanta in illa fuit, ut cum omnia ipsi contigerint maxima atque amplissima, nihil tamen fuerit; quod illam animo extolleret, quod ei spiritus faceret; nobilissima puella, quæ in stemmate quatuordecim Reges, tot duces Israelis computabat, ditissimis orta parentibus, ditata etiam a Magis, formosissima, ingeniosissima, doctissima,

et

Virgo parentum adiutrix.

Oratio virginis.

Oblectatio quæ debeat esse.

et sapientissima; at inter hæc omnia, et ut æquabilem gerebat animum, et submissam de se opinionem? Jam conscia cœlestis partus, et Mater tanti Filii, marito fabro ministrare dedignata non est, et Consanguineam invisere, eique gravidæ assistere, ac famulari: et cui se præposuit? et quam præ se vel genere, vel forma, vel ingenio, vel dignitate contempsit? et cui se non posthabuit Virgo Angelis quoque præstantior, quorum erat Regina destinata? Quocirca non probo, Divam Virginem in sericis atque aureis amictibus depictam, gemmis atque unionibus ornata, ceu his illa delectata esset; cum inter mortales ageret; etiam simulacrum illius quibusdam in locis synthesin habet, et vestes, si Deo placet, mutatorias; cum multi mortales quotidianis careant, nihil minus eam refert; malim simplici illo cultu, quali erat uti solita, quo superbiæ nostræ moderatio animi illius expressius ante oculos proponatur, et tacite convicium faciat, existatque unde coarguantur, ac proinde doceantur divites, unde se pauperes solentur, unde his animus augeatur; illis decrescat, utrisque vero ad justum quendam habitum moderationemque reducat, ut nec etiam desperent locupletes, nec nimis confidant egenæ, sed sit quædam inter eas velut exequatio.

Hujus ergo tantæ Virginis exemplum sequetur mea puella, non ficto, et simulato, sed vero animo, et certo, ne tetrius sit et perniciosius vitium sub facie virtutis latens, et venenum sub re salutari, ac morbus cute integra et sana contectus, eoque se a cura defendens obtentu; nihil agant feminæ fucatum, et fictum, ut bonæ videantur, nec se rerum naturas aut fallere sperent, aut mutare posse; non idem valent simulata quod vera; ficta, et adumbrata, invalida atque imbecilla sunt; ipsa tandem vel se produnt, vel deteguntur: vere igitur sit puella quod præ se ostendit; modesta, humilis, pudica, pudibunda, proba, et esse eam talem convenit, et videri; ita Divæ Virgini, quam vere atque expresse vita sua repræsentabit, acceptior facta, tum Christo, qui dignam se sponsam agnosceret: orabit primum pro se, ut augeatur pietate, proposito sanctæ pudicitæ, et reliquis virtutibus; tum pro parentibus; hinc pro fra-

Oratio.

tri-

tribus, sororibus, consanguineis, et ceteris, pro quibus Deum precari eam convenit; hujus etiam preces gratissimæ Deo erunt, et efficaces ad quidvis impetrandum, nempe animi purissimi, et integerrimi, germaneque christiani; velim, quæ orabit, ipsam intelligere; vel loquetur lingua, quam norit; vel quæ latine dicet, habeat prius ab aliquo declarata; nec putet in murmure, et agitatione labiorum sitam adorationem, sed in mente et cogitatione cum a rebus istis vilibus ad cœlestia divinaque animum erigit; hoc jubemur in sacris facere, quando dicitur: *Sursum corda*: nos respondemus: *Habemus ad Dominum*: in quo mentiuntur plane plurimi, qui dum id dicunt, cor habent in sordida quapiam, et ima mundi hujus reclusa detrusum ac defixum, nec attollere eos sinit eadem, quæ depressit, cura? Veros adoratores Christus esse pronuntiat, qui spiritu adorant Patrem, et hanc illi esse gratissimam adorationem, acceptissimas preces: videat ergo, ne mens, ne animus, a verbis dissonent; idem intus loquatur, quod exterius; immo exterius, quantum velit taceat, vel loquatur alia, modo intus clamet ad Dominum, et possit dicere cum sponsa: *Ego dormio, at cor meum vigilat.*

DE VIRTUTIBUS FEMINÆ, ET EXEMPLIS

QUÆ IMITETUR.

CAP. X.

Disce ex libris, quos vel leget, vel audiet, virtutes sui sexus in universum; decet quidem unamquamque feminam virtutibus omnis generis esse præditam, sed illi sunt peculiariter necessariae nonnullæ, sicuti cum fœda omnia, tum vero quædam, abominanda, atque execranda: et sunt virtutes aliæ conjugatarum, aliæ viduarum; de iis tamen, quæ toti sexui congruunt, loquar. Ante omnia sciet castitatem esse principem feminæ virtutem, et quæ una instar sit reliquarum omnium; si hæc adsit, nemo requirit alias; si absit, nemo respicit alias; et quemadmodum Stoici philosophi in sapientia existimabant sita esse

Castitas.

Tom. IV.

Q

bo-

bona omnia, in stultitia mala omnia, ut solum sapientem dicerent divitem, liberum, regem, civem, formosum, animosum, beatum; contra vero, stultum, pauperem, servum, exulem, peregrinum, deformem, ignavum, miserum, sic de pudicitia in feminis judicandum est, pudicam esse formosam, venustam, dotatam, nobilem, fecundam, omnia optima et præstantissima, rursus impudicam, mare et thesaurum malorum omnium: pudicitia comites individua sunt pudor et sobrietas; a pudore videtur dicta pudicitia, ut pudica non sit, quam non pudet; hoc est velum quoddam nostræ faciei, nam cum natura, et ratio, corruptum corpus, et carnem peccati velasset ob pudorem primi dedecoris, faciem autem apertam nudamque involucris istis nostris reliquisset, illi suum amiculum non negavit, pudorem scilicet, quo cum humana commendatione operiretur, ut nemo id cerneret, quin magnam aliquam probitatem sub illo tegumento intelligeret latere, nullusque esset, qui non amaret sic indutum, exutum odisset: *Erubuit*, inquit ille pater in Comædia de filio, *salva res est*: et vir Sapiens adolescenti in rubore: *Confide fili, iste est color virtutis*: quod si hoc de viris dicitur, quid existimari de feminis par est? quid de tenellis virginibus? Execratur dominus impudicam, dicens: *Frons mulieris meretricis tibi facta est, depuduit te*: adeoque faciei nostræ non decoram modo, sed necessariam quoque censuerunt verecundiam, ut os, faciem, frontem, pro verecundia et pudore usurparint; hinc sunt illa jam inde a priscis seculis deducta proverbia, *Non habere frontem, durum os, tenerum os*, et similia, per quæ verecundia aut inverecundia designantur: nascitur ex verecundia modestia et moderatio, sive cogitet quid, seu dicat, seu agat; ut nihil nec in affectibus nec verbis, nec factis existat immodicum, arrogans, insolens, lascivum, putidum, petulans, nihil jactabundum, aut ambitiosum.

Honores nec se mereri credat, nec expetat, immo vero devitet, et si contingant, quasi immerita erubescat; nulla re insolens, non forma, non venustate, non genere, non opibus, sciens, illa breviter peritura, superbæ vero paratam æternam pœnam. Sobrietas continentiam fovet, ut ebrietas deterit, nemo

Pudicitia
pudor et sobrietas.

Honor.

Sobrietas.

ig-

ignorat quid crapulam sequi soleat. Additur sobrietati parsimonia, et frugalitas, quas esse in re familiari mulieris partes, Plato et Aristoteles non immerito prodiderunt: quærit vir, custodit et servat femina; ideo illi animus additus, huic detractus, quo ille strenue pararet, hæc meticolose contineret: ex hac corporis sobrietate, etiam in animum sobrietas derivabitur, ne affectus velut temulenti tumultuentur, et turbent tranquillitatem virtutis, sed liceat et bene agere, et bene sapere; pietati dedita sit, et modicis contentæ præsentia sufficiant, magnus est quæstus, juxta Apostolum, pietas, cum acquiescentia præsentium, nec absentia, aut aliena quærat, unde oriatur invidia, et æmulatio, et curiositas alienorum: decet cum primis femineum sexum devotio rerum sacrarum; quo fœdior est mulier aliena a religione, et velut ominosum prodigium aversanda et detestanda: cum invidia est illi crebro pugnandum, quæ cum sit feminis usque ad ridiculum turpis, nescio tamen quo pacto pertinacissimè sexum illum infestat; sed quæ sobria est, cuique abunde magna sunt quæ naturæ necessitatibus satisfaciunt, non erit cur alteri velit invidere, aut esse alienæ domi curiosa. At quæ pudibunda est, et temperato animo, quæque sobria, nunquam ira efferetur, nec in maledicentiam prorumpet, nec in sævitiam aliquam et inhumanitatem rapietur; quum enim feminarum genus mansuetum natura, et benevolum esse conveniat, ut quod imbecillum sit, et alieni auxilii vehementer indignum, quis ferat in muliere impotentem iram et crudelitatem, ut perdere cupiat quæ, si sit opus, servare non valeat, et animum injuriæ memorem, quam reponat in occasionem ultionis? Digna est hujusmodi mulier, quæ tantis afficiatur malis, ut numero magnitudineque illorum prostrata et concussa, victam se fateatur, ac de ira, et ultione, ceterisque insaniis, desinat cogitare, de salute sollicita, quod multis sæpenumero videmus accidere, justo judicio Dei, nec sine approbatione eorum, quibus nota erat ferocia illius ac sævitia; plane cum immanibus belluis, superbia, ira, atque invidia, propositum est incautæ feminæ certamen, quod levibus earum et teneris animis offensio omnis gravissima atque intolerabilis videtur, et atrociter

Parsimonia.
Frugalitas.

Pietas.

Invidia.

Q.

vin-

vindicanda; nimirum res exiles, ac minutissimæ, tamquam ingentes se, ac solidissimas, imperitis ac vitiosis offerunt oculis, tanto magis offusa nebula, vel fumo; itaque nisi tam immanes hostes vel arte vitarit, vel superarit strenuitate, periculum est ne ipsa ab eis conficiatur, habitura sempiternum et in hac vita, et in altera cruciatum.

Credo perspicuum esse, pudicitiam velut Reginam esse in virtutibus feminæ; hanc sequi inseparabiles comites duas, ex pudore sobrietatem gigni, ex quibus duabus reliquum muliebrium virtutum chorum, mundumque componi, ac fabricari, modestiam, moderationem, frugalitatem, parsimoniam, domesticam diligentiam; religionis curam, mansuetudinem, quas omnes virtutes, cum ipse aliis locis aliquanto fusius explicabo, tum uberius a sanctis sapientibusque viris tractatas passim inveniet: delineatam intuemini honestatis imaginem, quæ tanta specie, tamque præstanti forma est, ut si corporis oculis cerni posset, quemadmodum est a Platone scriptum in Phædro, mirabiles amores excitaret sui, neque sic pulchritudo ulla oculos nostros capit et tenet, ut arriperet duceretque secum honestas, aperta nobis, atque ostensa. Tum colliget virgo, vel audiendo, vel legendo, sancta exempla virginum, quæ sibi proponat imitanda, quarumque se similem esse et cupiat, et operam navet non segnem ut efficiat; primum omnium, ut dixi, principis illius, ac decoris virginitatis, Mariæ, Christi, hominis ac Dei, Parentis, cujus vitam non solæ virgines habent tamquam exemplar propositum ad quod se componant effingantque, sed nuptæ etiam, ac viduæ; omnibus enim omnia facta est, ut omnes ad suæ castitatis, maximarumque virtutum, exemplum provocaret, et adduceret; virginibus modestissima, virgo, nuptis castissima est nupta, viduis religiosissima vidua; prima insuetam hanc omnibus retro seculis virginitatis rationem, ac viam, magno animo, et pientissimo proposito est ingressa; prima in conjugio vixit supra humanum morem, nullo carnis usu, angelica vita, ut custodem suæ pudicitiae sumserit, non virum, quæ quoniam miracula erant, ideo majore miraculo, stupente natura, Filium modo edidit; vidua vero jam facta, quoniam

Divæ Virginitatis exemplum.

to-

tota ejus vita ex spiritu pendebat, et in corpore vivens supra corporis se conditionem extulerat, in uno Deo et obsequentissimum nacta est Filium, et castissimum sponsum, et indulgentissimum Patrem, ut quæ propter Deum cuncta contempserat, in Deo cuncta inveniret: sed quid ago, Diva? quid incepto? an de tuis infinitis laudibus dicere? atqui hoc nec hujus est vel torpedinis, vel infantiae, vel angusti loci; opus est latissimo otio, opus facundia exercitatissima, opus ingenio summo, ac eruditissimo; vos hanc Virginem imitamini quotquot integram servare castitatem vultis; vos hanc sequimini conjugatæ, quibus curæ est maritis placere, et præstare quod jurastis; vos hanc semper spectate viduæ, ex qua et solatium amissi conjugis, et consilium tuendæ prolis, et exemplum reliquæ degendæ vitæ fructuosissimum percipietis: secutæ sunt hujus institutum maxima nostrarum millium agmina, sicut Psalmista præ-nuntiavit: *Adducentur Regi virgines post eam*: quarum acta, non modo in præsens, verum et omni posteritati proderunt ad æmulationem: nec gentiles virgines tacent historiæ, nobilitas solæ pudicitia, quarum catalogum ex Græcis historiis, Hieronymus contra Jovinianum disputans, recensere gravatus non est, quod videret in ejusmodi rebus non parum homines exemplis moveri, neque enim factu difficile videtur quod factum aliquando sit; adduxit multas, quæ vitæ quoque maluerint jacturam facere, quam pudicitiae; equidem gravissimo juxta et sanctissimo viro non hanc contumeliam faciam, ut quæ ille collegit, vel tamquam supervacanea præteream, vel aliis ponam verbis, quasi melius ipse dicturus, quin ut ab eo posita sunt, adscribam: sic ergo inquit:

Triginta Atheniensium tyranni, cum Phædonem in convivio necassent, filias ejus virgines ad se venire jusserunt, et scortorum more nudari, ac super pavimenta, patris sanguine cruentata, impudicis gestibus ludere; quæ paulisper dissimulato doloris habitu, cum temulentos convivas cernerent, quasi ad requisita naturæ egredientes, invicem se complexæ præcipitaverunt in puteum, ut virginitatem morte servarent: Demotionis Areopagitarum Principis virgo filia, audito sponsi Leosthenis interitu, qui bellum Lamiacum concitavit, se inter-

Exemplum aliarum virginum.

fe-

Adulterum.

fecit, asserens, quanquam intacta esset corpore, tamen si alterum accipere cogere, quasi secundum accipere, cum priori mente nupsisset: Spartiatae et Messenii diu inter se habuere amicitias, in tantum, ut ob quaedam sacra etiam virgines ad se mutuo mitterent; quodam igitur tempore, cum quinquaginta virgines Lacedaemoniorum Messenii violare tentassent, de tanto numero ad stuprum nulla consensit, sed omnes libentissime pro pudicitia occubuerunt; quamobrem grave bellum, et longissimum, concitatum est, et post multum temporis Mamertia subversa est: Aristoclides Orchomeni tyrannus adamavit virginem Stymphalidem, quae cum, patre occiso, ad templum Dianae confugisset, et simulacrum ejus teneret, nec vi posset avelli, in eodem loco confossa est; ob cujus necem tanto omnis Arcadia dolore commota est, ut bellum publice sumeret, et necem virginis ulcisceretur: Aristomenes Messenius, vir justissimus, victis Lacedaemoniis, et quodam tempore nocturna sacra celebrantibus, quae vocabantur Hiacynthina, rapuit de choris ludentium virgines quindecim, et tota nocte gradu concito fugiens, excessit de finibus Spartanorum; quumque eas comites vellent violare, monuit, quantum potuit, ne hoc facerent, et ad extremum quosdam non parentes interfecit, ceteris metu coercitis; redempta postea a cognatis puella, cum Aristomenem viderent caedis reum fieri, tandem ad patriam non sunt reversae, quamdiu iudicium advoluta genibus, defensorem pudicitiae suae cernerent absolutum.

Quo ore laudanda sunt Scedasi filiae in Leuctris Bœotiae? quas traditum est absente patre duos juvenes praetereuntes jure hospitii suscepisse, qui multum indulgentes vino, vim per noctem intulere virginibus; quae amissa pudicitia, nolentes supervivere, mutuis conciderunt vulneribus. Fustum est et Locridas virgines non tacere, quae cum Ilium mitterentur, ex more, per annos circiter mille, nulla obsceni rumoris et pollutae virginitatis fabulam dedit: quis valeat silentio praeterire septem Milesias virgines, quae, Gallorum impetu cuncta vastante, ne quid indicens ab hostibus sustinerent, turpitudinem morte fugerunt, exemplum sui cunctis virginibus relinquentes, honestis mentibus magis pudicitiam curae esse, quam vitam? Nicanor victis Thebis, atque subversis, unius virginis captivae amore superatus est, cujus conjugium expetens, et voluntarios amplexus, quod scilicet captiva optare debuerat, sensit pudicis mentibus plus virginitatem esse, quam regnum,

num, et interfectam propria manu flens et lugens amator tenuit: narrant scriptores Graeci et aliam Thebanam virginem, quam hostis Macedo corruerat, dissimulasse paulisper dolorem, et violatorem virginitatis suae jugulasse postea dormientem, seque interfecisse gladio, ut nec vivere voluerit post perditam castitatem, nec ante mori, quam sui ultrix existere: haec omnia Hieronymus.

Ut si quis est pudor, erubescant christianae feminae, quae parum castae integritatem sub castissimo Christo, castissimae Matris Filio, in castissima ecclesia servant, cum gentiles feminae, spurcissimum Jovem et impudicissimam Venerem colentes, pudicitiam carissimis universis rebus praetulerint. Quid? ego huc exempla sanctarum Virginum afferam ad eas commovendas, quas non pudet vel castas gentiles nominari, quam potissimum proponam imitandam, cum se per millia nobis offerant? Teclame? an Agnetem? an Catharinam? an Luciam? an Caeciliam? an Agatham? an Barbaram? an Margaritam? an Dorotheam? an potius exercitum undecim millium Virginum? quae omnes dictu mirabile, mortem obire maluerunt, quam libidini hostium sua corpora praebere? At hunc consensum tam sancti propositi vix in duobus viris invenias, quod in undecim tenellarum Virginum millibus tam ratum fixumque permansit: quis numerus capiat eas, quae jugulari se, quae caedi, truncari, suffocari, mergi, secari, exuri, facile sunt passae, ac libenter, dum pudicitiam tuentur? quae mortem cum nollent sibi afferre, arte quaesierunt, in discrimen castitatis adductae, ut Brasilla Dyrchina primaria virgo, quae quum imminentem suae pudicitiae crudelem victorem cerneret, pacta est, si salvam integritatem reliquisset, herbam daturam se, cujus succo illitus, nullis telis violari posset; conditionem accepit miles; illa ex proximis hortis vulsa herba, quae prima ad manum fuit, jubet in se vim ejus experiri, infectoque jugulo: Hoc, inquit, feri ad faciendum periculum, nam res est comperta: ferit, et virginem interemit: quid quod occidere se feminam ut castitatem tueatur, nec Hieronymus videtur damnare? et Ambrosius lib. de Virginitibus 3. huic quaestioni martyris Pelagiae opponit exemplum: Nihil assertionem opus, dicens, ubi factum sit martyris virginis anno-

Brasilla.

Pelagia.

rum

rum quindecim, quæ cum matre et sororibus in flumen se præcipitavit.

Sophronia.

Sophroniam nobilem feminam Eusebius in ecclesiastica Historia tradit, cum videret maritum suum, urbis Præfectum, in defendenda sua pudicitia a libidine Maximini cunctari, ac nutare, abditam in cubiculum ferro pectus aperuisse, quam tamen ecclesiæ consensus martyrum numero adscripsit: hæc omnia castitatis exempla in ecclesia leguntur, et audet impudica mulier eo venire? nec exhorret in cœtum virginum lupanar inferre? suoque vultu sanctissimos inquinare oculos? suis vocibus terrerrimos auditus polluere? Nefaria mulier, tu vel Catharinam, vel Agnetem, vel Barbaram sonare audes? et sacra nomina impurissimo ore contaminare? Tu te aliquo ex illis nominibus insignis? et similis videri vis nomine, cujus es moribus inimica? nec tibi cum vocaris, occurrit, qualis illa fuerit cujus gestas nomen? quumque illam purissimam, castissimam, optimam, te, contra, impuram, impudicam, scelestam cogitas; non te furia exagitant noctes et dies? non te exterrant? non te ardentibus facibus persequuntur? O confidentissima feminarum! et natalem sanctæ Virginis tu audes celebrare, indigna quæ nascere? osque tuum impudicum pudicissimis oculis ostendere? et vis eam, te aspicere, vel audire, sceleribus obrutam, quæ viros, nec bonos quidem, dum in corpore viveret, vel viderit, vel audierit? Quanto satius esset, te nunquam in earum conspectum venire, ne in te ulciscerentur injuriam sexus, nec ejus nomine vocari, ne de te pœnas sumerent nominis sui violati! Ego vero id seriò dico, neque enim hic est jocandi locus, edicto publico deberet caveri, ne qua manifesto impudica mulier *Maria* nominaretur; cur nos ei nomini, cui merito assurgimus, cui poplitem flectimus, non tantum honoris habeamus, quantum quibusdam suis gentiles? Athenis, quod Harmodius et Aristogiton tyrannos civitate exegissent, decreto sancitum est, ne servis, aut iis qui artem parum liberalem exercerent, illorum nomina inderentur.

Mariæ nomen sacrum

QUO-

QUOMODO FORIS AGET.

CAP. XI.

PRodeundum erit aliquando, sed, quàm fieri poterit, rarissimè, propter multa; principiò, quòd quoties in publicum exit virgo, toties de sua et forma, et modestia, et prudentia, et pudentia, et probitate, judicium subit pæne capitale, quoniam nihil est fama et existimatione feminarum tenerius, aut magis injuriæ obnoxium, ut non immerito videri possit de filo aranæ pendere; idque quoniam illa, quæ dixi, exacta desiderantur in femina, nostra vero judicia morosa et suspiciosa sunt, ac (quemadmodum Ovidius inquit) (1)

Nos in vitium credula turba sumus:

Porro *maledicto* (ut Cicero ait) *nihil est magis volucre, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur*: quòd si semel hæsit in puella ex hominum existimationibus nota aliqua, sempiterna fere perdurat, nec eluitur nisi maximis pudicitia et sapientia ostensis argumentis: loqueris pauca in publico? rudis credèris; multa? levis; indocte? hebes; docte? maliciosa; non facile respondes? superba, male educata; respondes? non magno impulsu casura; sedes composito vultu? dissimulatrix; gesticularis? naturâ stulta; spectas? eò ferri animum; rides cum quis ridet, etsi aliò intenta? arrisise, actum esse; audis virum? placere tibi quæ dicit, nec difficilis expugnata: quid dicam? quanta undique flagitiorum et scelerum in publico materia? Egressa est Dina, filia Jacob, ut videret mulieres civitatis; ibi statim reperit a quo probro ac dedecore afficeretur, et violata, causa fuit cur masculi omnes Salem cum Rege et ejus filio a Symeon et Levi contrucidarentur; ut non injuria videatur Tragicus dixisse: *Virgines in turba conspici nefas*: quanto præstaret manere domi, quàm has tam varias, tam iniquas adire censuras, tam presentia pericula! nec

Dina.

Tom. IV.

R

est

(1) De Rem. Amoris lib. 2. v. 289.

est ubi magis valeat illa græca sententia: *Vive ignotus*: idcirco Thucydides illam demum optimam esse mulierem censuit, *de cujus vel laude vel vituperatione minimus est sermo*.

Latere debet mulier, nec multis esse nota; indicium est non integræ seu castitatis, seu famæ, noscitari a plerisque, quid vero, per civitatem cantari, vel aliqua nota, insignive, designari, ut alba, clauda, straba, sima, vara, lusciosa, varia, parva, magna, pinguis, manca, balba? ignorata hæc vulgo oportuit in proba femina: nunquam, ne ergo ferendus extra privatum pes? Grande scilicet nefas; semper delitescendum domi? hoc est, (sicut quædam interpretantur vanæ, et ut vel spectentur cupidæ) in carcere? in ergastulo? Prodeundum vero aliquando, si res poscet, aut jubeat parens; prius tamen quàm pedem janua efferat, non secus quàm pugnatura paret animum; cogitet quæ visura, quæ auditura sit, quæ dictura; reputet apud se, undique aliquid occurrurum quod pudicitiam et bonam mentem sollicitet, et concutiat; adversus hæc diaboli, undecunque ingruentia jacula, clypeum sumat pectoris bonis præceptis ac exemplis muniti, propositum firmum pudicitia, animum in Christum intentissimum ac defixum; nec ignoret, se ad vanitatem et diaboli præstigias atque illusus ire, quæ ne capiatur maximopere providendum est; nec aliud existimandum est id quod foris videbit, quàm spectaculum quoddam vitæ humanæ, ex cujus vitiis ante oculos positis, ipsa non modo contagio non corrumpatur, sed etiam emendet sua; et quo momento a Deo in homines se se convertet, ut, sive probet eos, sive ab eis probetur, a Christo in adulterium discedit; si bona viderit, sequetur propter Christum, sin mala, vitet propter Christum; animadvertat ne sic se componat, sic incedat, sic agat, aut loquatur, ut pedica diaboli sit viris; non solum ipsa peccare non debet, sed, quantum potest, præstare ne causa sit aliis et incitamentum peccati, alioqui membrum erit ejus, diaboli, cujus est et instrumentum, non Christi: Divam Virginem ea modestia ac moderatione gestus atque universi corporis fuisse ferunt, ut si qui lasciviores oculi in eam incidissent, velut si ardens pruna in aquam cecidisset, turpe

Prodeunti
quæ obser-
vanda.

Divæ Vir-
ginis modera-
tio.

il-

illud incendium protinus extingueretur, et, ceu vis quædam intrinsecus emanans continentia ac temperationis, pravas illas intuituum cupidines coercebat, animosque convertebat in sui naturam.

His atque ejusmodi cogitationibus armata, domo exeat cum matre, si habet, et si licet, sin minus, cum gravi aliqua femina vidua, aut conjugata, aut etiam virgine probatæ vitæ, casti et sobrii sermonis, sanctæ verecundiæ; Homerus pudicam Penelopem in consessu procorum descendisse canit, sed non solum, verum duabus comitatam probis ancillis, cum tamen domi suæ esset, et Telemachus filius inter procos sederet, jam tum adolescens: D. Paulus nullo pacto vult feminam caput nudare: de reliquo autem corpore Hieronymus jubet, ut procedens in publicum, non pectus et colla denudet, nec pallio revoluto cervicem aperiat, sed celet faciem, et vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente, ingrediatur, nec spectare cupiat, nec spectari, nec oculos mobiles huc atque illuc jactet, nec curet quærere quis illic aut illic habitet quæ vix vicinos suos debet nosse: tecta vult esse omnia in virgine, præter oculos, viæ duces: nec video quid possit esse honesti et pudici in ostentatione colli (sed hoc tolerabile) pectoris etiam et papillarum, tum interscapilii, ita ut aliquæ humeros ipsos renudent; id vero quàm fædum sit, cæci (quod ajunt) vident, cum ex intuitibus alii rem tetram abominentur, lasciviores, insolita corporis parte conspecta, ceu igne subjecto accendantur: quorsum pertinere credimus inventas manicas prælongas, et chirothecas? nunquid ut manus foverentur molliter, ac odoratè? non erat tam ingeniosa in luxum et delicias vetustas; certe ut necessitati consuleretur, et manus nisi in opere laterent; ne quid cerneretur ex corpore, mancipio vilissimo, ac nequissimo; nec in facie existeret aliud quàm probitas, et verecundia: Milesias virgines eo correptas olim animi furore legimus, ut se passim suspenderent: neque huic malo remedium inveniebatur ullum; edicebatur horribilibus pœnis ne fieret; contemnebantur pœnæ, quæ enim morte atrocior, quam ipsæ ultro appetebant? Custodiebantur; inter custodum manus exitum inveniebat spiritus;

Tegi femi-
nas.

R 2

edic-

edictum est tandem, ut quæ se occidisset, nuda per medium forum media luce traheretur; hac sola pœna deterritæ sunt, ne nudæ cernerentur, licet exanimæ: ;o pudorem incredibilem, et prædicandum! quæ mortem malorum ultimum contemnebant, pudorem etiam in mortuo corpore curabant: ita furor ille compressus ac sedatus est: ; quid, quod provida rerum natura mater, verecundiæ feminarum consuluit? ; dictu mirabile! virorum corpora projecta in mare, Plinius in historia rerum tradit, supina ferri, feminarum prona: ; naturæ ergo pudor earum curæ est, ipsæ suum negligunt?

Ingressus.

In ingressu, nec celeritates suscipiat femina, nec tarditates notabiles: jum ubi in hominum conventu considerebit, magna et vultus et totum corpus convestiendum ornandumque erit modestia, quæ non ex ostentatione nascatur, sed ex miti et vere christiano pectore; hæc demum solida et durata est modestia, gratiamque spectantium bona fide conciliat: tum pudorem addendum pudicitia, ceterarum quoque virtutum mundum atque ornamentum: oculos contineat demissos, nec attollat nisi raro et modice, et verecunde; neminem intente ac inconni-venter aspiciat: si viri seorsum sedeant, et in puellas spectent, ac inter se colloquantur, ne credat virgo se spectari, de se illos loqui; fit enim ut puellæ quædam, quæ pulchritudinis aut venustatis opinionem ipsæ sibi confinxerunt, in se unas conjectos omnium oculos autument, omnium sermones in se dirigi; ita si quis eas aspiciat vir, etiam aliud agens et cogitans, suam spectari formam ratæ, subridet, et ne hoc ipsum ridere videantur, frigidum aliqua de re sermonem injiciunt, quem ipsæ putent ad risum movendum esse aptum: cernere est interdum viginti pariter considentes, quas si quis intueatur, rideant omnes, obtendentes se vel verbum vel factum aliquod cujusquam earum ridere, minimè tamen ridiculum, cum unaquæque se solam inusitata et prodigiosa forma spectaculo atque admirationi esse sibi persuadeat, in quo levitatem suam et dementiam apertissimè declarant: mea virgo et negliget formam, nec se esse pulchram putabit, nec dictis insulsis aut frivolis aridebit, nec gaudebit se intentius conspici, ac velut scopum

cs-

esse se confabulationum juventutis; cùm hoc magis sit ei lacrimandum, excellentissimum bonorum suorum a tot hostibus tot machinis impeti atque oppugnari, quibus an obsistere omnibus possit, ignorat; suam faciem velut facem quandam, juvenum animos ad inconcessas turpesque libidines inflammare: et quoniam de risu agimus, qui maximè levis solutique animi est index, caveat ne effusius riserit, ut corpus totum cachinno videatur concuti, aut compressum non valeat spiritum recipere, neve frigidis aut insulsis de causis, ut quòd aliquis sit calvus, aut varus, aut vacia, aut balbus, aut blesus, aut verbum protulerit inversum, neu levibus, ut quòd interpolatum gestet pileum, aut præpostere, vel dissutum calceum, vel fractam zonulam, aut quòd in nasum cujusquam musca involarit, aut quòd transilierit scamnum felis.

Risus.

Sed potissimum cavendum, ne ex cujuspian calamitate risus sumatur, seu derisus verius, cùm sint humani casus omnibus communes, et causæ ignorentur cur eveniant; signum est animi atrocis, atque immanis, in calamitatibus humanis lascivire, aut insolescere, nec reverentis, aut reputantis incognita quidem illa; ceterum admiranda atque adoranda consilia divinæ mentis, quæ alios facit in hac ævi brevitate miseros, alios felices, prout visum est æquissimæ illi sapientiæ, æterni ac omnia moderantis Dei. Illud ne admonenda quidem est, ne juveni ridenti arrideat, quod plane non fit nisi vel ab impudica, vel ab amenti; ne sinat se vellicari, vel lascivius tangi, mutet locum, et abeat, si vitare aliter non possit; nihil viro det, nihil a viro accipiat: *Beneficium accipere* (inquit prudens vir) *libertatem vendere est*: nec immerito illud apud Hispanos et Gallos usitatum est: *Femina quæ accipit, se vendit; femina quæ dat, se dedit*: itaque honesta nec dabit, nec accipiet; garrulam nolim esse, nec inter puellas, nam inter viros miror esse quosdam tam impudentes, qui probent; consuetudo illa accepta et jussa est, quantum arbitror, suffragiis infernis, ut laudi vertatur feminas scitè ac facundè cum viris confabulari, idque in multas horas: ; quæso vos, quid loquetur imperita puella cum juvene imperito bonarum rerum, peritissimo malarum? (puto

Munera.

Garrulitas.

de

Ironia.

Aulica femina.

de Christo, aut Diva Virgine, aut de animo componendo) quæ poterit esse materia confabulationis tam longæ? quid ignis cum stupa? an non uterque mutuo ardore incensus, de igne, quo ardebit, velit nolit, cogetur loqui? has vocant feminas palatinas, sive aulicas, quæro, a palando, an a balando? nam aulicas esse satis apparet ex plerisque aulis temporum nostrorum, parentibus flagitiorum omnium, et sedibus Satanæ, quas non tantum christianus aversetur, sed et gentilis, qui paucillum habeat mentis melioris: atqui ex illis non sunt omnes impudicæ, ajunt isti: primum nescio, deinde etiam si sunt corpore pudicæ, certe animo impudicissimo sunt, et si non corpore, at animo viris prostitutæ, nec istis quicquam defuit ad impudicitiam, præter occasionem, quod prope semper in oculis multorum, et frequentia versantur: inquit Ovidius: (1)

Que quia non licuit, non dedit, illa dedit:

sapienter Divus Aurelius Augustinus: *Nos per aurem conscientiam convenimus, occulorum nobis iudicium non usurpamus; si tu non aliter loqueris quàm meretrix, qua fronte uti te pudicam esse credam postulas?*

Non vidisti, inquis, me cubantem cum viro; nec meretricem vidi: sed quod argumentum in omni natura usurpamus, non vis in te valere, ut de internis per externa iudicemus? postulas ut aquam contineri credam in dolio, ex quo video vinum profluere? sed quid nos cum istis disputamus? quis probatus vir hæc probat? qui laudant, nisi qui nec umbram quidem norunt castitatis, qui vellent omnes mulieres (feri si posset) impudicas esse, quo promptius invenirent ubi infinitam suam libidinem explerent, qui ipsi ad ambas aures flagitiis, facinoribus sceleribus immersi, nec intueri sua vitia jam possunt, nec aliena? Exuant prius istas scelerum tenebras, quibus opprimuntur, tunc credemus eis de virtute iudicantibus: antiquis Romanis feminis, in schola illa castitatis, comitatem parum probatam fuisse, auctor est Cornelius Tacitus; Postumiam Vestæ

sa-

(1) Amorum lib. 3. Eleg. 4. v. 4.

sacerdotem incestus accusatam Plutarchus tradit, tantum ob solutiorem risum, et liberiora cum viris colloquia, sed absolutam Pont. Max. Spurius Minucius admonuit, ne sermonibus uteretur inculpatæ vitæ indecentibus; puellam et virum in loco aliquo solos diutinè confabulari, ne si sint quidem fratres, sinendum est; multa possunt adduci et vetera et nova exempla fœdorum facinorum, quid fratres etiam ipsi sint ausi, nacti solitudinis occasionem; sic Amon, Davidis Regis filius, Thamar sororem suam violavit; sic Caunus sororem Byblim: nunquam Augustinus cum sorore sua habitare sustinuit; *Malum dicebat feminam videre, pejus alloqui, pessimum tangere*: Pionis Abbatibus ægrotabat soror, rogatus ut eam antequam fato defungeretur, conveniret, alieno ductu, et clausis oculis, ad cubiculum ægre venit, paucis allocutus, eundem in modum e vestigio revertit: nec fratres cum sororibus, aut propinquos cum propinquis puellis, quamlibet casti sint, et spectatæ continentæ, lusitare, non eas osculari, palpare, vellicare patiar; quid hoc aliud est, quàm puellam impudentioribus coqui, et maturare, ut si quid petulantiores illi rogent, istæ excalfactæ, aliquid haud conveniens pudicitæ suæ cogitent? Nec in frequenti atrio, vel cubiculo, velim in angulum secedere; quid dicturi sunt soli, quod reliqui audire non possint, si casta modo et pura locuturi sunt? Colloquia de rebus bonis secretum non petunt, ibi secretum desideratur, ubi conscius timetur, et pudorem adfert, si ad alios dimanet sermo; nec multos, inter juvenes virum et puellam, sermones seri convenit, etiam arbitris aliis, nisi tam apertè honesta et pura sint omnia, ut nulla possit incidere suspicio obscœnitatis; sunt enim quidam in nequitia usque adeo ingeniosi, qui sic verbis ambiguis obliquisque quæ sentiunt involvunt; ut quo tendant, non difficile intelligatur ab ea cui dicuntur; ambiguitas tamen faciat ut negare possint se hoc sensisse, et tamquam malignos interpretes incessere, qui ad turpitudinem rapiant quæ ipsi sincero dixerint animo ac simplici; et acutuli sibi videntur, si his artibus valeant, omnium bonarum expertes, potentes prudentesque ut faciant malum; quæ res non arguit ingenium, sed malarum rerum

Secreta colloquia.

pra-

pravam industriam, quæ (ut Seneca inquit) *somno et languore turpior est*; nec ingenium fraudibus censendum est et fallaciis, nisi diabolos sanctis Angelis de ingenio præferimus, quum unus beatorum Angelorum diabolis universis acutior et sapientior sit.

In summa, præstat semper quàm minimum cum viris intercedere commercii; paucissima cum eis sunt verba commutanda, atque ea modestiæ, pudicitæ, prudentiæ plena; non existimaberis, filia, infantior, sed sapientior; quòd si sententia de moribus tuis pronuntianda est, malo videaris malis parum docta, quàm bonis parum proba: cedo, quàm multa legis Mariæ verba in tota quatuor Evangeliorum historia? Intrat ad eam Angelus, et paucis verbis tanti mysterii nuncium absolvit, iisque sapientissimis, et sanctissimis; visit Elisabetham, loquitur ut Deum laudet; parit Filium Deum, celebratur ab Angelis, adoratur a pastoribus, et tacet, conservans omnia quæ ab illis dicebantur, conferens in corde suo; adoratur a Magis, qui procul eò venerant, quid ipsam legis locutam? Alia forsàn de illa regione fuisset percontata, de opibus, de sapientia illorum, de astro; ipsa, quod teneram decebat virginem, muta semper; offert Filium templo, et vaticinantem de illo Simeonem rogasset alia, aut quædam, aut eorum quæ dixerat rationem et modum; vertit sermonem ad Virginem Senex de Filio: *Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israel, et in signum cui contradicetur, et tuam ipsius animam dissecabit gladius, ut aperiantur multorum cordium cogitationes*: alia mulier, quando, quomodo, ubi futurum, esset sciscitata, ipsa nihil legitur dixisse; amittit carissimum Filium Hierosolymis, quæsitum tribus diebus, tandem inventum, quot verbis compellat? *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, et ego mæsti querebamus te*; natu jam grandior, in nuptiis illud tantum admonet: *Fili, vinum non habent*; ad crucem omnino elinguis, nihil ex Filio quærit, cui se relinquat, quid moriturus mandet, quòd in publico loqui non didicerat: hanc, virgines, hanc, feminæ omnes, imitamini pauciloquam quidem, sed ad miraculum sapientem: Theano Metapontinæ, vati et virgini doctissimæ, magnum feminæ ornamentum silentium esse placuit; idem et Sophocli, quippe si-

len-

lento castitas et prudentia suavissimè condiuntur: illa demum erit mihi femina facundissima, cui quum verba erunt ad viros facienda, rubor toto ore suffundetur, turbabitur animus, et verba non suppetent: O eloquentiam hanc singularem, et efficacissimam! non es patrona, o filia, nec in foro agis, ut causam vel tuam, vel clientis affligas, nisi loquaris; tace tu tam audacter, quàm alii loquuntur in foro, sic enim melius pudicitæ tuæ causam defenderis, quæ apud æquos iudices superior videtur silentio tuo quàm sermone: puerum quendam, tradunt rerum Scriptores, productum in rostra Populi Romani super causa pudicitæ, defixis in terram oculis, et pertinacissimo silentio pudicitiam suam vehementius populo commendasse, quàm longis et accuratis orationibus disertissimi Oratores.

Sed ut de feminis loquar: Sancta Susanna, de flagitii crimine pertinaci silentio se purgavit, non meditata oratione; Divum Ambrosium audiamus: *Susanna mulier tacuit, et inimicos suos vicit; non enim apud Danielem iudicem verborum se ratione defendit, non patrocinii sermone tutata est, sed in sancta femina, tacente lingua, pro ea castitas loquebatur*: idem libro de Virginitate tertio, sic inquit: *Deesse sermonem virgini, quàm superesse malo, nam si mulieres etiam de rebus divinis in ecclesia jubentur tacere, domi viros suos interrogare, de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem?* sic ille. Nec solum sic inter viros se geret, sed inter feminas quoque modestus decebit sermo et parcior, non sonorus, non arrogans, aut virilis animi indicium, nullo admisto iurejurando, quod cum in viris deforme sit, non poterit non esse in femina flagitiosissimum; feminam jurare tam alienum videtur mihi a natura, quàm armis indui; sed neque sit vox fracta, et delicata, nec vultus in atrocitatem et sævitiam compositus, nec in severitatem quidem, aut tristitiam, aut fastidium, neque varius, aut præ se delicias ostendens, vel contemptum; non renidens, non mobilis, non vagus, et solutus, similis an imi index certissimus; sunt quædam corde tam fluxo, et pertuso, ut inter pares omnia, et aliena, et sua, loquacissimè effutiant, nihilque pensi habeant quid loquantur; quicquid in buccam

Tom. IV.

S

ve-

Divæ Vir-
ginis taciturnitas.

Jurare.

Vox qualis.

Futilitas.

venerit, profundunt; hinc studium mentiendi, cum vera desunt, et fabulæ de illis ortæ, quæ ex uno corvo fecerunt centum, et ex uno homine occiso, mille, et ex cane mediocri majorem elephanto Indico, ut jam nemo quibus verbis rem usque adeo præposteram et ridiculam apte insectetur, inveniat; naso et irrisionibus omnes excipiunt, quod ad summam reprehensionem sufficiat narrasse: aliæ hoc agunt, quod ineducatæ sibi videntur futuræ, si quando taceant, vel parum amicæ, nisi secretissima quæque, et maximè tacenda, in sinum alterius effuderint, etiam cum periculo; sunt quæ non arbitrentur se in hoc peccare; aliæ, quoniam in eis sermo cogitationem præcurrit, ante effutierunt quod erat tacendum, quàm vel cogitarent quid dicturæ essent, vel expenderent an dici conveniret, omnino prius quàm sentirent se eloqui, prolucutæ sunt; multæ laborant ea vanitate, aperiunt secretissima, solum ut tales existimentur, quibus res tantæ facile soleant concredi; misera, quis committet tibi sua, qui experimentum de te sumserit in alienis? Hinc multis arrepta ansa præcipiendi: *Arcanum femine nunquam credendum, non sorori, non matri, non uxori.*

Sed hoc vitium quarundam esse, non sexus, ostenderunt constantissimæ aliquot, quæ ne tortæ quidem, quæ scirent prodiderunt, ut Pythagoræa illa, quæ dentibus suam sibi evulsam linguam, in faciem torquentis tyranni conspuat, ne eloqui ulla necessitate cogeretur; prætereo Milesias, quæ consilium maritorum multis diebus, quàm diu videlicet opus fuit, constanter et prudenter Massiliæ celaverunt; Epicharim, scribit Tacitus, consciam Pisonianæ conjurationis, jussam tormentis dilacerari ut indicaret; primo die non verberibus, non ignibus, non ira eo acrius torquentium ne a femina spernerentur, commotam ut aliquid se scire confiteretur; postero die, cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine sellæ, (nam dissolutis membris insistere nequibat) vinculo fasciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellæ restricto, indidit cervicem, et corporis pondere connixa, tenuem jam spiritum expressit; Aristogitonis, qui Pysistrati filios expulit, amicam, Lenam nomine, Athenienses memoriæ mandarunt, tortam a tyrannis ut amicum

Lena.

pro-

proderet, in silentio tormenta omnia perpessam esse; si hæc impudicæ, quid pudicæ? Fugienda etiam alienæ domi curiositas, ne omnia rimari et scrutari cupias, nec plus velit seu capere, seu scire, quàm ultro concedatur; contendendum, et rixandum in publico non est, non dico leviculis de rebus, sed nec si de magna aliqua possessione ageretur; præstat fortunarum pati detrimentum, quàm nominis, et frontis, et rerum jure carissimarum: de festis, et celebritatibus, et conviviis, nescio quid præcipiam christianis, in tam receptis moribus plus quàm gentilitiis, ut demens putetur qui non simul cum orbis consensu ultro se rapiendum permittat, sed unus potius, aut cum paucis, tanto se et tam incitato populorum torrenti opponat; auscultent ergo gentiles, quæ christianum nolunt; Ovidius, flagitiosa illa tradens amandi præcepta, de publicis spectaculis dicit: (1)

Rixæ.

Festa et celebritates.

*Spectatum veniunt, veniunt spectentur ut ipsæ,
Ille locus casti damna pudoris habet.*

Juvenalis in Satyra, negat in theatris, in choreis, in celebritatibus inveniri illas, quæ gravi et honesto viro placere, ac satisfacere, conjuges possint; convivia, Veneris et Cupidinis esse arma, testatur idem Ovidius; et profecto, quæ potest esse pudicitia custodia, dum tot oculis expetitur puella? tot vultus eam intuentur? tot ipsa conspici? necesse est urat, et vicissim, nisi saxeæ sit, suo et ipsa quoque igne incalescat; accedit ardenti igni maximus ex convivio fomes, cibi, potus, confabulationum, arrisionum blandarum, et illicium aspectuum, tactionum, vellicationum, et aliorum, quorum magnam præbet Liber ille Bacchus licentiam; quis inter hæc animus purus, et integer, libidinosæ nulla cogitatione temeratus? Amantissimus populus non aliter putat puellas peccare, nisi cum viris cubent; tu ergo, qui baptizatus es per Evangelium Christi, quomodo vel legis vel audis illa Christi in Evangelio verba: *De omni verbo otioso reddendam rationem in die judicii?* At inter

S 2

ju-

(1) Arte amandi lib. 1. v. 99.

juvenes et puellas in conventibus et computationibus, et quot volitant non modo otiosa verba, sed, quæ corruptissimi nostri mores etiam laudabilia faciunt, exitiosa jacula? et tum et illud ejusdem Dei: *Quisquis viderit alienam mulierem ad concupiscendum eam, jam adulteratus est eam in corde suo*: et an non etiam de muliere virum intuente putas dictum? In seculo dixit quidam: *Incesta est etiam sine stupro, quæ cupit stuprum*: et Menander ait: *Colloquiis pravis corrumpi mores probos*: quem versiculum consecravit Paulus epistolæ cuidam suæ inserens; postremo, non christianus es et spiritalis, sed carnalis gentilis, immo vero pecus, si non virtutum et vitiorum fontem intus esse in animo intelligis, nec referre qualis quisque sit corpore, sed mente; auisim dicere, post pubertatis annos paucas ex conviviis et celebritatibus virorum redire animo virgines ut ierant; aliæ forma capiuntur, et quasi tenentur irretitæ, aliæ ingenio, aliæ divitiis, aliæ facundia, aliæ agilitate; in cœtu virorum hæc omnia puella invenit extenta, velut plagas; difficile videtur non illis saltem capi, ad quas propensior fertur.

Quàm præstat non amare periculum, ne, juxta consilium Sapientis, pereas in eo! Mea sententia est, immo Christi, (ut opinor) debere contineri virgines domi, abstinere publico, nisi sacri gratia, et bene tectas, a conspectis virorum separatas, quod D. Chrysostomus solitum ætate sua fieri scribit, ne laqueum vel præbeant, vel reperiant; cum nuptiis, cum virorum conventibus, et conviviis, nullum debet esse, aut quàm rarissimum christianæ virgini commercium; sexcentis conventibus et conviviis intersit femina; in nullo eorum vel audiet, vel videbit, unde redeat domum melior, in omnibus plurima, unde pejor; sunt non parum multi, quibus sola hæc est ars, ejusmodi celebritates petere, ac inibi aliquid vel dicere, vel facere, quod probitati detrimentum adferat: quid de puellis sentiam, hinc intelligi potest, quod et pueros adhiberi conviviis nolim, tum quod inimicum hoc est viribus et valetudini crescentis ætatis, tum quod convivium omne, ut nunc sunt mores, seminarium est multorum vitiorum, quantumvis sobrium et temperatum; multa spectat ibi puer turpia, multa discit flagitiosa, etiam in-

ter

ter senes graves, et quid inter feminas et viros dicam, ubi accensis, qua intrinsecus, qua extrinsecus, in libidinem animis, quantumlibet pudoris comprimantur frenis, erumpunt tamen, et efferunt se immodicè ac turpiter, nec habenas audiunt, et secum rapiunt vectorem? et quid porro, si ultro stimulentur calcariibus? ibi vero nec modus, nec modestia est ulla, nec pudoris respectus.

DE SALTATIONIBUS.

CAP. XII.

Dicamus et de illo nonnulla, quo nihil agunt pleræque feminarum libentius, quodque magna cura etiam a parentibus docentur, ut docte saltent: nolo hic disputare de chironomia, et palæstra veteri, quam Plato, et Stoicorum plurimi, utilem dixerunt liberis pueris, Cicero et Quintilianus necessariam oratori, quæ aliud nihil erat, quàm formatio quædam gestus totius ac motus, ut decora et essent omnia, et moverentur, quæ ars prorsus (ut aliæ permultæ) ex usu abiit; ad istam venio saltationem, sic enim appello, non tripudium modo, verum etiam palæstram horum temporum, quæ molli peragitur incessu, nam in utraque simile est flagitium, seu idem verius; quin palæstra, vel chironomia, etsi exiguis interdum, et fractis, nec se multum attollentibus, sine salticulis tamen nequaquam exercetur: saltationem ergo cum a Romana gravitate, tum etiam a Græcis ipsis paullo cordatioribus ac frugalioribus, repudiatam videmus; Demosthenes orator, comitatum Philippi Macedonum Regis apud cunctum populum Atheniensem incessens, nihil potuit gravius in eos jacere, quàm esse illos, qui nihil dubitarent ebrii saltare, prudentes vero, et probos, qui saltationes non ferrent, a se repulisse: nec ulla ex castis illis Romanis matronis saltasse legitur; Salustius *Semproniam* scribit *doctius cantasse et saltasse, quàm necesse esset probæ*; Cicero Murenam defendens, refert obiectum esse illi a Catone quod in Asia saltasset, hoc crimen tantum erat, ut defendere recte factum non sit ausus, sed cons-

Saltatio.

tan-

tanter pernegrit: *Nemo* (inquit) *fere saltat sobrius, nisi forte insanit*: neque in solitudine, neque in convivio moderato, atque honesto: intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum, comes est extrema, saltatio; ita saltationem necesse est omnium vitiorum esse quasi cumulum: at nos in civitatibus christianis scholas saltandi habemus, sed in eisdem, in quibus etiam publica lupanaria, tantum gravitate morum a gentilibus vincimur: neque vero illi hoc nostrum norant novum saltandi genus, immoderatum, jactabundum, accensionem libidinis, plenum impudicis contrectationibus, et basiis; quid sibi volunt tot basia? credo, ut columbas *aves* effingamus *Veneris*, ut veteres putabant: olim solis consanguineis ferre osculum licebat, nunc passim in Gallia, in Britannia, fertur quibuslibet; scilicet, hoc facit baptismus ut omnes, si Deo placet, fratres esse videantur: equidem, scire velim; quo pertineat toties osculari? ceu aliter constare non posset vel amicitia, vel caritas, cum feminis; initium illud est turpitudinis, quam nolo explicare; plane mos mihi fœdus videtur, ac barbaricus.

Sed pergo de saltationibus dicere: Quorsum tot saltus puellarum, subjectis a viris cubitis quo altius se attollant? Quid usque in medias noctes sine satietate, aut lassitudine, agitari eas, quæ si jubeantur proximum templum petere, ire se negent posse, nisi equo vectas, aut rheda? an non planè clamant se intemperiiis exagitari? Audisse memini me quosdam procul in nostrum orbem ab extrema illa Asia deductos, cum saltantes vidissent mulieres, territos fugisse, quòd illas dicerent novo et inusitato sibi furoris genere concitari: ac profecto quis non mulieres credat furere, cum saltent, si saltantes nunquam antea conspexerit? quis non mente captas, cum sic ad aliquem men branæ vel cordæ sonitum, manus, caput, totum corpus in gesticulatione movent? jam in illis celebritatibus juvat contemplari, quàm compositæ aliæ sedeant spectantes, quo gestu aliæ, quo incessu, quanta moderatione, quanto fastu saltent aut incedant! In quo earum dementiam cognoscas licet, quòd rem tam stultam prudentissimè conantur agere; videlicet, universa illarum mens a capite in extremos pedes desiliit; ibi est nimirum

ma-

magis necessaria cum saltatur, quàm in cerebro, vel corde: quæ unquam legitur saltasse sanctarum feminarum? quæquæque est ex istis gravioribus, et prudentiam rerum usu nactis, quæ vel non dissimulet se artem illam scire, vel rogata ut prodeat, non recuset, omnino et contumeliæ loco ducat? nimirum, non ignorant stultum illud esse, alioqui ultro facturæ: quid, quòd ejusmodi nec frequentes adsunt ubi saltatur, nisi necessarij officij gratia, ibique sic agunt ut invitæ videantur retineri, vultu et gestu toto illa aspernantes tamquam non probent: quo loco quæ potest custodia esse pudicitiae, spectatis tot virorum corporibus, et sollicitatis animis per oculorum ostia, artibus subtilissimi hostis nostri? De opere ipso sanctus vir pronuntiavit: *Malle se arare festis diebus, et fodere, quàm saltare*: Divus Ambrosius sorori suæ scribens, inquit: *Debet igitur bonæ conscientiae mentis esse letitia, non inconditis comessationibus, non nuptialibus excitata symphoniis; ibi enim intuta verecundia, illecebra suspecta est, ubi, comes deliciarum est extrema, saltatio: ab hac virgines Dei procul esse desidero, nemo enim (ut dixit quidam secularium doctor) saltat sobrius, nisi qui insanit; quòd si juxta sapientiam secularem, saltationis aut temulentia auctor est, aut dementia, quid divinarum Scripturarum cautum putamus exemplis, quum Johannes, prænuncius Christi, saltatricis optione jugulatus, exemplo sit plus nocuisse saltationis illecebram, quàm sacrilegi furoris amentiam? Extruitur regifico luxu ferale convivium, et explorato quando major solito turba convenerit, filia, intimis mandata secretis, in conspectum virorum saltatura producit; quid enim potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris? an quicquam est tam pronum ad libidines, quàm inconditis motibus ea quæ vel natura abscondit, vel disciplina velabit, membrorum operta velare? ludere oculis? rotare cervicem? comam spargere? merito inde in injuriam divinitatis proceditur, quid enim ibi verecundiae potest esse, ubi saltatur, strepitu concrepatur? tunc Rex (inquit) delectatus, dixit puellæ ut peteret de rege quid vellet: hactenus Ambrosii verba.*

Inventus est mos non ita pridem, ut viri et feminæ personati urbem totam circumcursitent, saltantes per celebres domos, quales sunt procerum, divitum, aut in quibus aliqui con-

De personatis.

vi-

vivantur, seu potant verius; atque huic ludicro ita sunt quidam dediti, ut nihil affirmant esse paris oblectamenti, quàm eum in modum capite obvoluto domos circumire; vident ipsi et noscunt omnes, a nemine cogniti, ut infantes pueruli, qui magnam capiunt voluptatem, cùm admotis ori manibus putant se ab aliis non cerni, et audiunt se ab aliis requiri: sed sub larva ejusmodi multa delitescunt flagitia; primum curiositas immodica mulierum, quæ scire quid ubique agatur vehementer avent, qui conviventur, quo ordine, quomodo ornati, quàm splendido apparatu; unde nascitur invidentia, loquacitas, detractio, infamatio: amicum credit se quis recipere, tecta facie, hostis est, et quidem capitalis, qui exploratum ingreditur quæ noceat, et inimicum relictum licet excludere, hunc opertum non licet; tum habenæ laxantur impudentiæ muliebri; quæ enim aliquò proficisci et saltare erubescere cognita, non veretur id facere larvata, eoque nullus est illic respectus ætatis, dignitatis, fortunæ, existimationis: nec solum audiunt obscœna, et se indigna, sed dicunt intrepidè quæ ne cogitare quidem auderent si noscerentur; verum omnia exæquat oculis spectantium larva, velut tenebræ quædam, objecta: ita assuescunt paulatim impudentiæ, ut detrimentum, quod sub persona accepit verecundia, citra personam proferat, et ostendat: et in Gallia, Germania, Britannia, ubi populi simplicius vivunt, minusque inter se homines astutè versantur, flagitia hæc sequuntur non negligenda; in Hispania, Italia, et aliis regionibus, in quibus propter ingeniorum acumen plus est calliditatis et vafricie, reverendum est ne magnorum scelerum occasionem præbeant ejusmodi ludicra, quæ hactenus pauca quidem contigerunt, etsi nonnulla, nimirum re adhuc non admodum vetere, neque usitata: sed ea mala satius fuerit cogitationi uniuscujusque relinquere, quàm dicendo explicare, ne admonuisse magis videamur, quàm castigasse.

DE

DE AMORIBUS.

CAP. XIII.

EX congressibus colloquiisque cum viris amores nascuntur, inter voluptates enim, convivia, saltationes, risus, delicias, regnum exercent Venus, et Veneris puer Cupido; istis illiciuntur et illaqueantur humani animi, sed in primis feminei, in quos impotentissimè voluptas dominatur: O miseram puellam, si capta ex cœtu illo discedis! quanto præstitisset mansisse dormi, aut fregisse crus corporis, quàm crus mentis! conabor tamen præsidium adferre, si nondum sis capta, ne capiaris, et si capta sis, subsidium ut elabaris: primum, omitto quæ a philosophis, quæ etiam a sanctis viris, quæ denique a cunctis sapientibus contrà cupidineum amorem dicuntur; illa quoque taceo quæ etiam ab iis scribuntur, qui amorem ex professo videntur voluisse laudare; quanta illi faciunt convicia? tyrannum illum nominant, durum, asperum, tetrum, crudelem, fœdum, scelestum, execrandum, impium, auctorem atque impulsorem pessimorum facinorum: ex Aristotele, Seneca, et Plutarcho, D. Hieronymus sic inquit: *Amor formæ, rationis oblivio est, et insanie proximus, fœdum, minimeque conveniens animo sospiti, vitium, turbat consilia, altos et generosos spiritus frangit, a magnis cogitationibus ad humillimas detrabit, querulos, iracundos, temerarios, durè imperiosos, serviliter blandos, omnibus inutiles, ipsi novissimè amori facit; nam cùm fruendi cupiditate insatiabilis flagrat, plura tempora suspicionibus, lacrimis, conquestionibus perdit, odium sui facit, et ipse novissimè sibi odio est: sic Hieronymus: Quis consequi dicendo possit, quot perjuria, quot fraudes, quot cædes, quas strages, quas eversiones urbium, gentium, regionum, hic amor dederit? Quid ego hic Trojam deletam narrem propter Helenam? tot ibi exercitius cæsos? tantum bellum inter Lacedæmonios et Messenios propter raptas virgines? Ipsum quoque Lacedæmoniorum imperium ab Epaminonda Thebano ad Leuctras Bœotias concussum, vindicante (ut Plutarchus ait) Scedasi genio filias a Lacedæmoniis juvenibus strupratas, et patris*

Tom. IV.

T

que-

querimoniam a magistratibus contemptam? Florentes Hispanias Rodericus Rex, concubitu Cavæ Juliani comitis filiae, perdidit, lacerandasque et conculcandas Mauris reliquit; genus hominum prostravit et afflixit Adam propter amorem Evæ.

Exclamat ille, *Quid non cogit aurum?* Immo vero, *quid non cogit sævus amor?* Mitissimum Davidem impulit ut innocentem Uriam præsentibus periculis objiceret, quo potiretur libere Bethsabee; Salomonem sapientissimum Regem dementavit usque ad idololatriam; Samsonem debilitavit; Medeam adegit fratrem lacerare, filios occidere; Catilinam filium proprium interimere, ut in vacuam domum Orestillam duceret; oderunt parentes, et consanguineos, puellæ, quòd suo amorì obsistant; sunt, quæ matres ipsæ suas, ex quibus erant natæ, ac educatæ, veneno sustulerint, ut cum amatoribus fugerent; Messalina, Claudii Imperatoris uxor, illo vivo, et Hostiam ad sextum decimum ab Urbe lapidem profecto, ipsa, nulla divortii mentione facta, publice, media luce, Romæ Cajo Silio nubere ausa est; prætereo quòd privata fiebat ex Augusta; certe, id conflabat periculum, sub quo et ipsam, et Silium, et omnes tam nefarii connubii conscios, perire erat necesse, sicut evenit: hæc facerent Orestes ulli, aut Ajaces, aut illorum quisquam, quos exagitados a furiis accepimus? Nec in ullis tigribus, leonibus, lupis, ursis, talis annotari potest furor; nimirum, eò protrudit conscientia sceleris cæstro, percita, quod vecordia ne cogitare quidem securo possit; denique hunc tam immanem affectum, et atrocem, si quis oculis corporis posset cernere, non secus terreretur ac cohorresceret, quàm si subito truculentissima occurreret bellua, et quàm longissimè se territus abriperet: si non es ergo hujus scorpii veneno icta, reputare animo tuo versiculum illum Mimi debes:

Amor animi arbitrio sumitur, non ponitur:

esse in tua manu, amorem admittere; et postquam admiseris, jam te tui juris non esse, sed illius: non licere tibi illum extrudere cum libeat; illi vero et licebit et libebit domicilio te tuo deturbare; itaque nisi hospitem ejusmodi venientem ad te

ar-

arceas, ipsa a te arcebere: faciendum est quod deinceps pati erit necesse, nisi feceris; quippe amor, quò ipse immoderatus ac profusius in animo nostro dominetur, et omnia pro libito conturbet, sursum ac deorsum involvat, ac misceat, mentem primum omnium vel excæcat, vel ejicit, ut cum nihil cernat, aut procul absit, cognoscere nec possit quid domi suæ agatur, sed cunctam se amoris arbitrio tractandam et versandam permittat: atrox venenum, quod luminibus nos orbat, et excæcos per mille abrupta, per totidem præcipitia trahit raptaque, et plerumque in exitiabilem voraginem devolvit! Nullum adeo est vel inhumanum et immane facinus, vel sic inusitatum atque inauditum, quod non suscipiamus si in hoc amorì parendum aut gratificandum sit; fraudare amicos, occidere consanguineos, parentes jugulare, trucidare quos pepereris, levia sunt, in gratiam amoris; nec illa gravia, a stirpe patriam regionem, genus humanum excindere.

*Quæ inter hæc memoria sancti, pii, æqui? Deus, et religio, et bona mens, nugæ omnia, suimetipsius jam oblito; qui sanus est, et hæc reputans, non dat operam, quo in hanc mentis phrenitidem, cæcitatemque ad omnia nunquam incidat, nimirum dignus is est, qui perpetuo illa teneatur, nec inveniat suorum malorum finem aut modum, sed agitetur diebus ac noctibus face illa Cupidinis; nec cibum sumat, nec dormiat, nec videat, nec quiescat; et cum sit homo, nullo tamen humano munere fungatur: affectus hic, cum animos mortalium omnium impotentissimè rapit, tum vero feminarum, quanto teneriores sunt quàm viriles: quo circumspectius cavere illis expedit, ne sensim illum hauriant insciæ (illabatur enim quandoque improvisus iis, qui in discrimina adducti, et in occasionibus positi, securi sunt quo motu animi invadantur) amoremque, ubi primum irrepsit, tamquam blandum suavemque amplectuntur, et fovent ignaræ quàm capitalem ac formidandam pestem, sub illa frontis blanditiæ occultam: ergo primis quibusque occasionibus fortiter obsistendum, quod et magister amorum Ovidius consulit: neu sine adolescere parvulos Babylonis, sed juxta Psalmistæ monita, *Allide illos ad petram, et comminue in firmamento**

T 2

re-

religionis Christo Jesu, qui in Canticis virgines admonet, inquit: Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: et eo suadet accuratius capiendas, si vinea bonorum fructuum jam flores ostendit. Accipit amor vires ex mora, ut aliæ res permultæ: (1)

*Vidi ego, quod fuerat (inquit Ovidius) primo sanabile vulnus,
Dilatam longæ damna tulisse moræ:*

Amantis ag-
gressus.

non magis audiendus amans, quàm incantator, aut veneficus; aggreditur hic suavis ac blandus, et primum omnium puellam laudat, captum se dicit ejus forma, postremo perire præ amore immodico; videlicet, non ignorat multarum vanos animos, quæ unicè laudibus suis delectantur: sic volucrum aucups fallit visco et fistula: vocat te formosam, venustam, ingeniosam, facundam, nobilem; et forsàn nihil horum es, sed tu illa mendacia libenter audis: ;stulta, putas te videri talem, cum non sis? sed fac esse; ;num etiam prudentem adjecit? ;num pudicam? ;Si prætermisit hæc, nihil dixit, sin adjecit, quid a te sperat? Si sperat, mentitum esse apparet: ;quomodo igitur oravit? captum se ait istis tuis dotibus; ;quid inde? periturum, nisi potiatur; hinc illæ lacrimæ.

Vide jam tu, ne et ipsa illius verbis capiare, ac pariter et unà pereatis: moriturum se dejerat, atque etiam (si diis placet) jam jam mori; ;credis tu hoc? demens, proferat tibi ille, ;quot amore interierint ex tot amatorum millibus? Excruciat quandoque amor, nunquam perimit; quòd si perit, ;quanto consultius est tibi perire illum quàm te? ;aut etiam unum perire, quàm duos? ;quid attinet explicare, ut promptum et commune sit id carmen amatoribus ut omnes memoriter teneant, cum sæpenumero ne gutta quidem amoris aspersi sint? solum id occinunt, ut fallant: puella quædam Gallica, ex iis quæ Margaritam Valesiam comitatæ sunt in Hispaniam, visentem Franciscum Franciæ Regem fratrem suum Caroli Cæsaris captivum, cum a juvenibus Hispanis subinde audiret: Amore enecor: *Morere jam tandem*, inquit, *ut amatorem aliquem mori videam*, ex tot

mo-

(1) Reme. Amoris. lib. I. v. 101.

moriturientibus: quòd si te amator tui fruatur ad satietatem, ibi ostendet quantum amarit; si amasset ille te, hoc est, animum tuum, nunquam eum, quàm diu vixisses, fastidium aut satietas tenuisset tui, sed quia corpus tantummodo deperibat et brevem ex te voluptatem, ideo flaccescente corpore deferbuit ille ardor, expletusque voluptate fastidivit copiam: non sunt rara exempla, nec vetera necesse est advocare: nullus est tam rerum imperitus, qui non audierit, qui non viderit, sexcenta virorum millia, ubi puellis essent abusi, abjecisse illas plerumque in fornicem aliquem, cum eas nunquam dilexissent; alios, qui adamarunt, ex ardentissimo amore in capitale odium versos, cæcidisse, aut jugulasse amicas; nulla est civitas, in qua non quotidie hæc audiantur, ut magis puellarum furorem demirer, quæ se in tantum malorum mare non invitæ immergant: ;unde quæso tam frequentia lupanaria? præfandus est honos; sed hæc non sunt tacenda, quorum similia non dubitavit Hieronymus eloqui: ;unde tot prostibulæ, etiam honesto natæ genere? ;unde tot in ptochotrophis, et valetudinariis, ulcerosæ etiam adolescentulæ speciosissimæ? ;unde tot stipem poscentes, pallidæ, ægræ, teterrimis morbis contabefactæ, nisi ex istis exemplis? Si nullus te virtutis, nullus probitatis, pudicitæ, religionis respectus movet, si nulla sanctarum virginum revocant acta et exempla, hi saltem miserarum puellarum casus flectant, qui te indubii manent si eandem quam illæ viam insistas.

Fallet te amator, vel quia solitus fallere, vel quia hoc est præmium obscæni amoris, vel quia id suadet voluptatis satietas: proderunt etiam multa ex iis quæ in custodia pudicitæ diximus, ut amorem nec victus ratio gignat aut alat, nec otium, nec conversatio cum viris: apud Lucianum Sophistam quærit ex Cupidine mater Venus, ;*Cur cum Jovem, Neptunum, Apollinem, Junonem, se etiam matrem, denique deos omnes, jaculis suis configat, Minerva, et Musis, et Dianæ manum non admoliat?* Minerva (inquit ille) mibi venienti comminatur, hæc occasionibus it obviam, et resistit; Musæ vero reverendæ sunt, et semper honestis exercitiis occupatæ, hæc majestate sua, et negotii intentione ab amore se vindicant; Diana in silvis et solitudinibus errat; hæc amorem non haurit consuetudine, mul-

tum

Puella 2-
mans.

tum enim amoris per sensum se insinuat, quod postea teneris cogitationibus alitur, et excrescit. At capta est puella; remedium quærendum est plagæ, antequam cogat id perpetrare quod pœnitentiam æternam afferat: primum, hoc docendum, quod in eam te voraginem videns prudensque conjeceris; nec audiendi sunt, qui fuisse in manu sua negent amorem non admittere; vox ea est hominum prætextentium crimini suo excusationem necessitatis tamquam inviti fecerint, et ignorantium amoris naturam ac vim: cogitandus est igitur æque versiculus Mimi:

Amor extorqueri non potest, elabi potest:

qui aperte indicat non amorem vi irrupisse, nec vi expellendum, sed ut illapsus est, ita sensim a nobis exprimendum; non sines vagari animum tuum, nam eò sponte sua revolveretur: sunt cordatiores aliquot, quæ amatorias cogitationes aliis diversi generis extrudunt, veluti clavum clavo, itaque vehementi studio alicui se exercitamento cunctas dedunt, in quo universa animi intentio occupata, alias curas meditationesque excludat: ergo vel telam magna compendii spe ordiuntur, vel avidissime discunt acu pingere, vel legere, vel scribere, vel litteras latinas, quod sive præsentis commodi illecebra, sive spe venturi, animum in se vertat ac detineat: porrò cum paullum amoris conquiescent stimuli, et pondere ac violentia illius relaxata, vacabit mente aliquid cernere, revolves ac reputabis cum animo tuo, quàm multa per amorem egeris stulta, cæca, sine mente, sine sensu; quomodo tantum boni temporis in eo triveris inutilibus, et stultis curis, in quo amiseris occasiones rerum optimarum; qua face arseris; quàm multa cogitaris, dixeris, feceris, partim inepta, partim insana, partim etiam impia; in quantum malorum seminarium te præcipitabas cæca; quantum est beneficium oculos tibi esse restitutos, ac ad meliorem redire mentem velle! haud mediocre Dei munus hoc esse, nec parvam ei ob illud deberi gratiam: tum redi ad opus aliquod; cura ne rem amatam aspicias, ne de illa audias; si cogitationi occurrit, animum aliò retorque, vel lectione, vel oratione, vel sermone aliquo, vel etiam cantiuncula honesta, vel cogitatione rei jucundæ, modo puræ, et castæ.

Hinc

Hinc si quid is, quem amas, vicii habet, si quid deformitatis, id fac potius menti obversetur, quàm si quid boni et pulchri; nullus est mortalium, in quo non insit quod improbes; id occurrat primum, de illo cogitanti. Jam reputa latere ingentia sub virtutis specie mala, multa sub honesti facie pernicioiosa; superbos et fastidiosos reddit forma, nobilitas insolentes, divitiæ temerarios, robur corporis feros ac immanes: revoca in memoriam, non si quid dixit quod placuerit, sed si quid quod displicuerit; fieri aliter non potest quin ipsa illum recorderis aliquid egisse aut dixisse ineptum, frivolum, stultum, fœdum, tetrum, abominandum, nequiter, flagitiose, dementer, nefarie; ex hoc quod prodiit, fac conjecturam, qualia sint alia, quæ intus maxima cura occultentur, nam nemo, quantum potest, vitia sua non celat, nemo non ostentat virtutes; ita fit ut et hæc sint semper minores quàm videantur, vitia vero majora quàm appareant: adde quod affinitatibus vitiorum et virtutum fallimur, quoniam quisque melior quam sit videri affectat, nosque imperitè et ad vulgarem trutinam virtutes examinamus; igitur liberalem vocamus, qui sit profusus; fortem, qui temerarius; eloquentem, qui loquax; ingeniosum, qui levis; istis sæpe capiuntur puellæ, cum nec ipsæ satis judicare sciant, et de homine judicant ex eo quod extrinsecus apertum omnibus, obviumque circumgeritur, præsertim cum nemo ad amicam accedat, qui non se in habitum componat et optimi viri, et fortunatissimi, ne quid ei credatur deesse, quod in aliquo mortali ad amorem conciliandum optari posse videatur; hunc in modum improvidis puellis imponunt, cum tenuissima boni specie derestandas malorum voragines contegunt, ut aucupes viscum cibo, et hamum piscatores esca. Hæc omnia reputare puella debet antequàm sera teneatur pœnitentiâ, et incipiat sapere, cum nihil jam prodest; quod si amorem prorsus exueris, tum velut sanitati restituta, et receptis luminibus, intelliges ut cum aliorum complurium, tum vel hujus beneficii nomine, nunquam Deo sis solvendo, qui te ex numero dementium exemptam inter sapientes reposuerit; quæ enim sancta femina christiana, quæ habita inter gentiles vel mediocriter

Amore ab-
jecto quid.

pru-

prudens et proba, adamavit unquam nisi maritum? Nec cupies hoc amoris genere te amari, neu improbis artibus ignes viri accendens, perventuro et ad te facile incendio proximo: gloriantur se quædam habere amatores, quos dedita urant opera; sed istæ, quæ venatum a diabolo ducuntur expansione formæ, cultus, sermonis, sibi ipsæ non minus tendunt rete quàm viris, durioresque sibi reddunt custodiam suæ pudicitie, quam tot expetant atque impetant.

Ægre retinetur quod tam multi laborant extorquere: ita contingit eis merito quod Jesus ait filius Sirach: *Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet: et, plaga dolosa dolosi dividet vulnera: et, qui foveam fodit, incidet in eam: et, qui statuit lapidem proximo suo, offendet in eo: qui laqueum alii ponit, peribit in illo: scelerata, non vides te hunc in casses diaboli tuis fraudibus impellere, eodem et tu cum illo casura, ut ministerii tui mercedem accipias? et ille ardebit, quia victus diabolo, et tu, quia diabolo victrix? uterque stipendia meret peccati ampla; Stipendium autem peccati, quemadmodum testificatur Apostolus, mors: lex Christi, quæ formula est dilectionis mutue, non vestitum modo, et universa fortuita, sed corpus quoque ipsum, et sanguinem, et vitam cujusque nostrum, animæ proximi postponit; omnes enim, intenti atque expediti in profectionem, incumbimus ad destinatam immortalitatis felicitatem; quàm convenit nos gaudere, quum exemplo, vel monitis, vel incitatione nostri, fratri ad virtutem profuimus, tam dolere, quum ille nostra causa fit pejor; si detestatur illum Dominus, per quem scandalum venit, quid illi fiet, qui sciens et prudens offendiculum objicit pedibus ambulantis proximi, in quod ille cum gravi casu impingat? Nec secus merebit proba femina se alicui occasionem aut ansam fuisse flagitii, quàm si a se esset occisus, quanto, scilicet, levius est cervicem jugulare, quàm animam, et a trunco separare caput, quàm animam a Deo; sine anima morietur corpus, vivet nihilo secius anima; sine Deo nec corpus, nec anima: quocirca studebit femina diligenti opera ut eum revocet ad mentem, quem ipsa dementarit; primum, quantum poterit, verbis, et bene admonendo, quæ si parum profi-*

ficiant, aversione sui, et rejectione illius; rarius cum illo colloquetur, rarius se illi aspiciendam offeret, minuet ea quibus ille est captus, formam, venustatem, cultum, sermonem; cogitabit illis non ornari se quæ ruinam fratri præbent, sed diaboli se exhibere ministram, ad offensam Dei: non potest Christianus appellari, qui vel cum impendio proprii corporis salutem fraternæ animæ non procurat: in historiis Nationum legimus adolescentem eximie formæ, quum in se videret puellas aliquot exardescere, cultello faciem suam deformasse: O exemplum omnium feminarum! id adolescentem illustri memoria dignum! id fecit et vir, et gentilis, christiana virgo, aut mulier, pilum unum de cultu, de verbis, de colloquiis non detrahet, quibus et perimit fratrem, et majestatem violat Christi? Nec feminis in suo sexu desunt exempla si imitari meliora est animus; fuit Barcini quæ ut amatorem suum perditum ad mentem revocaret, brassicas putres sub axillis aliquandiu tenuit, edit item brassicas crudas, et propius ad amatorem accedens tamquam secretum colloquium expetens, teterrimo illo foetore in perpetuum ab se illum absterruit, ac fugavit.

DE AMORE VIRGINIS.

C A P. XIV.

ET quando hominum mentes aptæ atque appositæ sunt ad amandum, ostendam tibi puros et sanctos amores, qui amorem hunc pravum atque adulterinum extrudant: habes primum quem ames, patrem Deum, sponsum Christum; habes matrem ejus, et sororem tuam, Divam Virginem; habes tui similem, Dei Ecclesiam; habes tot Virgines sanctissimas, quarum animæ in cœlis agunt beatæ, nomina in terris sacrata sunt; habes parentes, qui te genuerunt, qui tibi sunt Dei vice, qui te tanto labore aluerunt, tanta educarunt caritate ac cura, quos et ames, et, quantum opis erit tuæ, juves, eorum jussa semper habeas sacrosancta, modesteque illis obtemperes; nec in animo sit, nec vultu aut gestu aliquam præ te feras contumaciam, putesque il-

los imaginem quandam solidam et veram tibi referre illius rerum omnium parentis Dei; habes animum tuum, tibi vel naturæ voce commendatum; habes in aliis virtutes, et animos Christo deditos; habes eos, qui te cupiunt salvam atque incorruptam, denique æternam lætitiā, summamque illam et nunquam finiendam felicitatem: hi demum sunt veri ac recti amores, nam ille corporum fictus est, verique amoris perversus simulator, quæ libido potius, quam amor debet nuncupari: illa omnia si bona fide amas, nec Deo præpones hominem, nec sponso Christo juvenem scortatorem, nec Divæ Virgini lenam, nec Ecclesiæ Dei lupanar, nec consortio sanctarum Virginum cœtum impudicarum, nec parentibus extraneos, immo hostes, nec animo tuo corpus, nec alienis virtutibus vitia, nec animis Christi cultoribus animos diaboli ministros, nec eis qui te servatam atque integram esse volunt, eos qui perditam et corruptam, nec brevissimam et momentaneam delectatiunculam æternæ lætitiæ, nec inferorum miseriam beatitudini suis omnibus numeris absolutæ.

Ita magis apud te valebunt Dei jussa, quàm hominis suavis dolosi, et males Christo fidem habere quàm verbis impurissimi nebulonis, et sequeris potius quò te ducet Diva Virgo, quàm quò libido, et cariorem habebis quem illa tibi conciliarit, quàm quem lena, et Ecclesiæ leges non violabis ut serves fornicis, et males aggregari inter Catharinas, Agnetes, Claras, Margaritas, Barbaras, Teclas, Agathas, quàm inter impudicas, quarum ut vita Deo, ita et nomina hominibus ignota sunt, utraque sunt diabolo cognita, et perscripta; nec deserēs parentes ut amatores sequaris, nec æternam relinques eis animi ægritudinem ut exiguam des fraudulento amatori de te voluptatulam, nec males corpori tuo bene esse quàm animo, et gaudere corpus, tristi mente, nec auscultabis potius quid ex scelere quis dicat, quàm quid ex virtute, nec credes citius satelliti diaboli quàm ministro Christi, nec committes te ei qui vult perimere, sed qui vult servare, et eliges citius, perfecta et æterna in cœlis perfrui lætitiā, quàm hic falsa imagine gaudii attingi, eadem ut fugacissima, sic et mœrori adeo permista, ut major

me-

merito pars mœror dici atque existimari debeat; tum horrebis magis illam sine fine ullo miseriam, quàm captabis voluptatem hanc mundi, si modo sit hoc nomine censenda, volvesque animo illud sancti viri: *Momentaneum est quod delectat, æternum quod cruciat*: in te ergo, tot ac tantis amoribus stipata ac freta, Dei, Christi, Mariæ, Ecclesiæ, Virginum, parentum, tui ipsius, beatitudinis divinæ, quis patebit obscœnitari aditus? non erit tam impudens et temerarius Cupido, ut impetere locum non reformidet tam venerandis custodibus munitum ac septum, qui Musas studiorum causa reveretur; quòd si ausit, in illum certe suum sibi telum retorquebitur, nam ubi hæreat in ejusmodi puella, non inveniet.

DE QUÆRENDO SPONSO.

CAP. XV.

Humanum genus, mortale in singulis, suffectione sobolis fit perpetuum, et ut soboles sancta sit, ac pura, Deus conjugium instituit, quo auctore servire possumus naturæ, sine peccato; ideo Paulus ait: *Qui virginem suam viro collocet, non malefacere, tantum in Domino*: et quandoquidem vir quæritur feminæ socius fortunarum omnium publicè ac privatim, comesque individuus ac inseparabilis, ut sola alterutrius mors possit illos sejungere, major est et gravior hæc deliberatio, quàm pro hominum opinione; cum ex iis sit, in quibus, sicut dici solet, non est bis peccare; si semel peccatum sit, ferendum est deinceps quicquid acciderit, velis nolis: quocirca maximo opere providendum est ne aberretur: vera virginitas conjunctionem sexus nec novit, nec appetit, ac ne cogitat quidem, ab omni illius sensu beneficio cœlesti vindicata et libera; itaque virgo, dum parentes de ipsius conditione consultant, totam ejusmodi curam ad illos releget, qui et ei non minus bene cupiunt, quàm ipsa met sibi, face a natura in illorum pectoribus accensa, et per ætatem, atque usum rerum, longius prospiciunt; quomodo enim poterit puella domi clausa virorum nosse mores, atque

V 2

in-

Nausicaa. ingenia ut sibi ex illis deligat, vel ignara rerum, quid expediat videre? Apud Homerum autem, cum Nausicaa per quietem esset a Minerva submonita, uti vestes ablueret, breviter futura sponsa, illa currum ab Alcino patre petiit ut in flumine vestes lavaret, aliam tamen præterens causam, nam eam vel conjugii meminisse puduit: quod imitatus Vergilius in duodecimo Æneidos, cum Latinum et Amatam conjuges colloquentes fecisset cum Turno, Lavinia illorum filia, cui Turnus destinabatur, lacrimas tantum dedit, et ruborem, non verba; significans, virginem non decere interloqui, ubi mater et pater de connubio ipsius deliberant. Romanus olim mos fuit inter matronas illas, exemplaria pudicitiae, ut nupta, quo primum die ad mariti aedes deducebatur, ipsa per se non ingrederetur mariti limen, sed intro ferretur sublata; ceu vi quadam reluctans, et invita, in eum veniret locum, ubi virgineum decus esset amissura: quomodo id potest virgo simulare, quæ ultro nuptias expetiit, et postulavit?

Rebecca. De Rebecca sic loquitur Divus Ambrosius: *Non est virginalis pudoris eligere maritum; sed jam desponsata viro, de profectionis consulitur die: nec immerito dilationem non attulit, jure etenim properare debuit ad maritum: unde illud Euripideum, quod mirantur plerique unde translatum sit, manifestum est; ait enim in persona mulieris, quæ tamen maritum volebat relinquere, et ad alias petebatur nuptias: sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum: ergo, quod et ipsi philosophi mirati sunt, servate virgines: tantum Ambrosius: qui ne viduis quidem permittit ut ipsæ sibi conditionem quærant: in oratione Saræ, filia Rague-
Sara. lis, hæc sunt verba: *Tu scis, Domine Deus, quod nunquam concupi virum, et mundam servavi animam meam ab omni concupiscentia, nunquam cum ludentibus miscui me, neque cum iis, qui in levitate ambulant, participem me præbui: quemadmodum vero ait viros sibi a parentibus traditos suscepisse, audiamus: Virum (inquit) cum timore tuo, non cum libidine mea consensi suscipere: puella igitur, dum illa cogitatio parentes occupat, votis ac precationibus negotium adjuvet; poscat purissimo affectu a Christo, ut is contingat sponsus, qui a pietate non deterreat, non**

aver-

avertat, aut impediat, sed invitet, adhortetur, adjuvet, et juxta vaticinium Apostoli: *Sanctificetur mulier infidelis per virum fidelem.* Parentes ipsi non modo in consilio ejusce rei capiendo caritatem patrum in liberos obtineant, et præstent, sed affectum quoque induant puellæ, ut ita eligant quemadmodum si ipsi essent nupturi; multi enim vel imprudentes patres, vel mali, peccant in deliberando, quod quem sibi ipsi commodum generum putant, eundem credunt bonum fore maritum filia; ita sæpenumero divitias solas, vel sanguinem, vel opes ac potentiam spectant generi, quæ sibi utilia rentur fore, non ea quæ expedient filia, domi cum illo intra eosdem parietes habitanti: ejusmodi homines hostes sunt, non parentes, seu, ut aptius dicam, negotiatores filiarum, qui illas impendunt, ut sibi sit bene.

Non est nodus, qui possit dissolvi; si quò sis filium missurus cœnatum, diligenter prius inquiris, qui sint convivæ; si quò peregrè, qui sint futuri viæ comites; si asseclam, si famulum admittis, qui sit, cujās, quibus propinquis, quibus moribus qua fide; hæc omnia quanta sedulitate scrutaris, cum illæ tamen adjunctiones brevissimi sint temporis? tenellæ tuæ virginis, rerum omnium ignaræ ac rudi, quæ tibi fidit uni, in cujus manibus spes omnes suas et vota collocat, non aliam habitura quàm quem ipse dederis socium, non aliam fortunam et sortem, non dubitas adjungere qualem non velis habere servum, tam accommodum societati, quàm vel ursum, vel lupum, vel suem: haud injuria proverbium usurpant illud Galli: *Non esse feliciter natum, qui non sit feliciter maritatus:* ut infortunatum conjugium nobilitati, formæ, valetudini, opibus ac potentia, ad miseriam prægravet: quòd si jure de viro id dicunt, quanto causatius de femina, cui tanto est accuratius providendum ut probus contingat vir, quàm contrà viro, ut proba femina, quanto videlicet levius est imperare malo, quàm parère. In conjugio duo sunt spectanda, convictus et soboles; in priore sunt victus, hinc usus familiaris, et consuetudo quotidiana, prima cura debet esse victus, sed ea levissima, secunda corporis mariti, tertia sobolis, quarta, et potissima, morum

Proverbium

In conjugio spectanda quæ.

at-

atque ingenii, de quibus præcipiemus sigillatim: sed in his omnibus in universum est curandum, ut æqualitas sit quædam, vel similitudo verius, inter virum et puellam, qua nihil tenacius animos et copulat, et continet, arcissimum est enim amoris vinculum similitudo, idque videtur admonere Pittacus Mytilenæus, qui fuit unus ex septem illis Græciæ Sapientibus celebratissimus; hunc enim cum adolescens, quem duæ appetebant, altera genere et opibus superior, altera par, utram duceret rogasset, sapiens illum ad lusitantes pueros remisit, qui subinde clamitabant, λάβε καθ' εαυτὸν, *sume quæ tibi congruat*, inuens hoc esse faciendum. Minima est quidem, ac si precium recte æstimeretur, infima, tuendi corporis cogitatio, sed inevitabilis necessitas effecit ut esset, si non maxima, certè prima; si filia tantum es pecuniæ collaturus in dotem, quantum satis sit familiæ sustinendæ, totam tuam curam ad generi ipsius considerationem transfer, quo sit corpore, quo animo; si illum aliquid necesse est conferre, intuendum non quàm magnas possidet divitias, sed quam artem, vel parandi quæ non habet, vel conservandi parata; nullæ sunt tantæ opes, quæ si tueri ac retinere nescias, non brevi exhauriantur tempore: Themistoclis Græciæ Principis consilium fuit de conditione quærenda: *Malle se virum sine pecunia, quàm pecuniam sine viro*: qui nec artem callet bonæ frugis aliquam, nec pecuniam possidet, hunc servituti aptiorem deputo, quàm connubio.

Matrimonium esse non debet sine patrimonio; ut alterum videatur adferre femina, nempe matronæ virtutes, et facultatem pariendi filios, alterum vir, quod ad vitam sustentandam pertinet: et in artibus vitæ sunt quædam fugiendæ omnino ut flagitiosæ, velut ea quæ rem facit pecunia fœnori data; crudeliter item atque inhumanæ, quales sunt carnificum, piratarum, militum mercenariorum, qui exigui quæstus gratia, manus suas accommodant jugulandis hominibus, depopulandis agris, exurendis ædificiis, quo nihil dici potest immanius; sunt aliæ probrosæ, ut ubique cauponum, interpolatorum, mediastinorum, ad quos non descendemus, nisi vel desperata conditione aliqua quacunque, vel si de eadem et nos simus nota; immodicæ opes,

et

et nostris longè superiores, insolentes reddunt maritos, et uxorum despectores, quibus non tamquam legitimè conjunctis, sed ut ancillis abutuntur, eoque magis, si opulentia accedat potentia, vel generis claritudo. In corpore contemplamur formam, Formam, ætatem, valetudinem; exiguum bonum et momentaneum est forma, nec deformitas impedire conjugium debet, si adsint reliqua, modo ne omnino fœdissima sit, et portentosa: ætas magis est spectanda, ne sit vel minor quàm exigat auctoritas patrisfamiliæ, qui uxorem, liberos, et familiam possit regere, neu major quàm ut suppetant vires ad munia domestica, neve, prima statim inter initia conjugii, filiis adhuc infantibus, concedat naturæ, uxoremque ac liberos præsidio suo orbatos destituat: valetudinis major est habenda ratio, tum propter domus ac familiæ munia, quæ sanum rectorem crebro postulant, tum propter uxorem et liberos, quos morbo suo inficit, si sit contagiosus, idque tanto est cavendum accuratius, si teter sit morbus, atque abominabilis, et ex iis quos medici hereditarios nominant; quid dicam, si sit insanix aut dementiæ genus, quod multis exemplis deprehendimus ad posterum transferri? Illuc potissimum dixi curam et cogitationem universam debere conferri, ut ingenium ac mores contemplemur; hæc est una hominis censura; hinc homo est æstimandus; nihil vel in corpore est, vel in fortunis, unde iudicium fieri possit certum de homine; non divitiæ, non possessiones, non genus, non potentia, non gratia, non dignitas, non clientelæ, non forma, valetudo, ætas, integritas, proceritas, non horum adversa, nihil denique præter ingenium, in quo sunt acumen, eruditio, virtutes, vel contrà, hebetudo, ruditus, vitia.

Multa in connubii cursu molesta intercurrunt, multa sunt devoranda fastidiosa et gravia, prædicebat hoc Paulus de conjugibus: *Infirmities carnis habebunt hi*: multæ res exacerbare possunt hoc vitæ genus, unica vero condire ac levare, si bonus et prudens contingit vir; proba mulier peculiare est donum Dei viro, (ut inquit Sapiens) quod illi pro benefactis confertur, quid mulieri probus vir? nisi forte jucundius ac felicius censem, bonum habere famulum, quàm bonum herum: O stultos

et

ros parentes! ;ò insanas et vecordes puellas, quæ vel formosos, vel locupletes, vel nobiles, bonis præfertis! augetis vobis curas, anxietates, molestias, quas per se se adfert ipsum connubium: calamitosa sunt conjugia, quæ sola conciliat vel pecunia, vel voluptas, ut Helenæ et Paridis, quorum illa opes Asianas concupivit, hic vero voluptatem egregiæ formæ; e diverso placidum ac felix fuit Ulyssis ac Penelopis consortium, quippe vir erat sobrius et sapiens, uxor moderata et casta: si quis esset de numero aliquo electurus viæ comitem, ;an non furiosum eum omnes judicarent, si divitem libentius sumeret, aut bene vestitum, aut speciosum, quàm hilarem et facundum, *qui est in itinere pro vehiculo*, sicut habet vetus sententia, aut prudentem ac providum, a quo et tædium levare posset itineris, et in periculis adjuvari? Quòd si nihil est vita aliud quàm via, ;quanta vecordia est, eam quæ ex se est undique tot incommodorum referta, pluribus adhuc augere discordia conjugum! Nubis formoso, hunc species fastuosum reddet; nubis diviti, hunc divitiæ fastidiosum; nubis nobili, hunc genus insolentem; denique superbia, quæ ex fortuitis donis nascitur, non sinet inter vos concordiam bona fide coalescere: si pulchro formæ causa nubis, in quo nec mens est, nec probitas, *nec salis mica*, ut est in veteri dicto, (quemadmodum usu solet deprehendi, ut in istis elegantibus hospitibus sit hospes turpissimus) eodem consilio nuptias expetieris tabulæ, aut signi marmorei, pulchrè delineati, ac decolorati; vis opulentum stolidum, propter opes; ;quin potius auream statuam? clarum genere, spurcum, intemperantem, propter sanguinem; ;cur non eadem mente simulacrum Scipionis, aut Cæsaris? ;Et quanto esset satius, cum signis, tabulis, et statuis vitam degere, quàm cum homine improbo atque intolerabili! Itaque parum appositè mutis rebus assimilavi homines malos; rectius asinis, suibus, ursis, lupis contulissetem.

Pasiphaes
fabula.

Equidem, fabulam esse rebar, Pasiphaën concubuisse cum tauro, nunc factum est mihi verisimilius, postquam eas vidi, quæ ab illis non abhorrent quorum ingenium pejus belluino, spurcis videlicet, ebriis, iracundis, stupidis, imprudentissimis,

fa-

fatuis, immanibus, sanguinariis, qui minus habent hominis, quàm quævis feræ, a sapientibus, a moderatis viris fugiunt, et abhorrent; ut hujusmodi feminas, quidam nostrati carmine jure incesserit, dicens: *Luparum eas esse naturæ in deligendo, quæ ex multis lupis masculis, qui eam sectantur, vilissimum dicitur ac putidissimum sumere*: a quo ingenio translatum est ad mulieres, *luparum* nomen: atqui viri non tam facile capiuntur femina, in qua non aliqua sive fortunæ, sive corporis, sive ingenii dos eluceat; mulieres aliquæ sæpe amant quosdam, tantum quòd amore nihil penitus dignum habeant, quo apertius declarent, se judicium, rationem, consilium, mentem flocci non facere, nunquam istis duci, quicquid agant, semper animi morbo impelli rationis expertè, immo vero inimico: dici non potest, quantam nobis juventutis partem ejusmodi corrumpant, mulieres ne appellem, ;an olida morticina? neque enim tantæ jacturæ meminisse possum, sine stomacho; affectant scilicet imperiti juvenes, et rectoris consilii ignari, approbari se puellis, quas adamant, quas concupiscunt; vident non posse aliter, nisi ab omni honesta arte, a cultu ingenii, ac morum, quàm longissimè recedant; omnia postponunt amoris imperiis: itaque amores ejusmodi feminarum simillimi suat pharmacis veneficæ illius Circes, quibus illam homines in belluas mutasse perhibent; nam quemadmodum pueri lusibus dediti, qui nihil per ætatem altius aut melius sapiunt, eos admirantur solos, qui in suis illis lusionibus multum valent, sapientium studia ducunt pro nihilo, quia nec cujusmodi sint conjecturâ assequuntur; sic feminæ deliciis, voluptatibus lasciviæ, dementiæ addictæ, eos demum sapientissimos opinantur, qui illis ipsis rebus sunt demersi, quique eis tribuunt plurimum; quicquid autem saniorum mentem resipit, velut nugas et amentiam, magno vultus fastidio, rejiciunt, stolidos et insanos amant, colunt, suspiciunt, sapientes esse et existimant, et aperte fatentur; contrà verò, sapientes contemnunt, aversantur, stultos esse dicunt, et insulsos, non aliter quàm incensi febre mellita tamquam fellea respuunt, et suibus gratior cœni est odor quàm amaricini.

At si scirent quantum prodesse possent multis, commutata

Tom. IV.

X

ju-

judicandi perversitate, non tam male de illis ipse sentio, quin credam eas et in statuendo, et in vita tota, sapientiores fore; ausim dicere: apud adolescentes, et juvenes, non perinde concionatorum omnium, parentum, magistratum, recta monita, atque exhortationes ad virtutem, habitura esse virium, quantum istarum et mentes sanas, et verba mentibus sanis digna: plurimum auctoritatis habet quicquid ab eo vel dicatur, vel fiat, quem ames, cui placere studeas; idque legislatorem Lacedæmoniorum sensisse, Plutarchus est auctor in Lycurgo. Memini narrari olim mihi peradulescentulo, esse in Hispania civitatem, in qua juvenus nobilitatis ex otio atque opulentia cœperit in studia se se luxus projicere, ut nihil curarent præter convivia, saltationes, amores, lusus, et alia exercitia, quæ minimum vel bonæ mentis adferrent, vel prudentiæ, cum magno seniorum mœrore, qui ex iis initiis grandem reipublicæ suæ jacturam augurabantur, multique eorum, noctes ac dies, quomodo hisce suorum juvenum vitiis obviam ire possent, inter se consultabant, etenim se mortuis, civitatem in perditissimorum hominum manus devenituram videbant; eorum quidam consilium attulit saluberrimum, nam cum animadvertisset amatorculos esse hos juvenes, et de voluntate ac judiciis feminarum plurimum pendere, auctor reliquis senibus fuit, ut quisque filiabus suis, et nuribus, iisque feminis quæ ad curam suam pertinerent, declararet quo in discrimine sitæ essent civitatis res, quæ, ex florenti ac felice, miserrima ac perditissima esset futura, simul primum amentissimi homines administrationem illius suscepissent, feminas vero, quæ nunc molliter per opulentiam ætatem agerent, inversis negotiis in egestate atque inopia rerum omnium durissimam toleraturas vitam; unicum restare hisce malis remedium, si illæ quarum censuris juvenus tantopere tribueret, ad prudentiæ illos studium, curamque publicæ salutis extimularent; id futurum perfacile, si saltatorculos, loquaculos, ineptos, scurriles, convivatores, ludibundos, aperta significatione fastidii defugerent atque aversarentur; probos autem, moderatos, sobrios, in quibus nonnihil eluceret cordis, comiter ac benevole exciperent; hos laudarent, tamquam futuros aliquando columnen et

Nota historiam.

tutelam patriæ, vituperarent illos, ut nequam et perditos adolescentes, nullius frugis, et patriæ futuros dedecori atque exitio: placuit senibus consilium, quod et explanatum feminis, vehementer est, ut in tam manifesto periculo, approbatum, idque illæ acutissimè exequutæ sunt; brevi tempore juvenus ita est commutata, ut è profligatissimis ac perditissimis, cordatissimi viri evaserint, et callentissimi publicæ privatæque administrationis, atque illa civitas multo deinceps vigentior fuit sub his juvenibus, quàm sub illis senibus fuerat, longeque Majores suos juvenes isti ingenio et rerum usu antecelluerunt.

¶ Miseræ, quid facturæ estis cum viris auro onustis, mente exhaustis? ¶ Num tu mavis mœrere semper, auro et serico involuta, quàm lætari in panno laneo, aut etiam cannabaceo? ¶ mavis haberi odio, et vapulare in purpura, quàm diligi, et in dulcissimos mariti complexus venire sub colore pullo? si illa mavis, habe quæ optasti, et ne queraris ea tibi contingere, quæ ipsa manu tua cepisti prudens ac videns, quamvis cæcè atque imprudenter: ¶ quid, quòd maritos complures accepimus, sola insania instigatos, usque ad uxorum insontium necem processisse? Justina nobilissima Romana virgo, ætatis suæ puellas forma supergressa, cum locupleti quidem, sed stolido, et furenti viro, in matrimonium esset tradita, de excellenti illa specie in suspicionem marito venit, qui candidissimæ uxoris cervicem conspicatus inclinantis se ad exuendum calceum, furore ex zelotypia correptus, teneram puellam et novam conjugem obtruncavit: de quo facinore est illud Epigramma:

Justina.

*Immitis ferro secuit mea colla maritus,
Dum propero nivei solvere vincla pedis,
Durus, et ante thorum, quo nuper nupta coivi,
Quo cecidit nostræ virginitatis honos;
Nec culpa meruisse necem, bona numina testor;
Sed jaceo fati sorte perempta mei:
Discite ab exemplo Justinae, discite patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro.*

Si recte præcipit Plato ut viri, tamquam diligentes et industrii agricolæ, videant in quod arvom projiciant generosum semen, ne vitio soli degeneret, et quanto id est sollicitius prospiciendum feminae, nempe arvo ipsi? etenim si, et semini, et solo, daretur sensus, non dubium quin utrumque alterum posceret bonum, nam ex amborum commista facultate constant fruges, sed accuratius tamen, ac anxius, terra ipsa, propterea quod fruges maximam partem virium a semine potius quam a terra accipiunt, nec generosa equa, nisi generosum equum admittit: optari solet ut parentem soboles referat; et cuperes tu, uxor, filios patris hujusmodi similes? et aut tu, socer, nepotes? quæ dementia est eum asciscere generum, cujus si quis similes nepotes precetur, velut execrationem abomineris; et quanto generosius Aristides Locrensis, Platonis familiaris! a quo cum Dionysius inferior unam ex ejus filiabus uxorem sibi deposceret, respondit: *Gratius futurum sibi videre eam mortuam, quam tyranno nuptam.* Convictus in colloquutione situs est, et communicacione fortunarum omnium; et quid colloquetur, quid dicet stupidus, et cunctarum rerum ignarus prorsus? et quæ crux erit, audire asinum perpetuo rudentem? et tanto acerbior, si ipsa non careas ingenio, quemadmodum solet dici, nullum cruciatum esse parem homini cordato, quam illi fatuum alligari.

Paulus Apostolus non patitur *ut mulieres loquantur in ecclesia, sive docendi, sive discendi gratia, sed si quid avert scire, viros suos domi rogent*: et quem rogabis, misera, si quid de pietate dubitas, aut de vita? et formam scilicet ipsam, aut nobilitatem, aut divitias, quas expetisti in demente? et quis familiam, quis filios instituet? Rebus prosperis moderatione est opus, rebus adversis consolatione, in utrisque magno et valido consilio; et quis hæc præbebit, cum virum habeas a judicio, a ratione, nudum penitus, ac inopem? Si transis in mores mariti malis, fis mala, sin ei repugnas, invisas; quæ rixa! quod odium æternum! quod interdum ut vites, vel in similitudinem concedis scelerum, vel in approbationem! Ecclesia, quo minus sinat christianam barbaro, aut hæretico viro, nubere, vel contra, virum fidelem infideli mulieri, hæc est causa, ne alter contagio inficiatur alterius:

con-

considera mihi, versa vice, quæ confabulationes sint cum ingenioso et prudente, ut nullum suaviorem concentum inveniri posse constet sermone hominis ejusmodi, et eo magis si accedat facundia; et quæ filiorum institutio! et quæ familiae descriptio viri prudentis! et quam et ad usum accommoda, et ad stabilitatem firma, et ad honestatem spectabilis! Si quid cupis discere, habes paratum magistrum; si consilio indiges, sive ut te sapienter in rebus secundis geras, sive ut in adversis fortiter, habes ad manum fontem, ex quo copiosè haurias, nec illa modo, sed præcepta, monita, exhortationes, consolationes, ea denique omnia, quibus inter has vitæ tempestates per singula momenta est opus: et cum bono quæ mansuetudo! et quanta pax et tranquillitas? et quæ incrementa pietatis, adjuvante viro non præceptis solum, et inani quadam philosophatione verborum, sed exemplo suarum actionum! ut non maritum contigisse tibi experiare, sed Angelum cœlitus missum, universæ vitæ tuæ ducem.

Hæc vera est et germana tranquillitas, gustus plane quidam æternæ illius felicitatis; propter virum ejusmodi, et uxori, et liberis, et universæ familiae, affinibus quoque ipsis, et necessariis, benefaciet Dominus; propter Abraham dedit Dominus filium Saræ; propter Isaac geminos Rebecca; generationem justorum curæ esse Deo, testatur ipse oraculis suis, non uno loco, qui toties Israëliticæ genti gravissima condonavit scelera propter Abraham, Isaac, et Jacob: *Generatio rectorum*, inquit Psalmista, *benedicetur*: et idem alibi: *Juvenis fui, et senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem; tota die miseretur, et commodat, et semen illius in benedictione erit*: tum Salomon in Proverbiis: *Qui conversatur sine reprehensione in justitia, beatos filios relinquet*: apud homines vero quæ potest commendatio illi comparari: et *Optimi viri conjux? et optimi viri filius?* Evander, Arcadium Rex, simul primum est Æneam contuitus, in patris Anchisæ memoriam est illum complexus: (1)

— *Ut te, fortissime Teucrum,*

inquit,

*Accipio, agnoscoque libens! et verba parentis,
Et vocem Anchisæ magni, vultusque recordor?*

; Quid

(1) Virg. Æneid. lib. 8. v. 154.

Gener. Quid soceri? quantum sibi parant præsidium, si generi probi sint, officii ac pietatis memores? sin vero pravi, perdit, stolidi, fraudulent, arrogantes, scelerosi, hostes sibi asciscunt; inimicus est malus gener, non affinis; bonus, non tam gener, quàm filius; Socrus Petri valida febre a Domino liberata est, quòd pro ea gener esset precatus; tanti fuit illi, generum habere talem, quem comitem et discipulum sibi adjungere Christus non dedignaretur: de nuru in libro Ruth legimus, cum ex terra Moabitide Noëmi revertisset in Judæam, patriam suam, marito et filiis orbata, comitatæ sunt vetulam nurus duæ Moabitides; altera earum, Orpha nomine, domum reversa est ad gentem suam, Ruth vero secuta est semper, quam et verbis consolata est, et opera sua aluit, ac fovit; ita in Ruth et pietatem filia Noëmi reperit, et filii curam; vere vidua et deserta fuisset anus, si non quàm Orpha erat, meliorem nurum esset nacta; sed quia Ruth habuit, non omnino videri potuit liberis orbata, nec (quo nomine nuncupari volebat) Mara, id est, amara, quin, quum Ruth peperisset Obeth ex Booz, tam gratulatæ sunt vicinæ mulieres ipsi Noëmi, quàm si illi non modo nepos esset ex filia natus, aut filio, sed filii septem, erant enim hæc gratulantium verba: *Benedictus Dominus, qui non est passus ut deficeret successor familiæ tuæ, et vocaretur nomen ejus in Israel; et habes, qui consoletur animam tuam, et enutriet senectutem tuam; de nuru tua natus est quæ te diligit, et multo tibi melior est, quàm si septem haberes filios*: hactenus quidem de sponso ipso. Nunc quemadmodum quærendus, parandusque sit, paucis disseram: illud tamen ante omnia præfabor, ita homines sæpenumero mutari conjugio, ut quem omnes aspernabantur cœlibem, hunc maritum nemo non filia suæ optaret; quemadmodum alii mutantur in pejus.

De sponso
quærendo.

Dum conditio virginis prospicitur, expedire censent aliqui puellas nobiles crebro conspici in publico, eleganter ac splendide indui atque ornari, versari et confabulari cum viris, facundas esse, doctas saltare et psallere, interdum etiam amare eum, quem sibi maritum destinant, sic enim fieri, ut facilius conditionem inveniant; cui pravæ opinionationi poterat ex iis,

quæ

quæ dixi, in universum occurri, sed singula excutiam, ut non modo prudentibus satisfaciamus, sed etiam rudibus et inexperitis rerum: æcquis unquam vir providus hoc consuluerit, qui norit non esse mala facienda, ut inde bona eveniant? præcipue, ubi mala præsentia certa sunt, bona nec certa, nec omnino solita procedere: quòd si non es aliter nuptura, o virgo, nisi per has animi corruptelas, et per hæc discrimina pudicitia, præstat nunquam nubere, aut solum habere Christum sponsum, quàm nubere diabolo prius, ut mox nubas viro, immo vero ut duos habeas simul maritos, vel adulterum alterum, nempe cui posterius conjuncta es, hominem scilicet: quæ sint pericula, quæ mala in iis rebus omnibus, explicavi antea; itaque approbatam sententiam nostram confido esse iis, quibus prima est ac potissima Christi ac pietatis cura, nunc cum iis loquamur, qui, nefarie quidem ac impie, sed res mundi antiquiores rebus Christi habent. Duo esse animadverto, quæ maxima potest ad virum afferre mulier, integram pudicitiam, et integram famam; nullus usque adeo insanit, nullus tam vel formæ deditus est, vel opibus, vel generi, nullus tam impurus, et perditis vitæ rationibus, qui non ferat quamlibet uxorem, si hæc duo habeat, sicuti rursus, nullus qui ferat, si non habeat: jam, quæ puella integrius castitatem et nomen tuetur? quæ domi sedet clausa, an quæ frequens in publico? domi nulla flagitii occasio, foris undique scatentes innumeræ, multæque ex singulis succrescentes tamquam hydræ capita; de puella, domi abdita, nemo fert judicium, de ea, quæ in publico visitur, unusquisque, ubi labes, et facillimè diversitate judicantium aspergitur, nec facilius usquam hæret quàm in puella, nec aliunde difficilius eluitur: quæ utram magis admirantur viri? quæ utram suspiciunt, et pudiciorem censent? quæ vel raro vident, vel nunquam? an quam ubique obviam, etiam ad fastidium? nec facile credunt recte servari integritatem a puella quæ tam crebro prodit in publicum: profecto ad conditionem parandam audiri de puella magis conducit, quàm eam videri, ut sunt diversa hominum ingenia, et judicia: puella quæ spectatur, aliquid vel dicit vel agit, quod aut ipsi ducturo displiceat,

Integritas
pudicitia et
famæ.

ceat, aut alicui ex iis quos habet in consilio, aut cui multum adhibetur fidei; ob quod unum dirimuntur plerumque conjugia, quæ jam prope cohæserant; illudque non injuria dicit populus: *Connubia, quæ multum tractantur, raro compingi.*

Dicamus de vestibus, et fuco: si propter hæc duceris, non intelligis te odiosam fore, quando sine his eris? Atqui ut hanc domi personam aliquando ponas necesse est, et verseris simpliciter ac aperte cum marito; an illud ignoramus, ut maximè placent ea in quibus aliquod insperatum invenimus bonum, ita maximè odio esse quæ nos speratis fraudant bonis? Si formosa videris sponso culta et picta, nec es tamen, cum ille de tua forma magnam opinionem conceperit, necesse est te oderit postquam se falsum intellexerit: quid? quòd nominare possum etiam in hac regione, et in mea, puellas complures natu grandiores inuuptas adhuc, quòd exquisito et sumtuoso utantur cultu: *Tota* (inquiunt) *dos cum ipsis dotalibus donis in vestitum unum, aut monile profundenda erit*: hic ornatus, et marito est gravis in nupta, et patri in virgine; unde est in domo mœstitia illa, cum filia nascitur; videlicet, quòd jam tum quanti deinceps constituta sit, parentes reputant: adde his, quòd nimium cultæ, de mentis levitate ac vanitate suspectæ sunt, modicè vero, frugalem, sapientem, gravem esse judicant, et qualem quisque matronam suam esse cuperet. Jam eas, quæ libenter versantur cum viris, quis non aliqua sinistra suspicione aspergit? Atalantam, Jasidis Argivi filiam, quæ urbicas aspernata delicias, silvis et venatibus dedita vixit, quæque nobilem illum Calydonium aprum confixit prima, historiæ narrant virginem fuisse venatricem, sed declamatores ejus integritatem in dubium vocarunt, illo argumento, quòd sæpe cum viris juvenibus in silvis vagaretur: et de pudicitia puellæ nullus est adversus rumor tam exiguus, qui non velut olei macula serpat ilico, ac se se diffundat, augetur enim sermonibus credulæ in vitium turbæ: denique quis est maritus tam patienti stomacho, qui facile uxorem toleret, assuetam semper cum viris conversari, et sociare sermones? quis non malit eam, quæ cum solo marito libentius sedeat, et colloquatur, quàm cum virorum caterva, in qua alius sollicitat

for-

formâ, alius opibus, alius largitione, alius ingenio, alius facundiâ, est qui nobilitate, est qui viribus corporis, et robore? Nam facundas esse puellas, hoc est garrulas, (quid enim est facundia in femina, nisi garrulitas?) arguit levitatem animi, et malitiam ingenii, ita ut ducturus, viperam se accipere existimet, non uxorem; loquaculam, et saltatricem, et dicacem, et ludi bundam, laudant juvenes coram, simplicem appellant, festivam, ingenuè educatam; omnes, ut facilius fallant et corrumpant, nemo ut ducat; omnes se potituros citius credunt tali; nullus eam uxorem libens acceperit, quam se aliis tam facilem præbere cernit; probant in præsentia quæ illæ agunt, quia delectantur.

Miseræ! si quæ illi postea seorsim dimoto velo inter se colloquantur audirent, ibi demum cognoscerent, quàm ex animi sententia et laudarent, et arriserint, et verbis ac vultu incitarent! intelligerent, cum festivam vocant, sentire illos lascivam; cum facundam, loquacem et garrulam; cum agilem, levio rem animo quàm corpore; perurbanè educatam, inverecundam; peraulicam, petulantem et procacem; dixerunt simplicem et sine dolo? fatuam subnotarunt, et quæ feminæ decorum ignoret: at inveniunt istæ conditionem; fateor, nonnullæ, vel cura et providentia parentum aut propinquorum, vel virorum imprudentia et fatuitate; sed quàm multæ non inveniunt! quanto plures nubunt et melioribus maritis, et felicius, quæ non velut lenociniis illiciunt viros, qui postea, cum se captos sentiunt, mala tractatione mulieres enecant? Neque enim bono conjugio et frugis uteris unquam, quem arte ac dolis circumventum pellexeris: in summa, si quis est vel adeo demens, vel adeo spurcus, et nequam, ut talem mulierem malit, quàm solitariam, severam, cultu simplici, taciturnam, ei det vicinus filiam suam, ego non darem meam; nam necesse est levitatem amet, et vitia, qui ea gravitati, sanctitati, et ceteris virtutibus anteponat. De amore dicenda sunt paucula, quæ res maximâ ex parte puellas miserimè decipit, et in mille præcipitat casus: qui constabit, non decere puellam ne significationem quidem præbere voluntatis conjugii, et amare juvenem, ut nubat? si illum amas antequàm sit maritus tuus, quid ille ipse suspicabitur nisi tam

Puellarum
facundia.

te facile adamaturam alium quàm se, quem nondum amatum oportebat? Utique non se solum amari credet, cum non minor sit causa cur et alios ames, et postquam illi juncta legitimè fueris, alios quoque adamaturam, nempe, usque adeo in amores propensam: obtegant hæc alii quibuscunque volent coloribus, mulier quæ virum non maritum suum amat, si rem habet cum eo, corpore lupa est, si non habet, animo: nec refert quem amet, ubi nondum maritum amat: insana, ; nunquamne fando quidem audisti, plurimas istis amoribus intempestivis adductas ut iis obsequerentur, quos maritos sibi fore sperabant? ; hos verò, ubi libidinem suam ad satietatem expleverant, elusas illas contempsisse? idque merito, et sapientissimè, indignæ enim sunt, quas ducant ii viri, quibus eisdem ipsæ declararunt posse se cum eo, qui legitimus maritus non esset, concumbere simile et ante conjugium facturæ cum aliis procis, et in conjugio cum mœchis.

Nullus dies est, quo non hæc in unaquaque civitate accidant; nulla est tam ab omni auditione eorum, quæ in populo agantur, remota; ad quam ejusmodi non pervenerint: audio in hac regione, in qua vivo, rejectos esse a quibusdam puellis procos, unicam ob causam quòd nulla prius inter ipsos intercessisset amoris consuetudo, quippe, negabant posse se cum ejusmodi maritis jucundè ac suaviter vivere, quos ante conjugium nec amassent, nec novissent; idem creberrimum esse in Creta narrant; quasi vero non posset amor in conjugio coalescere: ; quid opus est tales animos verbis insectari? quos quæ non videt esse impudicos, ea profectò multo impudicior est: ; tu ergo non virum diliges, quòd ipse tibi Dei legibus, Dei jussu, ac Deo velut pronubo, junctus est, sed quia ejus amori ante sanctas et legitimas nuptias assueveris? ; illiusque conversatione excafactam libidinem ad torum affers? hoc idem et scorta faciunt, quæ eam ob causam amatores suos diligunt, neque tu sane multum scortorum absimilis es: et ita, puellis ejusmodi velut ultione divina accidit, ut tota amoris flamma, quam in conjugio ardere conveniebat, ante conjugium ardeat, et inter primos nuptiarum amplexus deflagret, atque extingatur, unde il-

illud vulgare verbum: *Qui propter amores conjunguntur, in mœroribus vivunt*: quippe, solet in multis restincto amoris ardori maximum odium succedere; quæ res cunctæ civitati magnarum sæpe fabularum materiam præbet, cum ardentissimos amatores tribus aut quatuor post nuptias diebus rixatos audiunt, et ad pugnos ac fustes venisse, quumque adhuc ex pane, in nuptiarum usum parato, domi superesset, divortium fecisse: nec mirum: durare ignis non potest, qui pabulo et fomento caret, nec amor, qui honestis moribus non alitur, quandoquidem *Nulla est* (ut inquit Cicero) *firma inter malos amicitia*: quòd si amoribus non expedit conciliari connubia, nec tam turpibus et fragilibus nodis sanctam illam constringi caritatem, cogitare unusquisque potest, ; quanto minus per dissidia, rixas, lites, odia mutua, ut cum in litigio femina virum aliquem maritum esse contendit suum, aut e diverso, vir feminam aliquam uxorem! Nihil unquam vel legi, vel vidi, vel audivi ineptius, atque absurdus, quàm ut invitum et renitentem trahas ad te illum, qui cum individue victura es, et qui nisi te amet, misera sis futura; ceu verò cogi posset quis ut amet, non extorquetur amor, sed elicitur, nec unquam amicus erit, qui repugnans aliquò est pertractus ubi et vinctus teneatur.

; Quanta dementia est, ab odio auspicari mysterium sacri amoris! servum mediufidius nolim invitum retinere, ; quanto minus conjugem! non dico, detrectantem et invitum non esse arripiendum virum, sed neque nubendum illi, nisi id conjugium libens ipse et avidus expetat; neque decet, puellæ patrem vel curatores rogare, aut ambire, immo neque puellam offerre ultro, contra potius, virum ipsum matrimonium poscere; sic fieret, nisi omnia pecunia metiretur, et regeret; nunc pecuniæ nubitur, pecunia ducitur, et (sicut non festiviter minus quàm vere Seneca dixit) *Uxores digitis ducimus*: propterea tam crebra connubia tristia videmus et infelicia, cum uterque conjugum pecuniæ se copulatum putat, non homini, illamque velut legitimum comparem arctissimè uterque complectitur, uxorem vero ceu pellicem maritus, et maritum ceu adulterum uxor, in usum tantum libidinis, cetera alter alteri invisus atque odiosus:

qui propter divitias junguntur, simul habitant, non simul vivunt; qui propter voluptatem, ac speciem, cum his etiam evanescit caritas conjugalis; qui autem vero, ac germano amore, hi profecto ex duobus hominibus unus animus fiunt, quæ est naturalis veri amoris efficacia: qui rerum igitur naturas integras purasque conservare student, nec depravatis corrumpere judiciis, conjugium copulam quandam esse reputant amoris, benevolentia, amicitia, caritatis, pietatis, omnium suavium, dulcium, carorum nominum, undique stipatam, fultamque; idcirco, futurum inseparabilem socium fallacibus lenociniis non decipiunt, nec aperta vi rapiunt, et trahunt, sed, quod nomen usurpari in eo negotio solet, ducunt, ac ducuntur; idque aperte, simpliciter, pure, ingenuè; ne alteruter, aut ambo etiam, captos se, fraudatosque, vel vi pertractos, maximo utriusque malo conquerantur, sed sancta sit inter illos et felix concordia dulcissimum matrimonii condimentum.

DE INSTITUTIONE

FEMINÆ CHRISTIANÆ

LIBER SECUNDUS.

DE CONJUGIO.

CAP. I.

NON est hic de conjugii vel laudibus, vel vituperio, disserendi locus: neque sunt veteres quæstiones attingendæ, velut, sit ne sapienti ducenda uxor? nec illæ nostrorum hominum, de conjugio, cælibatu, et virginitate, et aliæ quæ ab Augustino disputantur, et reliquis nostræ pietatis Scriptoribus: scio non defuisse, qui vehementer conjugium sint insectati, nec Hæreticos solum, ut Manichæos, qui abstinere in totum nuptiis jubebant, quorum error explosus atque ejectus est, sed gentiles quoque qui de toto prope sexu sententiam ex quibusdam

ma-

malis tulerunt, nimis vulgari more, quo de universa gente solemus pronuntiare, cognitis aliquot, sic infames fuerunt, Pœni perfidia, Cilices latrocinii, Romani avaritia, Græci levitate; deberent honestæ matronæ odio habere et insectari improbas, tamquam dedecus et labem totius sexus: neque vero sic vituperare ullus ausus est muliebri genus, quin rem optimam, auspiciatissimam, prosperrimam, fateretur esse bonam mulierem; et, quemadmodum Xenophon in OEconomicis inquit: *Maximum ad viri felicitatem momentum*; nihil est usquam dulcius bona conjugate, ait sapiens Theognes; Xystus in sententiis, viri gloriam illam vocat; Euripides Tragicus, qui exacerbatus duabus parum pudicis uxoribus, tragœdias suas conviciis et maledictis mulierum refarsit, dictusque est græco verbo, feminarum osor, affirmare tamen non dubitat nullam esse tantam voluptatem, quantam boni capiunt conjuges; et Hesiodus, poëta feminarum inimicus, ut nihil infelicius ait viro, qui in malam uxorem incidit, ita nihil felicius eo, qui nactus est bonam.

Salomon ille propter mulieres dementatus, et ex sapientissimo insipientissimus factus, quasi execrans facinora sua, sæpe numero in feminarum reprehensionem magno rapitur impetu, sed ita tamen, ut plerumque de quibus sentiat aperte eloquatur; in Proverbiis enim mulierem insipientem, et audacem, inopem panis effectum iri scribit, et ab uxore malefica sic consumi virum, ut lignum a tereidne; at in eodem opere, quàm splendidum est ac gloriosum mulieris probæ præconium! de qua inquit: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum senioribus terræ; fortitudo et decor indumentum sanctæ mulieris, et ridebit in die novissimo; os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus; surrexerunt filii ejus et beatissimam prædicaverunt, et vir suus laudavit eam; multæ filie congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*: hæc et alia sapientissimus Rex, quæ a cordatissimis quibusque magno consensu approbari video. Nam de conjugio quid disputarint ingeniosi homines, seu declamarint potius, non laboro, tametsi docti homines ducendam uxorem præceperunt, quod et fecerunt ipsi: septem illi Græciæ Sapientes uxorem duxerunt in primis, deinde Pythagoras, Socrates, Aristoteles, Theophras-

phrastus, Catones, Cicero, Seneca; nimirum quod nihil magis viderent secundum naturam esse quàm viri et feminæ conjunctionem, qua et hominum genus in singulis mortale, in universis fit sempiternum, et id posteris reddis, quod a majoribus accepisti, ac velut naturæ gratiam refers: Aristoteles in libris moralibus ducendam civili viro uxorem suadet, non tantum liberorum causa, sed etiam convictus, ea enim est prima et maxima conjunctio: ita profecto se res habet.

Ex illa communione ac amicitia universali, qua cuncti homines, seu fratres ab uno rerum omnium parente Deo derivati, continentur, qua nos natura ipsa, quæ prope in omnibus hominibus eadem est, inter nos caritate quadam devincit, arctior est illa, quæ inter eos, qui eisdem sacris communicant, deducitur in angustius humanis institutis ac jure civili, et in cives propensiores quam in exteros sumus; ex civilibus, cariores sunt necessarii; ex istis, amantur magis juncti sanguine; junctorum sanguine, nihil est propinquius uxore, quam primus ille, generis humani proauctor, primum visam, professus est statim, *Os esse ex ossibus suis, et carnem ex carne sua*: et quum nondum vel patres essent, vel matres, tamen legem tamquam naturæ verbis tulit: *Propter hanc relinquet homo patrem, et matrem, et adhaerebit uxori suæ, et erunt duo in carnem unam*: Quis neget sacratissimam rem esse conjugium, quod Deus in Paradyso instituit, puris adhuc, et integris hominibus, nec ulla macula inquinatis, in matre elegit, præsentia approbavit, et in celebritate nuptiarum primum miraculorum suorum facere voluit, ibique ostendere specimen divinitatis suæ, ut declararet ad eos servandos se venisse, qui et per sic conjunctos perditum erant, et per sic conjunctos nascebantur? Verum hinc de matrimonii laudibus non scribimus, quas facundissimi viri magnis sæpe orationibus sunt persecuti, tantum sanctam feminam instituimus.

QUID

QUID COGITARE DEBEAT, QUAE NUBIT.

CAP. II.

FEMINÆ, quum nubit, origo connubiorum in mentem revocanda est, et leges illius animo ac cogitatione crebro revolvendæ; et sic ipsa se parare debet, ut tanto mysterio intellecto prius, postmodum satisfaciatur: princeps et conditor immensi hujus operis Deus, postea quàm hominem marem in orbem terrarum invexisset, non existimavit congruum esse illum relinqui solum, itaque sociam illi adjunxit animantem, animo ac forma simillimam, qua cum versari, sociare sermones, commodè ac suaviter degere ætatem posset, postremò esset sobolis procreatio, si libèret; etenim conjugium non tam ad prolem sufficiendam institutum est, quàm ad communionem quandam vitæ, et indissociabilem societatem; nec maritus nomen est libidinis, sed conjunctionis ad vitæ universas actiones; feminam Deus ad marem deduxit: quod aliud non est, quàm Deum ipsum nuptiis auctorem conciliatoremque præfuisse: ideo Christus in Evangelio conjunctos a Deo nominat. Vir ilico ut feminam generis sui conspicatus est, unicè illam amare cœpit, dixitque: *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro ex carne mea; hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est; propter hanc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suæ, et erunt duo in carnem unam*: quum in carnem unam dicitur, una caro est intelligenda; porro caro hominem significat; utrumque ex Hebræi sermonis proprietate; itaque qui prius duo erant homines, conglutinati matrimonio, fiunt unus: hoc est conjugii mysterium admirandum, sic copulare conjuges, et commiscere, ut unum faciat ex duobus, quod et præstitit in Christo et Ecclesia, sicut docet Apostolus Paulus: hoc nulla vis valeret efficere, nisi divina; necesse est sanctissimam rem esse, cui sic peculiariter adest Deus; quapropter non ad choreas se venire femina, aut ad lusus, aut ad convivia arbitretur, quum huc accedet, altius ipsi cogitandum est: Deus est auspex, Ecclesia pronuba: qua de causa, quod tantis auctoribus conjunctum est, et fixum, non sinit Christus

Caro una.

Christus.
Ecclesia.

a quoquam mortali vel refigi, vel dissolvi, atque ex uno duo fieri, qui ex duobus facti sunt unum, dicens in Evangelio suo: *Quod Deus conjunxit, homo ne separet*: quòd si separari nefas est, et nodus ille non est humanis manibus resolvendus, quem constrinxit Deus, nec alius debet tentare aperire quod clausum est clave David, quam solus habet agnus ille immaculatus.

Jam nunc initio sic te honesta para femina, uti eo modo tibi conjungas amore, quem conjunxit sacramento Deus, ut colligatio facilis tibi, ac levis fiat; nec solum aut laxatum optes vinculum, ne te ac comparem tuum in molestiam inextricabilem, perpetuamque miseriam, convolvas, nam magna pars hujusce rei in tua manu sita est, ut vel pudicitia, et modestia, et moris gestione, commodo utaris marito, et feliciter agatis, aut rursus vitiis animi corporisque, duro atque aspero, molestiamque et tormentum tibi ac illi fabriceris, ne morte quidem finiendum: eris quidem perpetuò in pistrino ancilla, laborabis, trahes molam, plorabis, afflictabis te, execraberis diem quo illi toro juncta es, execraberis illum quo es nata, et parentes, et consanguineos, et quotquot ejusmodi matrimonio suam operam commodarunt, si maritum tuis vitiis offensum, in tui odium impuleris; at vero vives jucundis in ædibus domina, lætaberis, exultabis, bene precaberis dici quo nupsisti, et iis qui te illi junxerunt, si tuis virtutibus, modestia, commoditate, amabilem te illi præstiteris; prudens enim ait Mimus: *Bona mulier ad virum parendo imperat*: Plinius Junior, quum uxore uteretur ex animi sententia, vicissim se illi tractabilem ac suavem præberet, Hispulae uxoris suae amitæ gratias et suo et uxoris agit nomine: *Ego*, inquit, *quòd illam mihi, illa quòd me sibi dederis, quasi invicem elegeris*. Super hæc omnia caput illud connubialium legum primum, et haud scio an solum: *Erunt duo in hominem unum*: cardo est conjugii, vinculum sanctissimæ societatis; in hunc velut scopum, si cogitata, dicta, facta, mulier direxerit, rectissimè atque integerrimè connubii sanctitatem ut tueatur, et conservet, optimèque ac beatissimè vivat, necesse est; hoc observari semper debet animo castæ mulieris, et probæ; huic legi ut satisfaciatur, eamque ut operibus

suis

suis exprimat, et repræsentet, dies ac noctes meditabitur, non ignara, nullam ei virtutem defuturam, quæ legem hanc servaverit, ut putet se unum esse cum marito, et ita vivat ut plane unum esse et videatur, et sit, contra, nullam adfuturam ei, quæ non fuerit.

Simillimum hoc est præcepto illi, quod se unicum suis tradere sæpissimè Christus testatus est: *Ut se mutuo diligere*: sapientissimus artifex affectuum humanorum non ignorabat, quæcunque societas hoc glutine coiret, ei nullis aliis legibus, edictis, statutis, pactis conventis opus fore; omnia in placidissima tranquillitate et concordia futura; nullas rixas, nullas lites, nullas querimonias suborituras: neque enim aut invidet quis, aut irascitur, aut injuriam facit, aut litem movet, aut negotium facessit, aut anteferri se cupit ei quem amat, non aliter de illo cogitat, ac de se ipso, nec minus ei bene cupit, quàm sibi, quum, et omnia illius sua, et vicissim sua omnia illius esse ducat, se quoque alterum esse illum, et hunc esse alterum se. O divini sermonis adorandæ vires! Plane verbum fecit Dominus abbreviatum, quod ut sapientiam divinam contineret, sic humanam omnem longe antecederet: tria tantum verba dixit, et quæcunque longissimis orationibus mortales non tam explicant, quàm explicare balbutie ac infantia sua conantur et laborant, expressit: nullam fero aliam conjugii legem, sola hæc sufficit, sola hæc, quæcunque vel humanum excogitare ingenium, vel mortalis eloqui posset facundia, comprehendit; credat femina non mihi, sed primo nostri generis parenti Adæ, immo vero pareat Christo jubenti in Evangelio suo, ut *sint duo in hominem unum*, et dicenti, *quod Deus conjunxit*: nam quæ ita vivit, ut se ac maritum rem prorsus unam esse arbitretur, hæc absolvit numeros omnes sanctæ uxoris: liberati eramus scribendi labore, ac cura, hoc uno Dei præcepto, si tam alte in mentes mulierum penetrasset, ut intelligere id facile, ut continere atque exequi possent, et vellent; sed quo hæreat fixius, radicesque firmiores ducat, multis evolutum et tractatum modis, variis effectum formis ponendum sub oculos, docendumque erit quo capi ac teneri queat facilius: meminerit tamen prudens mulier,

Tom. IV.

Z

quæ-

quæcunque dixerimus illud unum documentum esse, velut hominem eundem sæpius mutato cultu.

Nuptiæ.

Nuptiarum die (quandoquidem initium hoc est novæ vitæ, cujus eventus sunt incerti) nihil opus est saltationibus, et choreis, et strepitu illo computationum et immoderatæ ac projectæ lætitiæ, ne contingat quod Sapiens ait: *Risus dolore miscebitur, et extrema gaudii luctus occupat*: a votis est potius et comprecationibus auspiciandum, ut is præbeat lætos successus, in cujus sunt manu: quum longum aliquod iter, varium, incertum, ineundum est, nemo aulædum accersit, et ad saltandum amicos convocat, sed Dei opem implorat, ut bene ac feliciter eveniat quod aggreditur; quanto id sollicitius, et pio magis animo faciendum est die nuptiarum, qui est utriusque conjugum, vel ad felicitatem, vel ad calamitatem, natalis! mira dictu res, quàm pervertit hominum sensus diabolus, pessimi cujusque exempli suasor, atque instigator, ut quæ divinitus sunt nobis tributa contra venenum antidota, iis ipsis tantum nos admisceamus veneni, ut plane fiant exitialia, et unde speranda erat salus, inde nascatur pernicietas! Profitemur in baptismo renuntiare pompis Satanæ, nos baptismo ingentem pompam adjunximus; permissæ sunt nuptiæ in remedium libidinis, nos effecimus ut nihil esset eis libidinosius; graviter Chrysostomus conqueritur, quòd ipso statim nuptiali die, teneræ puellæ animus tot undique flagitiorum machinis impetatur: satis nobiscum ageretur præclare, si in tanta tempestate perturbationum, rectum tenere possemus clavum mentis nostræ, nedum ut illis afflati atque impulsivi ventis, salvi veniamus in portum.

DUO MAXIMA IN MULIERE CONJUGATA.

CAP. III.

INter conjugatæ feminæ virtutes, duas præstare illam oportet maximas, et præter ceteras eminentes; quæ solæ si adsint, conjugia possunt firma, stabilia, perpetua, facilia, levia, dulcia, beata reddere, sin alterutra absit, infirma, gravia, inamabilia,

in-

intolerabilia, miserrima: hæ sunt, pudicitia, et amor in virum summus: prius illud paternâ domo debet afferre, posterius ingrediens mariti limen sumere ut relictis parentibus consanguineis, necessariis omnibus, in viro se cuncta illa reperturam non dubitet: in utroque imaginem refert Ecclesiæ, quæ et castissima est, et sinceram fidem tenacissimè servat sponso suo Christo, tot intrinsecus petita procis, baptizatis hæreticis, tot extrinsecus oppugnata gentilibus, Agarenis, Judæis, nunquam tamen vel minima labe infecta est, et in Christo suo omnia sibi bona posita esse et ducit et sentit. Castitas in marita debet esse major etiam, quàm in cœlibe, nam si nunc eam inquinat et violat (quod avertat Deus) vide quàm multis uno scelere facis injuriam, quot irritas adversum te vindices; lædis primum duos, quibus nihil neque majus, neque melius, neque carius tibi esse convenit, Deum, quo auctore estis conjuncti, et per cujus numen puritatem tori jurastis, tum Deo proximum maritum, cui uni dicasti te, in quo omnes omnium caritates et pietates violaris, nam tu es ei, quod Eva Adæ, filia, soror, socia, uxor; adde his, alterum te, esse, itaque perinde est ac si tibi manum intulisses; dissolveris maximam omnium conjunctionem, ruperis sanctissimum rerum humanarum vinculum, fidem, quam multi etiam armatis hostibus datam, cum certa sui pernicietate servaverunt; tu marito violaris, et ei pectori, quod carius tibi tuo ipsius esse debuerat; polluis mundissimam Ecclesiam, quæ in te conjungenda manus suas accommodavit; dirimis civilem societatem; violas leges, et patriam; cædis amarissimo flagello patrem; verberas matrem, sorores, fratres, propinquos, affines, necessarios; es exemplo tuis æqualibus ad scelus; inuris notam æternam generi tuo; et mater dementissima, ac crudelissima, filios tuos in eam adducis necessitatem, ut nec de matre audire possint sine pudore, nec de patre sine dubitatione, quocirca et perjurio te devincis, et sacrilegio, nam per sacramentum, et votum, corpora vestra Deo sunt dicata; tum, præter decus sanguinis, transfers hereditates a dominis ad alienos; adducis in periculum fratres, ut incestè misceantur sororibus: quomodo plus peccant, aut terriore facinore se conta-

Z 2

mi-

minant, qui patriam evertunt, qui leges et justitiam tollunt, qui parentes jugulant, qui sacra et profana contemerant ac polluunt?

Quos deos, quosve homines putas tibi propitios esse posse? Te cives, te leges, te jura humana, te patria, parentes, cognati, liberi, te maritus damnant, et puniunt; in te Deus læsam abs te et conculcatam majestatem suam atrocissimè ulciscetur; et ne sis ignara mulier, pudicitiam et castitatem habes tu quidem, sed creditam jam, et apud fidem tuam depositam, commendatamque a viro, quo iniquius est te dare quod alienum est, domino invito, ut ad cetera flagitia furtum etiam adjungas: Lacæna quædam marita juveni rem fœdam roganti: *Darem* (inquit) *si meum peteres, nam quod petis, patris erat, dum essem virgo, nunc mariti, postquam nupsi: faceret illa quidem, et argutè, sed ad bonas mulieres commonefaciendas prudenter; nec minus illa in Insubria commodè, quæ quum Marfidium maritum suum tenerrimè diligeret, et amator rem ab ea turpem contenderet, idque per vitam et salutem Marfidii: Atqui Marfidius* (inquit illa) *mallet centies mori, quàm id semel a me committi, quod vero per salutem illius a me requiris, ab ipso eodem petito: Apostolus Paulus Ecclesiam Dei docens, inquit: Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: quod dictum usque adeo rem omnem turpem, tetramque, arcere a muliere, modo non perditissimis vitæ rationibus, par est, ut etiam Augustinus ne votum quidem, aut institutum continentiae, probet in conjugata, nisi probarit vir; reprehendit Celantiam, optimam matremfamiliàs, sive Hieronymus, sive quis alius qui ad eam scripsit, vir haud dubie doctus et sanctus, quòd votum in se suscepisset continentiae perpetuæ, marito inconsulto; ne ad bonum quidem continentiae jus habet in corpus suum femina, et cogitet quisque ad impudicitiae malum quantum habeat? Vituperatur continentia inscio marito, et quid fiet adulterio invito marito? Audi quibus verbis utitur: Sed illud quoque didici, quod non mediocriter angit ac stimulat, te videlicet tantum hoc bonum continentiae absque consensu et pacto viri servare cœpisse, quum hoc Apostolica omnino interdicit auctoritas, quæ in hac dumtaxat causa, non modo uxorem vi-*

ro, sed etiam virum uxoris subjecit potestati: Uxor, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem: Vir potestatem non habet sui corporis, sed mulier: tu vero quasi oblita fœderis nuptialis, pactique hujus et juris immemor, inconsultò novisti Domino castitatem; sed periculose promittitur quod in alterius potestate est, et nescio, quàm sit grata Deo donatio, si unus offerat rem duorum: ad hunc modum ille; quæ est concors sacrorum omnium Scriptorum sententia; quòd si ille ob rem sanctam, quòd juris ipsius non erat, tam acriter honestissimam matronam objurgat, et quibus usus esset verbis in nefaria, de re fœdissima insectanda?

Et ut intelligas quantum et Deus et homines crimen esse adulterium censeant, Christus in Evangelio suo, quum retinendas omnino uxores edixisset, nec ullam permisisset divertendi ansam, unicum adulterium excipit: ferenda igitur temulenta, iracunda, luxuriosa, iners, gulosa, mendax, vaga, valetudinaria, jurgatrix, maledica, fatua, insana, solam licet adulteram ejicere: gravia quidem et reliqua vitia, sed tolerari tamen possunt, at fidem toro non servasse, intolerabile est. Homerus inter execrationes, et diras in viros, illam præcipuam ponit, eorum uxores aliis viris misceantur; Jobus quoque, si insidiatus sit ad ostium amici sui, hoc sibi imprecatur: *Scortum* (inquit) *alterius sit uxor mea, et super illam incurventur alii: videlicet, quòd id cum matrimonii natura totaque ratione pugnat, quæ in mutuo amore sita est; quo momento alium virum quàm legitimum mulier in cor admittit, eodem iis intemperis ac mariti metu concutitur, ut nihil oderit illo capitalius; nunquam occurrit, quin expavescat, atque exhorreat, tamquam si a furiis exagitetur ardentibus facibus, ut est in fabulis.*

Sunt et alia duo bona, quibus connubium donavit natura; proles, et res familiaris; hæc quoque polluit ac corrumpit adulterium, quippe sobolem, ut dicebam modò, incertam facit; rem domesticam pessundat, negligit enim domum mulier, adulterio alienata, et immemor sui, nec fortunas diligere potest ejus, cujus odit vitam, ac ne liberos quidem: jam et quid non concedat ei mulier, cui se et pudicitiam suam, hoc est, maxi-

ma sua bona, prostituit? scilicet pecuniam negabit, aut regnum, aut filiorum mortem, cui non negavit semetipsam? cui conscientiam suam prodidit? Livia Germanici soror, tradita semel Sejano pudicitia, homini plus ætate media, ignobili, impuro, abnuere illi non sustinuit Drusi mariti sui, filii Tiberii Cæsaris, heredis tanti imperii, juvenis formosissimi, generosisissimi, animosissimi, ad hæc, liberorum quos ex eo susceperat, necem, spreta regni certissima spe, excussa pietate filiorum, non reverita Antoniam matrem, et Augustam aviam, gravissimas seculi sui matronas, immemor nobilissimi sanguinis, tum patris, fratrisque, quos humanum genus de probitate pro diis venerabatur, paratis sub sagacissimo et sævissimo socero tormentis, sub quibus et Liviæ ipsi, et Sejano, et eorum amicis omnibus, anima erat (ut evenit) per mille atrocissimas neces exigenda; nimirum nihil sibi reservat mulier, quæ pudicitiam abjecit: quòd non christianæ tantum sanctæ feminae intellexerunt, sed etiam barbaræ, ex quibus fuerunt nonnullæ, quæ pollutæ, indignas se vita judicaverunt, ut Lucretia Collatini uxor, cujus factum ob admirabilem pudicitiaæ amorem merito nobilissimum est; aliæ, quæ ne castitatis naufragium facerent, se se peremerunt; captis Athenis a Lysandro Lacedæmoniorum Rege, impositisque triginta viris, qui civitatem regerent, quum adeò superbè insolenterque se se gererent, ut etiam Tyranni appellarentur, illuderentque multarum pudicitiaæ; Nicerati uxor, ne et ipsa eorum libidini servire cogeretur, voluntaria morte se subtraxit; quid singulas referam? Teuthonicorum conjuges, post prælium ad aquas Sextias, quo C. Marius infinitam eorum multitudinem delevit, Marium oraverunt, ut sacris Vestæ virginibus dono mitterentur, se non minus quàm illas virilis concubitus expertes victuras; id quum a ferro illo C. Marii animo non impetrassent, nocte insequenti laqueis se omnes præfocarunt.

Bello, quod Phocensibus cum Thessalis fuit, quum Thessali Phocensium fines cum ingenti exercitu ingressi essent, Daiphantus summus Phocensium magistratus ad populum tulit, ut magna et valida coacta manu obviam hostibus prodiretur, pueros vero, et senes, et conjuges, reliquamque imbellem turbam,

in

in secretiorem aliquem locum includerent, magna eodem lignorum et stipularum congesta vi, ut si victi essent, illi se statim subjecto igne concremarent; quum frequens populus hoc decerneret, surrexit grandior quidam natu, qui sententiam feminarum super ea re sciscitandam censuit: si consentirent, ita fieret; sin quid secus, iniquum esset id statuere, illis invitis: interrogatæ sunt mulieres, quæ universæ consilio inter se capto, approbare se Daiphanti legem responderunt, quin etiam agere illi gratias maximas, qui optimè et civitati prospexisset, et salutis suæ: ergo in secretiorem quendam locum ea mente abductæ sunt, Phocenses tamen, ut tanta feminarum pudicitia merebatur, superiores domum e bello redierunt: Damo, Pythagoræ filia, rogata: quando esset mulier a viro pura? *A suo* (inquit) *ilico, ab alieno nunquam*: et hæc quidem præstabant barbaræ in tenebris, quibus omnia obscura erant, et incerta, et quæ tantum connubii mysterium ignorabant, quo magis erubescendum est Christianis, sanguine Domini redemptis, baptismo ablutis, doctrina eruditis, luce illustratis!

QUOMODO SE ERGA MARITUM HABEBIT.

CAP. IV.

REM variam admodum, et explicatu difficilem, de officio uxoris in virum, unico verbo (sicuti paullo antea memoravi) comprehendit Dominus; recordetur mulier quod dudum diximus, unum esse hominem cum marito, atque ea de causa non aliter amet eum, ac se ipsa: docui modo, sed iterandum est sæpe, nam hæc est summa virtutum omnium conjugatæ mulieris, hoc significat, hoc præcipit conjugium, debere mulierem existimare, maritum sibi esse omnia, omnibusque caris nominibus unum succedere, patri, matri, fratribus, sororibus, quod Adam fuit Evæ, quod sibi Hectorem esse ait apud Homerum probissima Andromache:

*Tu mihi, tu solus pater es, materque verenda,
Tu dulcis frater, tu gratus ad omnia conjux:*

:Quòd

Quòd si amicitia ex duobus animis unum reddit, quanto id a conjugio verius efficaciusque præstari convenit, quod unum reliquas omnes amicitias longissimè antecellit? Idcirco non unum modo, vel animum, vel corpus, ex duobus facere dicitur, sed unum prorsus hominem; quare quod vir de muliere dixit: *Propter hanc relinquet homo patrem et matrem, et adhærebit uxori suæ*: hoc feminam dicere ac sentire, etiam majore de causa, et ratione convenit, quoniam, etsi ex duobus factus sit unus, mulier tamen filia est viri, et imbecillior, eoque defensione illius eget; et marito deserta, sola, nuda, obnoxia injuriæ est, marito comes, ubicunque sit, patriam, domum, lares, parentes, necessarios, opes secum habet, cujus rei exempla sunt permulta: Hypsicratea, Mithridatis Regis Ponti uxor, quæ virili cultu maritum profligatum, fugientemque, quocunque per solitudines latebras quæreret, secuta est, ibi regnum, ibi opes, et patriam, se se inventuram duxit, ubicunque esset maritus; quod profecto, maximum dolorum lenimentum, et tantorum malorum solatium Mithridati fuit: Flaccilla Nonium Priscum, et Egnatia Maximilla Glitionem Gallum, utraque maritum in exilium commitata est, ingentium opum jacturâ, quòd urbe et Italia decessissent; sed viros sibi suos universa illa, quæ in patria reliquerant, superare, ac copiosissimè repræsentare arbitrabantur, ideo maxima gloria apud omnes fuere: non minore Turia, quæ Q. Lucretium maritum a triumviris proscriptum, inter cameram et tectum cubiculi, una conscia ancilla, ab imminente exitio non sine magno suo periculo tutum præstitit: et Sulpitia Lentuli uxor, quæ cum a Tullia matre diligentissimè custodiretur, ne virum a triumviris proscriptum sequeretur, famulari veste sumtâ, cum duabus ancillis, et totidem servis ad eum clandestina fuga pervenit, nec recusavit se ipsa proscribere, ut ei fides sua in conjugate proscripto constaret.

Fuerunt multæ, quæ maluerint ipsæ subire discrimen, quàm viros suos: uxor Fernandi Gonzalii, Castellæ Comitissæ, quum Rex Germanicæ Legionis, quæ urbs est in Hispania Asturiensi, maritum in custodia teneret, ipsa velut visendi gratia ad carcerem venit, viroque persuasit, ut cultu secum commutato, se sub-

du-

duceret, ac ipsam ibi relinqueret in casum periculi; quod et fecit; Rex admiratus mulieris pietatem, precatus tales sibi suisque liberis conjuges, illam marito remisit: et eadem gente, illa, quæ Roberto Britannicæ Regi nupta, quum maritus in expeditione adversum Syrios plagam in brachio accepisset luculentam gladio venenato, rediissetque in patriam, nec sanitati reddi posset, nisi pus illud virulentum alicujus ore exurgeretur, Rexque, certissimum illi parari exitium intelligens quicunque id muneris objisset, neminem ejusmodi discrimini objicere sustineret, ipsa noctu solutis vulneris fasciis, primum inscio marito, post etiam connivente, exuens, et paullatim expuens, venenum omne elicuit, plagamque medicis præbuit facillimè curandam: O quàm doleo, si qua est fides, non tenere me tantæ matronæ nomen, dignissimæ, quæ eloquentissimis encomiis celebraretur! Nec tacitum tamen est, nam in actis Hispaniæ legitur, ni fallor, quæ Rodericus Toletanus Archiepiscopus conscripsit, unde ego aliquando in libros meos cum honestissima mentione transferam: Tyrrheni, quum frequentes ex insula sua Lacedæmonem migrassent, venissentque Lacedæmoniis in suspicionem tamquam res novas molirentur, omnes custodiæ publicæ traditi, et capitali supplicio addicti sunt; uxores eorum, impetrato a custodibus ad viros ingressu tantum salutandi et consolandi gratia, vestes cum viris permutarunt; hi vero capite obvoluto, ut illarum mos erat, carcere elapsi sunt, eo loci feminis relictis, quas mox cum liberis, omnibusque bonis recuperavere, injecto Lacedæmoniis terrore, quòd Taygetam montem ceu arcem occuparant: hujus tam præclari facinoris Valerius Max. et Plutarchus meminerunt: quum Acastus, Pelicæ filius, sorores suas ad mortem expeteret, quòd illæ patrem suum occidissent, tametsi imprudentes, nam revocare ad vigorem juventæ voluerant, Alcestis una illarum apud Admetum virum erat; hunc Acastus cepit, et necaturum se illum est minatus nisi uxorem traderet, ille vero constanter pernegare, quumque non procul abesset quin occideretur, Alcestis ultro est ad mortem profecta ut virum servaret.

Fuere quæ mortuis maritis superesse non sustinuerunt: Lao-

Tom. IV.

Aa

da-

damia, ubi nuncium accepisset Protesilaum virum ad Trojam ab Hectore interfectum esse, ipsa se occidit: Paulina, Senecæ conjux, cum marito mori voluit, et scissæ sunt illi venæ; sed a Nerone inhibita est, retentaque in vita, et obligata brachia, pressusque sanguis vel invitæ, vel ignaræ, vixit paucis annis post, ore ac membris ita pallentibus ut ostentui esset, corporisque habitu apertissimè conjugalem pietatem testante: Demotionis Areopagitarum Principis filia virgo, audito Leosthenis sponsi interitu, se ipsa interfecit, affirmans, tametsi intacta esset, tamen quum illi toto animo denupsisset, adulteram se fore cuiunque alteri conjungeretur: vetustissimi scriptores Halcyonem, referunt, Ceyce marito non passam esse supervivere, ergo in mare se dedisse præcipitem; addunt fabulæ, quæ sæpe numero vitam nostram instituunt, versos in Halcyones aves, sic caras Thetidi, ut quoties nidificent, maxima sit in mari et cælo tranquillitas, idque statis quotannis diebus contingere, qui ea de causa Halcyonii vocentur; hoc a diis tribui pietati uxoris in conjugem: iidem perhibent, Andromedam Cepheo genitam, translata a Pallade inter sidera, quòd maritum Perseum patriæ ac parentibus prætulisset: Evadne, funus Capanei conjugis celebrans, in rogam se coniecit, ne vel morte ipsa a carissimo socio separaretur: Cecinna Pætus uxorem habuit Arriam; is quum in armis fuisset, quæ mota a Scriboniano in Illyrio erant contra Claudium Cæsarem, Romam est pertractus; Arria milites oravit ut se ministram darent marito pro famulis, quos viro consulari erant relicturi; quod quum non impetrasset, conducta piscatoria cymbula, magnam navem secuta est, Romæque paucis diebus post mariti supplicium se ipsa interemit, quum superesset ei filia Traseæ nupta, gravissimo temporum illorum et sapientissimo viro: Porcia, Catonis filia, M. Bruti uxor, victo et perempto marito mori statuit, ferrum est ablatum, ipsa se prunis ardentibus in os ingestis suffocavit: Panthia, Susii Principis uxor, viro fidem captiva servavit, et pro ejus salute universis effusis opibus, occisum quoque in bello voluntaria morte prosecuta est: Julia, Cæsaris dictatoris filia, quum Pompeji Magni, mariti sui, vestis cruenta domum e campo

re-

referretur, suspicata saucium esse virum, exanimis panè concidit; qua consternatione animi, ejicere partum immaturum coacta, interiit: postrema ejusdem Pompeji uxor Cornelia, turpe dicit esse, occiso marito posse vel solo dolore non mori: Artemisia, Lydorum Regina, ut litteris traditum est, Mausoli conjugis defuncti cineres potioni aspersos bibisse præ immodico amore fertur, sepulcrum ejus viva fieri cupiens.

Gammæ facinus egregium prætermittendum non est; id ego totidem latinè referam verbis, quot græcè Plutarchus, neque enim possem melius: *Erat (inquit) in Galatia Sinatus et Sinorix, tetrarcharum illius regionis potentissimi, et conjuncti sanguine, Sinatus uxorem habebat Gammam nomine, forma quidem et venustate insigni, sed virtute cum primis admiranda; non enim erat tantum moderata, et mariti amans, sed prudens, et magnanima, tum etiam propter commoditatem, benevolentiamque, subditis cara: accedebat his omnibus claritudo, quòd Diane sacerdos esset, quam deam Galatæ in præcipua habent veneratione ac cultu, in cujus sacris et pompis Gamma se se magnificè admodum gerebat; hujus ergo amore Sinorix captus, quum adducere in suam sententiam nec hortatibus, nec vi posset, fædo atque indignissimo facinore Sinatum per dolum interfecit; nec ita multo post de connubio allocutus est Gammam, versantem in templo circa rem sacram, ferentem mariti necem non lamentabiliter, neque abjectè; sed iram prementem in corde, observantem occasionem quæ Sinorigis scelus ulcisceretur; ille autem suppliciter admodum precabatur, orationemque adhibebat non omnino indecentem, quòd cum ceteris rebus omnibus Sinato esset præstantior, tum quòd necem illius non ulla alia de causa, nec flagitio suscepisset, quàm Gammae impulsus amoris impotentia; mulier autem initio non iracundè abnuebat, deinde paulatim visa est remolliri ac flecti, nam familiares, et necessarii, ut Sinorigis gratiam captarent, hominis potentissimi, in eandem voluntatem incumbabant suadendo, tundendo, et quodammodo cogendo illam; tandem ea cessit, accersitque illum ad se in templum, ut consensus, et approbatio mutua, pactaque connubialia, sub teste ac iudice dea celebrarentur, illumque templum ingressum comiter exceptum, ad aram deduxit, ubi prælibavit ei ex phiala, cujus ipsa partem hausit prior, alteram partem ei ebibendam porrexit; inerat autem mulsum veneno*

Aa 2

tem-

temperatum; ut vero conspicata est eum exhausisse, sustulit clamorem, et ante deam provoluta genibus, testor te, inquit, sanctum numen et venerabile, quod hujus diei ac temporis causa sustinui Sinato marito meo supervivere, medii hujus temporis nullum alium capiens usum ex vita præter spem solam ultionis, quam ubi sum assecuta, descendendo ad virum meum; tibi vero, mortalium omnium scelestissime, atque impiissime, ministri tui sepulcrum parent pro nuptiis et lecto geniali: hæc ubi Sinorix audivit, sentiens jam venenum serpere per vitalia, corpusque universum concitare, rbedam conscendit ut se se agitaret et commoveret valide, sed jam impos sui, in lecticam translatus, expiravit ad vesperum; Gamma vero, quum adhuc vitam nocte tota protulisset, postquam mortuum esse illum cognovit, libens letaque animam emisit: sic Plutarchus.

Propter has, sexus universus feminarum bene audit, et juvat uxores ducere, et filias tollere, atque in spem bonam educare, sicut e contrario prorsus, quum in eas solum intuemur, quæ femineæ virtutis officium vel spernunt, vel negligunt: hæc maxima proposui, ut saltem mediocria non præstare pudori sit. Quo intolerabilior est illarum inhumana impietas, quæ perferre valent, maritis, vel ignominias, vel damna, vel quid aliud adversi accidere, pecuniæ causa, quum sit ipsis in arca satis æris, quo eximere ejusmodi calamitatibus viros possent; etiam si nihil esset, ferre non deberent: O animum quavis fera immaniorem! et tu sanguinem, tu corpus tuum, te ipsam in marito perpeti potes sic affligi! Nimirum, civiles mores, legesque quæ id tolerant, majorem habuerunt pecuniæ rationem, quam pietatis ac fidei; sed hæc, ut alia inter nos permulta, relicta ex gentilitate, tenacius christianis adhæserunt, quam lex Christi permittebat; in qua, non dico ab uxore propter virum, sed a christiano propter christianum, quamlibet ignotum, quicquid in arcis conditur vestium et metallorum, quicquid possidemus opum, profundendum est; quocirca sciat mulier, quæ non etiam ob levissima mariti incommoda vitanda universum semel patrimonium effundit, nec christianæ, nec probæ, nec uxoris nomine dignam esse. Certissimum est signum pudicitie, maritum toto (quod dicitur) pectore amare; tanta fuit Agrip-

pi-

pina, Germanici uxor, opinione castitatis, propter amorem conjugis, ut Tiberius Cæsar, quum eam ejusque filios ob odium criminaretur, quo illos prætextu aliquo perderet, Neroni Agrippinæ filio impudicitia objecta est: hoc in mulierem, quum alia dixisset atrociam, ne fingere quidem est ausus. Refertur et a maritis ea gratia, ut uxores a quibus amari se compertum habent, ipsi quoque ardentissime redament; sic Ulysses Circein et Calypso deas sprevisse traditur, propter mortalem Penelopem, et ad eam per decennale naufragium, per tot ærumnas, et discrimina, contendisse, ac pervenisse: Hector, quod Andromachen sciret in se uno sitas omnes habere caritates, ita illam redamavit, ut excidium Trojæ non tam parentum aut fratrum causa dolere se dixerit, quantum uxoris; non disputo an hæc sint fabulæ; certe ad imaginem humanæ vitæ ab ingeniosissimo vate sunt conficta; sed in rebus gestis illud a Cicetone, Valerio Maximo, Plinio, et aliis refertur, Tiberium Gracchum optione proposita, utrius vitam servari mallet, suam, an Cornelie uxoris cui unice erat carus? quum alterutri omnino existimaret facto defungendum, mori se quam Corneliam maluit: ;felix uxor, quæ talem virum habuit! ;infelix, quæ supervixit!

Neque vero sic amandus est maritus, quemadmodum amicum amamus, aut fratrem geminum, ut solum sit amor; plurimum cultus, ac reverentiæ, admistum oportet, plurimum obedientiæ, atque obsequii: non modo mores majorum, atque instituta, sed leges omnes humanæ ac divinæ, ipsa etiam rerum naturam clamat, mulierem debere esse subditam viro, ac ei parere; in omni animalium genere femine suis maribus obtemperant, illos assectantur, illis blandiuntur, ab illis castigari se ac verberari patienter ferunt; et naturam docuit fieri id oportere, ac decere, quæ natura, uti Aristoteles in libris de Animalibus perhibet, omnium animantium feminis minus nervorum, roborisque, quam masculis dedit, et carnem molliorem, et delicatorem pilum; tum partes, quas ad se tuendum tribuit, ut dentes, cornua, calcaria, et cetera id genus, plurimis feminis negavit, quarum viris attribuit, ut cervis, et apris feminis; si quibus autem femellis concessit, eas ipsas partes potiores fecit

in

Maritalis fi-
dei in uxores
exempla.

Mulier viro
subdita.

in maribus, sicut cornua in tauris firmiora, quàm in vaccis: quís omnibus sapientissima natura nos edocuit, ad marem spectare propugnationem, ad feminam vero sequi marem suum, et sub ejus tutela delitescere, illique præbere se ipsam morigeram, ut tutius et commodius vivat. Sed nos a belluarum actibus, quibus tamen pudefimus ni antecellamus virtute, ad rationem humanam ascendamus; quæ mulier eò insolentiæ atque arrogantia venerit, ut audiens esse nolit dicto mariti, si cogitet illum sibi pro patre, pro matre, pro consanguineis esse omnibus, illi se uni amorem omnem, pietatemque reliquorum universorum, debere? Hæc non cogitat ea mulier demens, quæcunque conjugii non obsequitur; nisi forte nec patri, matri, et consanguineis obsequi institerit, nam si his obediat, et marito eam obedire necesse est in quo, jure omni, more, statuto, præcepto naturali, humano, divino, cuncta sunt ei posita et collocata: non est apud homines honoratior mulier, quæ sibi supra maritum honorem arrogat, sed stultior, et magis ridicula; adde etiam, omnibus invisata atque execrabilis, tamquam quæ sancitas a natura leges conetur invertere; non secus ac miles, imperare suo Imperatori si postulet, aut luna soli præesse, aut brachium capiti; in conjugio enim, ut in homine, vir est pro animo, mulier pro corpore; illum imperare, hoc servire oportet, si victurus est homo.

Declaravit hoc eadem ipsa natura quæ marem finxit gubernationi aptiorem, quàm feminam; quippe magnis in rebus, et in discrimine, feminam ita frangit et confundit pavor, ut nec ratione uti possit, nec judicio, ut est affectus ille impotentissimus, quique omnem consilii usum semel eripiat, vir animosus est, nec tantopere metu concutitur, quin facile dispiciat quidnam expediat rebus præsentibus; ad hæc, ut in femina crebriores exurgunt perturbationes, judicium est semper affectu aliquo commotum, ac proinde minus sibi constat, jactatum tempestatibus affectionum in diversa raptantium, ideo plerumque invalidum atque inefficax; sapientissimè Paulus, ut cetera: *Caput*, inquit, *viri Christus, caput mulieris vir*: truncus est vir, et plane mortuus, cujus caput non est Christus; demens et teme-

ra-

rariora est mulier, cui vir non præest. Hic jam divina jussa ingredior, quæ apud saniores mentes plus legibus, plus humanis omnibus, plus naturæ ipsius voce, valere ac posse jus fasque est, quippe natura sæpe inflectitur, ac depravatur, Deus integerrimus semper, idemque ac sui similis persistit, et conditor est naturæ Deus, quo potior, et mentibus nostris venerabilior esse debet, fideique certioris: auctor ergo universitatis mundi hujus, mundo novo adhuc et rudi, quum generi humano poneret leges, feminæ sic statuit: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tibi*: in quibus verbis illud est animadversione dignum, quod non solum viro jus et dominium traditur in feminam, sed usus quoque possessionis; Apostolus Paulus, magister christianæ, hoc est, divinæ sapientiæ, mulierem dominari viro non permittit, sed subditam illi esse; idque non uno in loco; Petri Apostolorum Principis hoc est edictum: *Mulieres sint subditæ viris suis, sicut et sanctæ mulieres, sperantes in domino*: sic Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans; Hieronymus ad hunc modum Celantiæ præcipit: *Servetur in primis viro auctoritas sua, totaque a te discat domus quantum illi honoris debeat; tu illum dominum obsequio tuo, tu magnum illum tua humilitate demonstra, tanto ipsa honoratior futura, quanto illum amplius honoraveris; caput enim (ut ait Apostolus) mulieris, est vir; nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quàm ex capitis dignitate*: hæc ille.

Inspicientes feminæ non considerant, quum omnis ad se honor ex maritis demanet, se fore inhonoras, si viros habeant quibus præesse mulieres possint; ita honorem dum captant, amittunt, nam illud statim perdunt, unde maximus ad mulieres redit honos, honoratis esse viris conjunctas; nihil genus, nihil opes, nihil fortuna proderunt; honore carebis, si caruerit vir: at quis honorem poterit habere ei viro, cui videat imperare feminam? Contrà vero, nihil oberit ignobilitas, nihil paupertas, nihil faciei nulla gratia; honoraberis, si honestetur maritus; ita nec Orestillam adjuvit vel forma, vel genus, vel divitiæ, quo minus contemptui et odio esset scelerari Catilinæ conjux; nec Salonix tenuitas nocuit, quin cara et admiranda esset populo Romano Censorii Catonis uxor. Sed ut melius patère pos-

possis marito, et omnia ex ejus animi sententia perficere, per-noscendi sunt prius illius mores, et consideranda vel fortunæ vel naturæ conditio; in his multa sunt maritorum genera; omnes quidem amandi, colendi, reverendi omnes, obsequendum omnibus, sed non omnes similiter tractandi, ut linea (quod dicunt) alba in lapide albo: et in maritis puto equidem illud debere usui accommodari, quod de vita humana dicit ex Platone Terentius: *Vita (inquit) hominum perinde est, ac si ludas tessis: ut si quod jactu opus non est evenit, id arte ut corrigas*; sic in maritis, si is contigerit ex sententia, gaudendum, honorandus, amandus, sequendus est, sin parum optabilis, arte, si queas, vel emendandus, vel certe minus reddendus incommodus; aut igitur maritus erit fortunatus, aut infortunatus; fortunatos nunc voco, quibus aliqua bona contigerunt, vel vitæ, vel corporis, vel animi, infortunatos, quibus ex aliqua illarum trium partium mala; fortunati facile uxoribus satisfaciunt, de infortunatis consulendum: quanquam initio omnium admonendæ sunt ne amorem in mariti fortuna potius collocent, quàm in marito ipso, alioqui minus firmiter amabunt, ac lentius, et si fortuna, ut est fluxa fere atque inconstans, discesserit, auferet simul secum et amorem; ne ament pulchros propter formam, ne divites propter pecuniam, ne magistratus ob dignitatem, aliter enim ægros, pauperes, privatos oderint; si nacta es doctum virum, hauriendum ab eo sancta præcepta, si bonum proponendus in exemplum quod æmulere; quod si sit infortunatus, illa debet in primis animo occurrere Cnei Pompeji, magni sine dubio et prudentis viri, ad Corneliam uxorem oratio, quam versibus Lucanus prosequutus est.

Victus enim a Cajo Cæsare Pompejus, quum Lesbum insulam petiisset ad recipiendam uxorem, quam secum fuga abduceret, uxor maritum conspicata victum, in terram semianimis concidit, non tam dolens cecidisse se, quàm illum; Pompejus sublatam e terra, et sensibus redditam, in hanc sententiam est consolatus: *Mea Cornelia uxor, rerum omnium mihi carissima, miror te feminam isto genere natam, sic primo fortunæ prostratam ictu; nunc tibi aperta est via ad immortalem glo-*

gloriam, nam materia laudis in femineo sexu non est eloquentia, non respondere consulentibus de jure, non bella gerere, unica tantum est, si maritum habeas miserum; quem si amaris, si colueris, si nihil miseria offensa, ita ut maritum decet tractaris, omnia te secula cum ingente laude celebrabunt: majori tibi fuerit gloriæ, quod victum Pompejum amasti, quàm quod Principem populi Romani ducem senatus, Imperatorem Regum; hæc enim facile est cuilibet etiam stultæ ac improbæ uxori diligere, amplecti vero miserum, id demum est optimæ: quocirca hoc ipsum, quod victus sum, debes diligere tamquam materiam virtutis tuæ, nam si quid tu, me vivo, desles et desideras, certe illud ipsum quod periit, ostendis tibi fuisse carum, non me qui adhuc supersum: his atque aliis similibus verbis tunc ille utebatur, ægram animi refovens: quæ, proba matrona tamquam oraculum sæpenumero in animo suo volvet, ne se afflicter quod maritus obtigerit infortunatus, ne hac illum de causa oderit, ne contempserit, quin potius si sit pauper, consolandus est unicas opes esse virtutem, adjuvandus honestis artibus, quas illi scias placituras, et quas in te noti et necessarii probent, quæque sanctitatem bonæ matronæ deceant; vide, ne in tam perditam mentem ruas, ut velis illum propter pecuniam indecoras artes exercere, aut facinus aliquod fœdum perpetrare, aut ut tu, vel delicatius, vel affluentius alaris, vel cultius ornere, vel laxius habites; in summa, ut tibi optimè et suavissimè sit, illum labores et sudores magnos, etiam discrimina, subire; potius tibi ac melius est, secundario tantum pane vesci, et turbulentam potare aquam, quàm maritum cogere, non dico vilibus se artibus et sordidis, aut labori immodico, dedere, verum cuivis exercitio, ad quod ipse, invitus quidem, sed accedat tamen, ut morem tibi gerat, et domesticas tuas rixas effugiat, sitque aliqua domi pax.

Maritus sui juris est, et dominus uxoris, non uxor mariti, nec plus a marito contendere uxor debet, quàm quantum ipso volente libenteque videat se impetraturam; in quo peccant multæ, quæ maritos importunis suis vocibus flagitando, tundendo, denique odio, ad illicitas artes, et gravia vel facinora,

vel flagitia, impellunt, ut quæstum faciant, suæ gulæ, ac vanitati, suæ superbiæ consulentes, non maritis: quid dicam esse molestas aliquas et inimicas virtutibus conjugum, si has esse rei familiari damnosas videant? Id eo est turpius, quod quum femineus sexus tantam præ se ferat pietatem, et naturâ videatur devotior sacris rebus, quàm virilis, obliviscitur sui, et pietatem omnem abjicit pecuniæ gratia; has mulieres sanctæ litteræ sub uxoribus Jobi et Thobiæ coarguunt, quæ insanissimæ pietatem et magnas virtutes maritis calamitosis exprobrabant; in quo erant etiam impiæ, nedum vecordes, quòd non reputarent, vel majores esse opes quæ virtutibus parantur; vel situm in manu Domini locupletissimum felicissimumque uno momento facere quemcunque velit: quid opus est aliis tyrannis ad martyrium? Istæ irreligiøsæ non secus persequuntur maritos ob religionem, quàm Apostolos Nero, aut christianos alios Domitianus, vel Maximinus, vel Decius, vel Diocletianus: equidem arbitror relictam fuisse solam uxorem Jobo, ut tristitiam viri plus urgeret, et maledica sua rabie pondus adderet tot modis presso: O execrabilis et impientissima mulier! sanctitatem vitæ marito tamquam crimen objicis? hoc ne diaboli quidem facere auderent; evertit diabolus fortunas omnes Jobi, familiam occidione perdidit, filios absumsit, ipsum ulceribus et sanie induit, nunquam opprobavit quòd in pristina animi simplicitate permaneret; opprobavit mulier, ut ostenderet diabolo se esse confidentiorem; insultet sane conjux, quantum volet, non aliter conjugii gaudendum est, quàm Apostolis, quod digni essent habiti, ut contumeliam paterentur propter nomen Domini Jesu. Tu vero, filia, tantum aberit ut comparem tuum a probitate abducas, ut etiam certissimo universæ rei familiaris dispendio, imitata tot sanctas Christianas, ad innocentiam, et pietatem, et recordationem divinæ bonitatis, ac potentis, adhorteris, et contingat tibi quod Paulus inquit: *Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem*: sic amplæ facultates, sic ingentes opes quæruntur: recole verbum Domini: *Neminem esse, qui suâ gratia aliquid in hoc ævo neglexerit, qui non multo plura, et in altero, et in hoc etiam consequatur*: primum, divitiæ illæ certæ ac

solidæ sunt, quæ nullis obnoxia casibus custodiuntur, non internis, ut erugini in metallis, tinea in vestibus, non externis, ut furibus, ut prædonibus, ut violento ac iniquo principi, aut judici rapaci; tum, de hac vita experimentis se id didicisse Psalmista profitetur, longoque ætatis usu, *numquam se vidisse justum derelictum, aut semen ejus querens panem*: sed Domini in Evangelio habemus syngrapham, qua jubemur optimè de benignitate ipsius sperare: *Scire caelestem Patrem, quibus ad victum egeamus; illum omnia hæc suppeditaturum nobis, postquam quesierimus regnum suum, et justitiam ejus.*

Si deformis est maritus, amandus animus, cui nupsisti; si æger, ibi demum præstanda est vera uxor; consolandus, confortandus, curandus, habendus non minus carus et in deliciis, quàm si esset maximè sanus et valens, magnamque morbi illius partem in te derivabis; sic fiet ut ille minus doleat, quum sociam te aspiciet sui doloris; non est bona conjux, quæ conjugæ mœrente gaudet, ægrotante valet; lecto affixa sis oportet, modo verbis dolorem levans, modo fomentis leniens; tu ipsa vulnera, tu ulcera, tu affectum tuis manibus tracta, corpus tu tege, tu retege, tu exterge, tu potionem præbe, tu urinam matella excipe, ne hæc abhorreas, nihil magis in illo fastidieris, quàm in te ipsa; ne rejicias curam in famulas, quæ rem segnius ac negligentius curant, quia non amant, et quum se non amari sentit æger, ingravescit corporis morbus ex animi ægritudine; ego ne illas uxores, et matronas, et sanctas (si diis placet) feminas ut appellem, quæ in maritorum morbo tam securæ agunt, ut eis satisfaciat curâ, quam circa illos gerunt famulæ, ipsis uxoribus ignaris? Nam quod video quasdam nec sua stata sacra, nec convivias, nec visitationes et congressus æqualium, nec solita oblectamenta adduci ut intermittant, maritis morbo domi clausis, hoc jam non conjugum esse officium dixeris, sed concubinarum, aut etiam (ut aperta loquar) meretricum, quæ mercede conductæ, cum viris cubant: cur enim me pudeat merito nomine illas appellare, quas non pudet id facere unde mereantur? Quid, si tu nihil censes interesse, ægrotetne maritus, an vicinus, nisi quòd maritus est domi, vicinus foris? impuden-

dentissima profecto es si postules ut te uxorem vocem, quum quod uxoris est non præstes: an tu textricem vis te haberi, quæ nec ordiri telam, nec radium jacere, nec telam pectine quaterere didicisti? et quanquam virtus etiam nullis extrinsecus adjuncta luminibus, in tenebris ipsis splendorem suum obtinet, claraque et celebris est, tamen quantum in me erit, non sinam hoc et præsentem et posteros ignorare, quod ipse vidi, quod alii pariter mecum quàm plurimi sciunt.

Clara Cerventæ virtus

Clara Cerventa, Bernardi Valdauræ conjux, quum virgo tenerissima et formosissima Brugas esset ad sponsum deducta jam plus quadraginta annos natum, prima nuptiarum nocte crura ejus fasciis involuta vidit, deprehenditque maritum sibi ægrum et valetudinarium obvenisse, nihil tamen illum ob id aversata, non cœpit eum odisse, quum præsertim nondum posset videri amare; incidit non multo post Valdaura in gravissimum morbum, de cujus salute et vita medici omnes desperabant; ipsa cum matre tanta cura et assiduitate circa lectum ægri versabatur, ut sex totis hebdomadibus ambæ nec se exuerint, nisi ut mutarent supparos, nec ulla nocte supra unam aut alteram horam quieverint, idque indutæ, multis noctibus traductis insomnibus: erat radix morbi Indici, quem Gallicum hinc vocant, sævi et contagiosi; dissuadebant medici ne sic eum contrectaret, ne tam prope accederet; idem consulebant necessarii; tum æquales feminæ in religionem adducebant non esse tam anxiam curam divexandum (ita enim loquebantur) hominem jam fati debitum, et magna mortis parte in corpus recepta, prospiciendum esse animæ, de corpore nihil cogitandum aliud, quàm ubi conderetur humo: quibus vocibus adeo illa absterrita non est, ut curarit quidem quæ ad animum spectabant, sed ipsa culinæ sorbitionibus quæ remedium afferrent, ipsa pannis subinde mutandis (nam soluta erat majorem in modum alvus, et aliis locis pus tetrum dimanabat) esset intentissima, sursum deorsum toto die cursitaret, animo corpusculum fulciens, laboribus impar, ni tanta vis affectus subveniret. Ita discrimen maximum Valdaura evasit, jurantibus medicis e manibus Orci violentia conjugis ereptum esse; alius, facetius quàm christianius, decre-

vis-

visse dixit Deum Valdauram occidere, uxorem vero obstinasse e manibus se illum non dimissuram: cœpit ei, fluente quodam ardentissimo ex capite humore, arrodi interior narium caruncula, medici pulvisculum dederunt, quo subinde respergeretur ulcus tenui per fistulam aut calamum flatu, quumque nullus inveniretur qui non eum laborem recusaret, omnibus rem aversandam exhorrentibus, sola conjux hoc præstitit; scatentibus per genas, ac mentum, papulis morbi, quum nullus rasor commodè posset barbam ejus radere, nec vellet, uxor forficulis octavo quoque die dexterrimè attondebat. Collapsus deinde in alium morbum longissimum, septem fere annorum, ipsa infatigabili diligentia et cibum ei paravit, quum pedissequas haberet duas, et filiam grandescentem; ipsa eadem, tum foeda illivit ulcera, tum et crura putidissima, undique sanie diffluentia, contrectavit quotidie, turundas et malagmata imposuit, ac fasciis devinxit, ut muscum diceres eam contrectare, non rem foetoris intolerabilis; quin et anhelitum, quem nemo non etiam ad decem passus aversabatur, ipsa suavissimum jurat fuisse, et quidem serio mihi succensuit, quum semel foetere dixissem; ajebat enim sibi videri ceu fragrantiam maturorum et dulcium malorum.

Atque hoc toto morbi tempore, quum essent quotidie magni faciendi sumtus, ad hominem tot morbis contusum, alendum et curandum, in ea domo, ad quam multis jam annis nulla ex re quæstus aliquis redierat, nec annuos haberet proventus, ipsa se annulis, ipsa torquibus aureis, ipsa monilibus, ipsa vestibus, ipsa abacum suum vasis argenteis libentissimè spoliabat, ne quid marito deesset, contenta quavis mensa, modo marito suppeteret quod tam afflicto malis corpori conduceret: sic ille vitam traxit uxoris cura, cadaveroso corpore, seu sepulcro verius, decem annis a primo illo morbo; quo tempore ipsa duas ex eo proles suscepit, quum antea sex genuisset, viginti annis nupta, nunquam contagiosissimo mariti morbo, nec ulla omnino scabie infecta, non modo ipsa, sed nec ullus liberorum, corporibus omnium sanissimis atque mundissimis: ex quo liquidum fit, quanta sit virtus, quanta sanctitas

ea-

earum, quæ vere ac toto pectore maritos (ut congruum est) amant; quemadmodum illis Deus præsentem quoque gratiam referat: obiit tandem senex ægrotus, seu non obiit, sed abiit verius et exiit jugem cruciatum; tanto tamen dolore Claræ, ut qui illam norint, fateantur nunquam adolescentem maritum, integro corpore, formosum, divitem, tantum reliquisse carissimæ uxori desiderium, mœrorem, luctum: multi gratulatione citius putabant esse opus, quàm consolatione; quos illa prope modum execrabatur, optans ut maritus, qualis qualis erat, fieri si posset, sibi redderetur, etiam cum liberorum omnium, quos quinque habet, jactura; quumque sit integra ætate, nunquam statuit nubere, quòd se alterum Bernardum Valdauram inventuram negat; prætereo pudicitiam, cujus est exemplar; prætereo sanctitatem morum; de pietate conjugis est sermo, quæ nunquam venit sola, semper reliquis omnibus comitata virtutibus; quis hanc non perspiciat, non corpori Bernardi Valdauræ nupsisse, sed animo? aut non putasse corpus illius suum esse? quid, quòd viri sui præcepta, et mandata omnia, ita observat, tanta reverentia, ac si adhuc viveret, et ex ejus præscripto multa agit, sic illum facere statuisset aut mandasse dictitans: talem uxorem, Euripides, si habuisses, tam laudasses feminas, quàm eas vituperasti: talem si, Agamemnon, patria te multis annis de Troja victa lætum spectasset triumphantem.

Exempla
uxorum.

Tacenda hæc non fuerunt, quum sæpenumero minora memoriæ mandentur, ad maritas sui officii commonefaciendas. Plebejarum sunt hæc, inquit illa nobilis; primum, non omnino ex fæce plebis Clara Valdaura, et juvenis, et formosissima, et delicatissima, et comitata famulabus, quibus magnam curæ partem mandare poterat, si sustinisset; sed multæ sunt nobilissimæ quæ idem præsent, quas commemorare omnes non queo, nec præsentis modo, sed quæ olim vixerunt; nam, magna ex parte, vitia tantum superiorum ætatum, insequentia tempora usu retinent: an tu nobilior uxore Themistoclis, Athenarum, immo Græciæ Principis, quæ sola fere in adversa valetudine marito ministravit? nobilior Stratonica, Dejotari Regis conjuge, quæ viro seni, mœsto, valetudinario, ipsa erat et

co-

coqua, et medica, et chirurga, nihilque magis eam urebat, quàm quòd interdum difficilis et morosus senex, parum sibi illam diligentia satisfacere indicabat? nobilior Regina illa Britannicæ, quæ vulnus exuxit mariti? Principes Romanæ feminæ non aliis manibus tractari sinebant maritos ægros, quàm suis: an tu credis te Romanis etiam antestare nobilitate, in quos si quis genus potest referre, nobilissimus existimatur? sed quid necesse est sanguine atque opibus nobiles referamus? Nobiles sunt, virtute et claris actibus illustres; tu cum tua nobilitate jacebis obscura et ignobilis, istas omnis ætas, omnis sexus noscet et celebrabit; i nunc, et jacta tuam nobilitatem, quam nec viva, nec mortua ullus cognoscat: pecuniam, inquis, attuli, qua conducatur qui hoc agat: ergo pecuniæ vir tuus nupsit, non tibi, et tu uxorem te esse censes solum, quòd tecum cubitat vir? an in hoc uno situm esse conjugium arbitraris? Leges profecto Dei et naturæ violas; nam si tuum corpus tractare te non pigeret ægre, et in pustulas ac ulcera oculos ac manus immittere, cur maritum aversaris sic affectum, quum sitis duo in carne una, seu (ut dicam latinus) homo unus? nisi forsitan hoc ad te dictum pertinere non putas: ubi est deinde illa conjux, individua conjugis comes et socia, si, quum te conjunctissimam esse oportuit, discedis? tu ergo nec fratri tecum genito, nec patri, nec matri, qui te genuerunt, id officium præstares? Quòd si hoc pudet confiteri, pudeat de marito vel cogitare, qui apud te illis omnibus præponendus est; etsi ex istis sunt nonnullæ, quæ etiam matres deserant ægrotas, nec aliquem amant præter se; dignæ vicissim, quæ a nullo amantur alio, ut nec amantur.

Quoties vidimus mutam animantem feminam, saniam, et ulcera maris sui lambere? Hoc boves, hoc canes, leones, ursi, bestię tum cicures, tum feræ; mulier tangere non sustinet, ac ne inspicere quidem? vultis aperte loquar? haud paucæ, quæ non tractant mariti, tractant adulteri, nam fuerunt quæ in hoc sunt deprehensæ; ut sciatis non retrahi a natura, sed a scelere: ut non videatur eas injuria Juvenalis sic incessere: (1)

Quæ mæchum sequitur, stomacho valet:

Quæ

(1) Juvenal. Satyra 6. v. 100.

Quæ maritum, delicatula, et levissimarum quoque offensuscularum impatiens: pergo vero dicere, et alias infortunatorum species recensere, etsi omnes nec possum, nec volo. Si incommodis sit moribus, tolerandus, nec improbitate cum eo contendendum, ne nunquam sit finis mali ac miseræ; noli tu improbitate tua improbitatem illius retundere, et iracundia iracundiam coërcere, id vero lacessere atque irritare morbum fuerit, non sanare; ne speres te cœnum cœno ablaturam, vel incendium posse restinguere oleo injecto; verte potius te ad illas, quæ maritis utuntur pluribus vitiorum generibus, aut certe majoribus, asperis atque intolerabilibus, et ex illarum fortunis solatium tuis sume; non potes in eo amare, quod habet vitia, at ama quod multis, nec minus difficilibus caret; ne ad illas respicias, quæ felicius videntur conjunctæ; quæ ratio cogitationis universam vobis vitam insuavem redderet, quanquam quid istis quoque domi lateat, tu nescis; sed illas tamen contemplare, quibus durior est vitæ conditio: ceterum quo tempore tractabiliorem se maritus præbebit, comiter est et blande admonendus, ut melius velit vivere; si audierit, et tibi et illi maximo pere profueris, sin cœperit excandescere, noli contra niti, et ex uno insano duos facere, te atque illum; tu functa es munere tuo, perfer, et erit tibi non modo magnæ apud mortales gloriæ, sed marito apud Deum ingenti: quod si forte ejus vitio, ac impotentia animi, vapules, puta te a Domino corripit, et propter aliqua tua delicta id tibi accidere, quæ illa via expiantur; beata es, si modico vitæ hujus labore, magnos alterius cruciatus redimis; quanquam raræ sunt bonæ et prudentes uxores, quæ a viris, quamlibet sceleratis et insanis, cædantur: dolorem tuum domi devora, nec in vicinia vocifereris, nec aliis de viro conquerare, ne quem videaris judicem inter te et illum statuere: domestica mala domesticis parietibus ac limine cohibe, ne se foras efferant, ne serpant latius; sic moderatione tua commodiorem reddes conjugem, quem alias querimoniis et futilitate linguæ exacerbares.

Sunt etiam nonnulli mariti fatui, et mente capti; hos proba conjux tractabit arte, nec exasperabit; nec adimet honorem

rem viri, sed persuasum prius, omnia se ex animi ejus sententia facturam, et ut maximè illi expediet, facile prudentia reget, velut belluam mansuefactam: in hos mulier se habebit, ut matres in similes filios, quæ in maximam et vehementissimam miserationem ex miseria filiorum adducuntur, et ex miseratione crescit caritas ita ut debiles, mutilos, stultos, deformes, valetudinarios, plus sæpe ament, quàm firmos, integros, prudentes, formosos, valentes. Nolo percurrere cetera infortunatorum genera, semel est de universis præcipiendum: huic, qualiscunque est, nupsisti; hunc tibi Deus, hunc Ecclesia, hunc parentes dederunt virum, maritum, dominum; ex tot virorum millibus hæc est sors et pars tua; ferendum est bono animo quod mutari non potest, et amandus, colendus, honorandus, si non propter ipsum, certe propter eos a quibus tibi assignatus et commendatus est, propter fidem quam dedisti, sicut multi indignissimis prosunt ac benefaciunt, unam solum ob causam, quod a carissimis commendatos habent; multi quædam agunt, solum quod promiserunt, alioqui non facturi. Et danda est tibi opera, ut quod vel nolens factura esses, et facere videaris, et facias libentissimè; sic enim leviora et jucundiora reddes tibi omnia, quæ gravissima et molestissima essent invitæ; reputatio necessitatis fortiter docebit ferre, consuetudo facile, quæ in durissimis etiam calamitatibus mollimentum invenit, *citò in familiaritatem gravissima adducens*, uti Seneca inquit; cogita te hoc debere viro, magnam tibi parari hoc modo apud Deum gratiam, magnum et honestissimum ad homines nomen. Hic video posse a nonnullis dubitari, quatenus sit marito obtemperandum? Quam quæstionem quoniam difficiliorem quarundam mulierum improbitas et contumacia reddidit, explicabo paullo fusius quod sit imperium viri in uxorem: et in rebus quidem aut honestis, aut quæ nec vitiosæ sunt ex se, nec probæ, nihil ambigi debet quin mariti jussa debeant esse uxori vice cujusdam divinæ legis; maritus enim Deo succedit in terris, et post divinam illam majestatem ipse solus uxori refert omnes omnium caritates, cultus, majestates.

Idcirco si quid est quod Deo velit uxor dare, non jussa

a Deo, marito non permittente, dare nec debet, nec licet: quid est magis uxoris, quam corpus, quam animus? at nec in corpus suum potestatem habere maritam feminam, testificatur Divus Paulus, nec continentiam offerre potest Deo, non dico invito marito, sed nec inscio: quocirca si, quum maritus tuo egeat ministerio, tu velle te, non dico saltare, aut ire ad publicos ludos, aut ad convivia, aut deliciatum, respondes (nam hoc plane scortorum est) sed orare, sed templa circumire, scias et ingratas tuas preces Deo futuras, nec te in templo Deum inventuram; vult te Deus orare, sed negotiis conjugis liberam; vult sua templa invisere, sed quum nihil est quod domi maritus tui indigeat; hæc enim conjugalia sunt, quæ posuit Deus in officio conjugis: accedere jubet ad aras suas, sed placato prius amico, quanto magis placato prius omnium mortalium amicissimo marito? Quid tu mihi sacra, quid templa visis, quum aliud vir tuus aut expresse jubet, aut tacite poscit? Tu in templo quæris Deum, quum comparem tuum, a Deo tibi sociatum, vel ægrum domi relinquant, vel esurientem? Circa ejus lectum sunt sacra omnia; ibi aræ, ibi Deus, ubi pax et concordia et caritas, inter eos præcipue, qui his conglutinati rebus individui esse debent: Deum facile tibi amicum reddes, si hominem reddideris; non eget nostris ministeriis Deus; pietatem sibi uni, et supremum cultum reservavit; obedientiam postulat, non sacrificium; cetera prope, hominibus, hominum præcipit causa, ut inter se concorditer atque amicè viverent: hoc docet, quod toties mutuam caritatem inculcat, quod eis, quos in regnum suum admittit, pro benevolentia in homines suam beatitudinem rependere se profitetur; quos rejicit, hoc nomine detestatur quòd benefici in homines, et benevoli non fuerint; facile reconciliatur Deus, si reconcilies hominem; nec ulla est expeditior via ad gratiam Dei, quam per gratiam hominum: itaque magna se sacra facere putet mulier, quum marito inservit, magnas ædes sacras circumire, quum mariti lectum: quam sunt nonnullæ, quæ quamlibet affectis maritis templa sua non relinquerent, haud æque pietatis gratia, ac (ut equidem arbitror) vel consuetudinis, vel oblectationis: de istis quid opus

opus est disputemus? Illas vero, quas ducit religio, Paulus hunc in modum admonet: *Virgo cogitat quæ sunt Domini, quomodo Deo placeat; mulier cogitat quæ sunt viri, quomodo viro placeat*: non tollit curam religionis in conjugem, sed ostendit minorem jam esse, quòd virgo tota sit Domini, deque illo solo vacet ei cogitare, marita divisa inter Deum et virum, ut quam totam prius occupabat contemplatio vitæ cœlestis, ea nunc ad curas vitæ hujus descenderit propter virum; non quod ista ratio a Domino aliena sit, quam ipse idem constituit, sed altior erat altera, et Domino propinquior: placet quidem uxor Domino, sed per virum medium, quia marito studet satisfacere, quem præfecit Dominus; placet virgo, et vidua, sine viro, et quasi sine interprete; distinctæ sunt earum cogitationes, ut Marthæ et Magdalenæ distincta opera, non per contrarietatem, sed per gradum, ut excellentiora sint virginis, quam maritæ: ergo pietatis in muliere maxima pars est, cura, et ministerium conjugis.

Neque vero existimet quis Apostolum, quum ait, *Mulier cogitat quæ sunt mariti*, quid fieri soleat, non quid debeat, innuere, neque enim Paulus in consuetudinem adducit res pravas, nec fenestram illis aperit qua se se ingerant: quid, quòd nec omnes virgines cogitant de Domino, nec omnes uxores de maritis? Docet nos, ergo, quid oporteat et velit in utrisque fieri, ut quam prius in cœlibatu cunctam esse in cogitatione de Domino par erat, ea nunc de contemplatione illa detrahat quod impendat conjugali ministerio, alioqui nec Paulo magistro, nec Christo Domino satisfactura, et amissura religionem in ea ipsa religione, quam captat: idem Apostolus scribens ad Timotheum, de mulieris officio illud posuit: *Mulier in silentio discat, cum omni subjectione; docere autem mulieri non permitto, neque dominari viro, sed esse in silentio*: et ad Corinthios: *Mulieres vestre in Ecclesia ne loquantur; si quid vero dubitant, domi virum quæque suum roget*: quæ mihi profectò lex eò videtur spectare, ut discat mulier a marito, et in rebus incertis sententiam illius sequatur, et eadem credat quæ ipse: quòd erret, maritus solus in culpa est, uxore innoxia, nisi forte manifestiora sint quam quæ ignorari sine noxia non possint, aut aliter doceant ii, qui-

bus fidem haberi etiam a marito convenit; impia enim, ut maximè maritus imperet atque exigat, facienda non sunt, si scias esse talia, et unus agnoscendus viro superior, viro carior, Christus; caput quidem mulieris vir, at viri caput Christus: plurimæ sanctæ mulieres nostræ religionis, etiam a maritis suis supplicio affectæ sunt, quòd Christi præcepta contra voluntatem eorum sequerentur: cavendum tamen, ne temerè, et ex cujuslibet sententia, de pietate mariti statuas; gravius est hoc, quàm ut cujusvis iudicio credi debeat, quod esset in universo genere humano amplissima dissidiorum materia: vetabat olim Apostolus ab impio marito uxorem discedere, nisi ille sineret; tantum est videlicet conjugii vinculum, ut nec pietas dissolvat, Paulo auctore, nisi impietas permittat: quid in utroque christiano, utroque pio, statuendum est? quomodo in bonum virum affectam oportet esse uxorem?

Equidem prætermittere nec volo, nec debeo, de uxoris officio gravissima monita, quæ sunt in OEconomicorum volumine posteriore, quod Aristotelis nomine inscribitur: *Existimare* (inquit) *probam mulierem decet, mores viri legem esse vitæ suæ, a Deo sibi impositam, per conjunctionem matrimonii, atque consortii, quos si quidem æquo tulerit animo, perfacile reget domum, sin contra, difficilius: quapropter decet non solum in prosperis rebus, secundaque fortuna, unanmem se viro præstare, et inservire velle, verum etiam in adversis: si sit in rebus defectus, vel corporis egrotatio, vel alienatio mentis, æquo ferat animo, et obsequatur, nisi fortè turpe aliquid sit, et indignum: ne, si quid perturbatione animi vir deliquerit, memoriter servet, sed affectui, ignorantiaque, adscribat, nam quanto in his diligentius obsequetur, tanto illi majorem gratiam habebit quum animi perturbatio erit sedata, et si jubenti aliquid turpe non paruerit, melius recognoscet ad sanitatem reversus: quapropter ab his cavere debet mulier, in aliis multo magis obtemperare, quàm si empta venisset in domum, magno enim pretio empta fuit, societate vitæ et procreatione liberorum, quibus nec majus, nec sanctius quicquam inveniri potest. Præterea, si cum fortunato vixisset viro, non usque adeo virtus ejus enituisset; nam est sane parum, secundis rebus bene uti, attamen adversas moderatè perferre, multo majus est existimandum,*

dum, nam in magnis calamitatibus et injuriis nihil abjectè facere, excelsi est animi: precandum est quidem, ne quid tale accidat viro; quòd si quid accidat adversi, putare debet hinc optimam sibi laudem, si recte gesserit, proventuram, secum ipsa reputans, quòd nec Alcestis tantam sibi gloriam comparasset, nec Penelope tot tantasque meruisset laudes, si cum fortunatis viris vixissent; verum Admeti et Ulyssis adversitates paraverunt illis memoriam sempiternam, in adversitatibus enim virorum suorum fidem ac justitiam erga illos servantes, gloriam non immeritò sunt consecutæ; nam prosperitatis quidem facile est reperire participes, adversitatis vero, nisi quæ optimæ sint, mulieres participes esse renuunt: ob quæ omnia multo magis decet virum in honore habere, nec illum contemnere. Hactenus Aristotelis verba.

DE CONCORDIA CONJUGUM.

C A P. V.

Percensere concordie bona, et quemadmodum universa quæ in mundo sunt, atque adeo mundus ipse, pace ac concordia consistat, infinita res esset, nec loci hujus: de matrimonio est nobis sermo institutus: dico, maximam ejus tranquillitatem, ac perinde felicitatis partem, esse concordiam; maximam tempestatem, ac miserie partem, discordiam. Pythagorici, inter magistri Pythagoræ præcepta, illa ex primis tenebant, ab ipsis sæpenumero usurpata: *Fugienda, et abscindenda sunt prorsus, languor a corpore, imperitia ab animo, luxuria a ventre, a civitate seditio, a domo discordia, et in universum a cunctis rebus intemperantia: Ulysses, apud Homerum, Nausicæ, Alcinoi filie, virum et domum optat, et concordiam, quo nullum melius est in vita bonum, aut magis expetendum; nam quum concorditer vir atque uxor degunt, multos inimicis dolores afferunt, multa amicis gaudia, et primum omnium sibi ipsis: sic ille. Quàm fortunatum conjugium putamus fuisse Albutii, qui cum Terentiana sua viginti quinque annos egit, sine aliqua, vel levi, offensione? quanto fortunatius Publii Rubrii Celeris, qui cum Ennia quatuor et quadraginta, absque ulla querela? Oritur ex discordia dissensio, rixa, jurgium, pug-*
na;

na; querulæ sunt pleræque feminæ, et difficiles, quumque subinde levissimis de causis objurgent maritos, res exit in maximas animorum offensiones; nec aliquid est, quod ita alienet virum ab uxore, ut crebra rixa, et uxoris lingua amarulenta, quàm Salomon tecto in hieme perstillanti assimilat, quoniam utraque res virum domo expellit: *Idem, satius ait esse habitare in deserta terra, quàm cum uxore litigiosa et iracunda*: hoc beneficium conferunt in omnes quædam intolerabiles, ut nulla ferenda videatur: hinc Caji interpretatio, *Cælibes*, quasi *cælites*: et græcè, *ἡδέες*, quasi *ἡμῆδες*, hoc est, *cælibes, semidei*: tum dictum illud: *Qui non litigat, cælebs est*: ceu omnes conjugati litigent.

Eadem res, quieta pleraque ingenia, et rixarum inimica, ab uxoribus ducendis absterruit: multa etiam in opprobrium sexus propterea conscripta, immeritò utique, et olim quæsita, atque acriter exercita divortia, quæ hodieque in christiano populo desiderantur a plurimis, quòd dicant se usuros commodis magis uxoribus, si illæ sciant se posse pelli ni morigeræ sint et tractabiles: in quo mea sententia, vel viri falluntur, vel mulieres sunt stultissimæ, quæ non reputant tanto obsequentiores debere se viris præbere, ut jucundius vivant cum iis, a quibus nulla ratione separari queant, neu perpetuam necessitatem in miseriam vertant, quàm exuere nunquam possint: multum enim positum est in uxoris manu, ut concordia sit domi: nam viri animus minus est irritabilis, nec in genere modo humano, sed in cunctis animantibus, sicut Aristoteles inquit: mares, ut animosiores sunt, et ferociores, ita simpliciores etiam, minusque insidiosi, nempe generosioribus animis præditi; feminæ contrà, malitiosiores, et suspicionibus atque insidiis magis intentæ; quo fit, ut infirmissimis quoque conjecturis pertrahantur, et lædi se quamlibet levi ictu putent animi tenelli, ideoque crebrò expostulent, virosque indignitate querelarum accendant; sed faciliior reconciliationi vir quàm femina, sicut inter viros, ut quisque maximè muliebri est pectore, minimeque generoso, ita est injuriæ retinentissimus, et pertinacissimè vindictam expetit, nec mediocriter se vindicasse contentus est. Erat Romæ sacellum, in Palatio, deæ cujusdam, in quo, si quid domi inter

con-

conjuges inciderat jurgii, locuti quæ volebant, reconciliabantur; dea hæc *Viriplaca* nuncupata est, quæ nomine suo admonerat non uxorem a viro placandam esse, sed virum ab uxore; etiam in mariti culpa, nulla tua, abs te tamen, qui in illius es manu ac potestate, initium est captandum reconciliandæ gratiæ, quanto magis, si in te hæreat culpa aliqua, summisione, blandimentis, pœnitentia maritus est deliniendus! et quanquam optima pars eorum quæ diximus, ad concordiam spectet, tamen propius huc quædam afferemus.

Unum illud est ad concordiam præcipuum et efficacissimum, si amet virum uxor; ea enim est amoris natura, ut amorem eliciat; nec mirentur quædam, se a maritis non amari, quum ipsæ affirmant se amare illos; videant, ne non æque ament, ut præ se ostentant; ament vere, et amabuntur, nam ficta, simulata, adumbrata, tum ipsa se aliquando tandem produunt, tum non easdem, quas veræ germanæque res et expressæ, vires obtinent: porro si ament se mutuo vir et uxor, idem volent, idem nolent, quæ demum (ut inquit ille) firma amicitia est: discordia et dissensio nulla esse inter eos poterit, in quibus idem est cor, non diversa cupiens, eadem sententia, non diversa sentiens: Blanca, mater mea, quum in conjugio quindecim egisset annos, nunquam a me visa est rixari cum patre, aut in contrarium voluntatis illius tendere; eadem illis erat omnino mens, et affectus simillimi. Duo solebat in ore frequentia habere ceu proverbia; quum vellet significare se aliquid credere, agebat, *Tamquam si dixisset Lodovicus Vives*, quum se velle, *Tamquam si vellet Lodovicus Vives*; eum ego Lodovicum Vivem patrem meum et alias sæpe audivi dicentem, et quum illud referret quidam seu Scipionis Affricani minoris, seu Pomponii Attici, credo utriusque, quod nunquam in gratiam rediisset cum matre; *Nec se, quod difficilius esset, cum uxore*; reliquis id verbum admiratis, quum pæne in proverbium venisset concordia Vivis et Blanca, respondit, *ut Scipio cum matre, cujus gratiam nunquam exierat, ideo nec rediit*. Sed de matre mea, alius erit fusius dicendi locus commodior: porro quòd nonnullæ, quum imprudentius ament, ad infringendam concordiam

im-

Viriplaca
dea.

impetu rapiuntur, aliquot præceptiunculis promovenda est eorum prudentia, et vehementia retardanda; præcipuum est omnium, si continuerint animum, hoc est, affectum et perturbationem, quæ imbecilles feminarum animos majore turbine et corripit, et secum trahit, utpote quæ minore robore possunt obsistere: erit ergo in muliebri animo magna modestia, et eam operibus exeret, ac patefaciet: iterum admonenda est, immo sæpe, ne aliquid agat, ut agere videatur; nam id inefficax atque infirmum est: sit qualis videri velit, eo facilius, et certius, et verius videbitur: nec putet se simulatione imponere oculis omnium posse; non sunt homines stipites, aut saxa, qui rem fucata[m] fictamque discernere a vera et genuina nesciant: adde, quod ut spectantes fallant, non tamen rerum ipsam naturam fallent, quæ non eandem energiam atque efficaciam rebus falsis adumbratisque indidit, quam nativis et solidis; experiantur hoc in se ipsis, reputent cum animis suis, num modestas putent eas, quæ modestiam imitantur, quum non habeant; num redament eas, quæ se illas amare falso asseverant.

Proderit et illud nuptæ exhibere consilium, quod Lollio prudens poëta Horatius de amico, ut se amici moribus actibusque accommodet: ille venari si volet, ne tu poëmata componas, sed excussis camcænis sequaris jumenta retibus onusta, et canes: fratres erant Amphion et Zethus ex Antiopa, et quidem gemini, prior lyra doctissimus, Zethus rudis; quumque parum lyræ sonus placeret Zetho, et videretur ea causa germanorum discindi gratia, Amphion lyram posuit: sic uxor attemperet se mariti moribus ac studiis, ne illa oderit, aut aspernetur: Andromachen Hectoris conjugem, memoriæ mandatum est, ipsam suis manibus fœnum et avenam Hectoris equis præbuisse, quòd maritus illis delectaretur, et in bellorum usum accuratissimè ac indulgenter aleret: Cæcilius Plinius amasse uxorem se unicè multis epistolis suis declarat, inter quas est quædam ad Hispulam uxoris amitam, quæ illam educarat; his litteris tum agit illi gratias, quòd talem formarit puellam, tum causam, cur tantopere uxorem amet, aperit, sic de illa scribens: *Amat me, quod castitatis indicium est; accedit his studium litterarum quod ex mei cari-*

ritate concepit; meos libellos habet, lectitat, ediscit etiam: quæ illa sollicitudine, quum videor acturus, quanto, quum egi, gaudio afficitur? Disponit qui nuncient sibi quem assensum, quos clamores excitavim, quem eventum judicii tulerim: eadem, si quando recito, in proximum, discreta velo, sedet, laudesque nostras avidissimis auribus excipit: versus quidem meos cantat, formatque citharâ, non artifice aliquo docente, sed amore, qui magister est optimus. Nuper quum Lutetiæ Parisiorum essem, convenissemque Gulielmum Budæum domi suæ, præteriissetque per impluvium, qua nos deambulabamus, uxor ejus formosissima, et quæ (quantum ex facie et totius corporis habitu plane heroïno conjectare poteram) proba cum primis et prudens mihi materfamiliâs visa est, ubi maritum ea qua decebat reverentia, me etiam comiter atque honorificè salutasset, rogavi ex illo, num esset ejus conjux? *Hæc est, inquit, conjux mea, quæ mihi sic morem gerit, ut non tractet negligentius libros meos, quàm liberos, quod videat me studiosissimum: in quo hæc, mea sententia, majorem etiam laudem meretur, quàm Pliniana, quòd litteras nescit, quum illa sciret.*

Quanto hæc prudentius et honestius, quàm quæ viros ab studiis litterarum, ab honestis artibus retrahunt, ad quæstum, ad lusus, ad voluptates adhortantur ac propellunt, ut ipsæ etiam in partem veniant vel lucri, vel lusus, vel deliciarum, quoniam communicari secum posse studia desperant? stultæ ignorant quanto solidior et verior est voluptas ex gloria, quod maritis fruuntur sapientibus, quàm opulentis aut deliciosis; tum quanto et commodius et jucundius cum sapientibus viris vitam degant, quàm cum stultis, vel cum iis qui sapientiæ frenos affectibus suis non injecerunt, quos passim excitatæ in animo perturbationes cunctos abripiunt, et transversos longissimè a recto et justo evehunt. Nec solum non studia, sed nec fastidiet in marito quicquam, non verbis, non oculis, non gestu, nulla denique significatione; omnia diliget, omnia admirabitur, omnia colet, omnia assentietur; habebit quidvis dicenti fidem etiam si narret veri dissimilia et incredibilia; omnes illius vultus sumet, ridenti arridebit, mœsto se præbebit mœstam, servata semper auctoritate matronalis integritatis ac virtutis, ut magis

illa ex amico proveniant animo, quàm adulatorio; nec se marito ulla in re praeferet, illum patrem, illum dominum, illum majorem, potiozem, meliorem se et putabit, et prae se feret, et profitebitur: quæ poterit constare amicitia, et amor, si dives ipsa contemnas maritum pauperem, si formosa deformem, si nobilis ignobilem? Sartyricus inquit: (1)

Intolerabilius nihil est, quàm femina dives:

Idem Divus Hieronymus in Jovinianum; Theophrastus quoque, *Divitem uxorem ferre tormentum esse* (ait) *non credo, nisi addant malam, aut insipientem*: nam quæ, malum, dementia est, non considerare, quàm levis res est pecunia, ut est ultimum ex iis, quæ solent hominibus spiritus tollere? Sed in multis leves et inanes animi, tenui aura intumescunt: Fatua, num non conjugium omnia reddit communia? Si amicitia fiunt omnia communia, quanto communiora matrimonio? non solum pecuniæ, sed amici, propinqui, nihil non; *Quod Romani*, sicut Plutarcus inquit, *suis legibus declararunt, quibus vetabatur, inter conjuges dari aliquid, aut accipi, ne quid distinctum et proprium esse alterutrius videretur*: in optima republica, ut docet Plato, *meum et tuum auferri decet*: quanto magis in optima domo, quæ tum demum optima, et perfectissima est, ac ea de causa felicissima, quum sub uno capite non est nisi unum corpus! Nam si vel plura habeat capita, vel corpora, monstrum est: quid dicam? nihil esse uxoris, viri omnia? Ut, juxta Plutarchi similitudinem, vinum dilutum, etiam si plus infusum sit aquæ quàm vini, vinum tamen dicitur, ita quantolibet plus attulerit femina quàm vir, hujus tamen redduntur omnia.

¶ An non is cuncta possidet quæ sunt feminæ, qui feminam ipsam possidet, quique ejus est dominus? Atqui audis a Deo, et conditore omnium Domino: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tui*: idcirco nec de forma contemnendus est maritus; habes tu formam in corpore tuo, mulier, at maritus et formam tuam, et te possessione sua: non disputo primum, quàm

(1) Juvenal. Satyr. 6. v. 458.

quàm exiguum ac tenue sit hoc formæ munus, ut constet opinionibus; eadem aliis speciosissima, aliis deformissima videntur; quàm fluxum et fragile, quantis casibus obnoxium, quam fugax! Una te febricula, unus nævus, unus pilus deformissimam posset ex speciosissima facere; et hoc quiddam nescio quid tam leve, tam evanidum, mirum quantopere stulta et inania corda tumefaciat atque attollat, ut ventus utrem! qua de causa Poëta ille dixit: (1)

—*Sequitur superbia formam:*

Sed in viris nemo requirit illam formæ gratiam, in mulieribus decere putant; et tamen legis a sapientissimo Rege dictum: *Fallax gratia, et vana est pulchritudo, mulier timens Deum, ipsa laudabitur*: denique si eadem estis caro, seu idem potius homo, tu et maritus, utique deformis esse nequit, cui est pulchra uxor; sed quorsum de pulchritudine spectat jactatio, quasi nesciamus quamlibet speciosum corpus feminæ nihil esse aliud quàm sterquilinum candido et purpureo velo opertum? si illud formosissimum Alcibiadis corpus introspecti posset, dixit Philosophus nescio quis, quàm multa in eo apparerent tetra et abominanda! (2)

—*Nobilitas* (ut inquit ille) *sola est atque unica virtus;*

Nobilitas.

Taceo ut stulta res sit hæc, quam nobilitatem appellamus, bello, crudelitate, latrocinii, fraudibus, spoliationibus, parta et conservata, cujus opinio alitur a magno erroris magistro populo; sed quantumvis nobilis, si ignobili nubas, ignobilior eo redderis, non est uxor marito nobilior, nec in humano genere continget quod in nullis animantibus, filii patrem sequuntur gentium omnium ritu, nempe potiozem; quod si tu nobilissima es, maritus tuus aut nobilissimus fit per te, aut tu ignobilis per illum; jure civili mariti dignitatem tribuunt feminis, non patres, ita ut clarissimæ non appellentur, quæ clarissimis ortæ patribus, plebeis nupserunt; declararunt hoc pa-

Dd 2

tri-

(1) Ovid. fast. lib. 1. v. 419.

(2) Juvenal. Sat. 8. v. 20.

triciæ mulieres Romanæ, quæ Virginiam patriciis ortam parentibus, quia plebejo denupserat, sacello pudicitiae patriciæ exegerunt, plebejam esse dictitantes, non patriciam; neque id ipsa inficiata est, nec pudori se esse plebejam duxit, nec præ illorum patriciatu plebem suam contempsit, nec erubuit vocari Virginia Lucii Volumnii.

Cornelia, Scipionis filia, quum in domum venisset, amplam illam quidem, multisque claram honoribus, sed plebejam tamen, et quæ cum paterna comparanda non esset, ipsa, ex Cornelia gente, Romæ omnium facile principe, et ex ea gente familia primaria Scipionum, filia Scipionis illius Africæ domitoris, Principis senatus populi Romani et omnium gentium, filia Tertiae Æmiliæ, ex Æmilio genere Romæ et toto orbe illustrissimo, tanta, majorum omnium, et paternorum, et maternorum, gloria, claritate, stemmatibus, maluit tamen semper Cornelia Gracchi nominari, quàm Scipionis; irata etiam plerisque, qui, honoris ut putabant gratia, Scipionis cognominabant: Marsippa, ut scriptores Græci tradunt, Idam maritum, hominem mortalem, Apollini, deo (ut credebant) immortalis, prætulit: Soror prioris Dionysii, tyranni Syracusii, Thesia, Philoxeno nupta, quum Philoxenus, molitus quiddam adversus Dionysium, e Sicilia profugisset, accersita a Dionysio fratre, et castigata quòd fugam mariti non sibi detexisset, *Quid tu, inquit, tam degenerem me et abjectam putasti uxorem, ut si de mariti scissem fuga, non illum fuissem secuta, et ubi vis gentium maluissem Philoxeni exulis uxor dici, quàm hic in patria Dionysii Regis soror?* Hunc tam sanctum, tam generosum animum Syracusani admirati, post exactos tyrannos, et vivam coluerunt, et omnibus honorum generibus persecuti sunt mortuam: uxor Maximiliani Cæsaris Maria, quum ei hæc Gallia Belgica patris Caroli hereditate obvenisset, Gallique Maximiliani simplicem et mansuetum animum parvifacerent, ad Mariam tamquam Principem de rebus omnibus ditionis referrent, nihil illa pro potestate unquam statuit inconsulto viro, cujus voluntatem semper pro lege habuit; et poterat absque mala viri gratia omnia administrare sola pro arbitrio, nihil non permittente Maximilian-

Maria Maximiliani.

liano, et ex miti animo suo, et uxori carissimæ ac prudentissimæ, et indole illius: ita Maria virum in maximam auctoritatem brevi adduxit, plurimum ei tribuendo, ditioque audientior fuit principibus, geminata reverentia, et quasi utriusque majestate ab altero fulta et sustentata. Non debet prudens mulier dotem suam existimare, quam in domum mariti inferat pecuniam, vel speciem, vel claritudinem prosapiæ, sed pudorem, pudicitiam, probitatem, obedientiam virilis imperii, sedulam curam liberorum, ac domus: ampliter dotata venit quæ sic est instructa: alioqui convicium adfert, non connubium mulier, quæ fortunam habet qua insolescat, non habet, qua regatur, virtutem: Alcumenæ apud Plautum hæc sunt ad Amphitruonem verba: (1)

Quæ vera dos.

*Non ego illam mihi dotem duco esse, quæ dos dicitur,
Sed pudicitiam, et pudorem, et sedatum cupidinem,
Deum metum, parentum amorem, et cognatum concordiam,
Tibi morigera, atque ut munifica sim bonis, pro sim probis:*

hæc in animo.

Nunc freni sunt linguæ adhibendi, quos facile frenatus animus injiciet, nam quòd sunt impotenti lingua pleræque feminarum, id ex impotentia proficiscitur animorum, totas enim occupat ira, et abripit, nec quicquam illis sui juris relinquit; hinc in jurgando nec modus, nec ratio ulla conviciorum, quum nullus sit rationi, nullus judicio locus, omnia ignis accenderit, et sua fecerit, nempe fomenta facile nactus in materia molli ac tenera, et proinde ardori apta; unde rabies effusissima tum affectus, tum linguæ, quam sæpenumero miratus sum in probis; et in quibus nec pudicitiam, nec pudorem, nec sanctitatem, nec alias magnas præclarasque virtutes desiderarem, coactus sum modestiam et temperationem iræ, linguæque, desiderare, non sine meo etiam pudore, quum tamen nihil ad me de toto jurgio pertineret, quòd erat inter alienissimos, si quid modo quod christianorum sit, alienum esse christiano potest; quocirca, ut dif-

De linguæ impotentia.

(1) Plaut. Amphitru. Act. 2. Scen. 2. v. 202.

difficillima, ita pulcherrima præstantissimaque erit virtus feminae, coercere linguam; quod non erit operosum efficere, si se habuerit in sua potestate, si se munierit, et confirmarit, ne perturbationibus se tamquam tempestatibus auferendam permittat; illud in primis, dum quieta est, dum sana, dum sobria, et sui juris, sæpe cogitet, et obstinet animo, ne si in rixam cum marito incideret, probum aliquod objiciat grave, vel generis, vel corporis, vel animi, vel vitæ, quo sciat illum malè urî; nusquam quidem, sed minimè omnium coram iis, a quibus ipse id ignorari vehementer cupiat; nam hac contumelia irritato, difficilior erit deinceps reconciliatio, quinetiam reconciliatus, quoties ei maledicti illius in mentem venerit, non æquis unquam oculis uxorem aspiciet: jam apud Deum quanta offensa! Dominus in Evangelio Matthæi ait: *Quisquis indignatus fratri suo in vocem affectionis proruperit raka*, (cei quis dicat iat tu!) *reum fore concilio; quisquis fatue, reum gehenna ignis*: nunc ipsa reputato, quid fiet tibi; qui maximum aliquod maledictum, non in fratrem modo, sed in patrem, in Dei (quantum ad te attinet) vicarium, in omnes consanguineos jeceris? Jactum vero in te a marito cave ne memoriæ adhæreat; patienter perferto, et magnam apud eum jam sedatum gratiam ista tolerantia inieris, indomitumque illius animum in bonum vertes, uterisque posthac mitiore ac commodiore: Terentius, mores hominum fabulis suis exprimens, de puella pudica inquit: (1)

*Hæc ita, uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta, incommoda atque injurias
Viri omnes ferre, et tegere contumelias:*

Has ob causas redditus est uxori mariti animus, a qua erat alienatus: hoc idem est sapientis, apud Senecam tragicum, nutricis consilium, quod illa Octaviæ Neronis dabat: *Vince obsequendo potius immitem virum.*

Estis quidem, vos feminae, tenero corpore, imbelli; accedunt his quotidiani pæne labores e sexu, menstruorum fastidia,

(1) Terent. Heeyra. Act. 1. scen. 2. v. 89.

dia, molestiæ uteri, pericula enitendi; plane estis conditione, digna quam miserentur mariti; videte ne importunitate vestra excutiatis ex maritorum animis misericordiam vobis debitam, ut miserabiles non sitis, quum tamen miseræ: nec beneficium aliquod tuum exprobraveris marito; quæ res etiam inter alienos odiosissima est, et debitam gratiam pro beneficio amittit qui exprobrat, quippe excussit eam ex animo alterius: adde, quod si recte expenderis, beneficium non potest tuum existere in maritum aliquod, quippe cui tantum debes, quantum patri, quantum ipsa tibi: nec genus, aut ingenium, aut dotes suas, modesta femina crebro commemorabit; quæ res molesta est, et fastidium solet vel marito amantissimo parere: Juvenalis optare se dicit obscuram et ignobilem citius, quàm Corneliam Africani filiam, de cujus virtute multa commemoravimus, si animos illi faciat paterna claritas; sic enim ait: (1)

*Malo Venusinam, quàm te Cornelia, mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos;
Tolle tuum precor Annibalem, victumque Syphacem
In castris, et cum tota Carthagine migra:*

Vir gravissimus Plutarchus præcipit: initio conjugii vitandum omnem contentionis et rixæ ansam, quum nondum satis cohæsit amor, tenerque adhuc, et fragilis, quavis de causa dissolveretur, haud secus quàm vasa, recenter ficta, quamlibet mediocri impulsu confringuntur: nec jurgandum esse in lecto geniali; nam ubi ponent animorum offensiones, si locum illum ad reconciliationem maximè idoneum, rixis suis infestum et odiosum reddiderint, ac velut medicinam corruperint qua illis animorum morbis subveniri oportebat? Sunt et minutiora quæpiam, quibus vel confirmatur amor, vel luxatur, quæ uxor diligenter in viro animadvertet ut illius aptet ingenio ac voluntati; aliqua pro exemplis subjiciam, unde reliqua intelligantur;

Dissidia initio conjugii vitanda.

ve-

(1) Juvenal. Sat. 6. v. 166.

velut quibusnam cibus, quomodo paratis, quomodo conditis delectetur, a quibus abhorreat; salsa amet, an subfatua; calida, an frigida; hoc genus carniū, piscium, potionis, an aliud quodpiam; qua hora, quibus mantilibus, quibus mappis, quadris, patinis, scutellis, cucumis, salino, poculis; quemadmodum poni sibi mensam gaudeat, quos adhiberi convivās, quales collocutiones; tum, quomodo sterni lectum, quibus culcitrīs, stragulis, opertoriis, linteis, pulvinis; hinc in sellis, in scannis, in tota ratione victus, suppellectilis, ac instrumenti domestici, quæ sunt muliebri curæ injuncta et delegata.

Sunt hæc quidem per se, ut dicebam, parva, sed maximi interdum apud humanos animos momenti, qui non a magnitudine rerum commotiones accipiunt, sed a suis ipsorum æstimationibus: an non minutius est prunam cultello dissecari, linteam morderi, serram acui, suem grunnire, et ejusmodi tenuia et levia quamplurima? at quàm multi hisce rebus ita permoventur, et exhorrescunt, ut mallent vulnus accipere quàm illa perferre, occulto sensu peculiaris cujusdam naturæ! Quanti fecit Isaac filii pulmentum, ut hoc elicuerit ab eo benedictionem, maximam illo tempore hereditatem! Quis non audit odium conjugum ex mora prandii, ex frigidiusculo jure, ex mantili sordido conceptum, excessisse in dissidium et divortium atrocissimum? Hæc est præceptorum omnium summa: ut uxor, perspectis magna cura, et judicio, mariti moribus, talem se erga illum præbeat, qualem vellet famulam suam esse in se, si eisdem et uxor ipsa esset moribus prædita: illud quoque addendum, crebras offensiunculas amorem, quamlibet radicatum et fixum, commovere primum, hinc nutantem jam facile subruere: olim hæc fuit Regum ars, ut res gratas, et quæ benevolentiam conciliarent, ipsi obirent per se, velut munificentiam, largitiones, veniam, tristia vero, amara, aspera, per ministros, sicut exilia, spoliationes fortunarum, supplicia capitalia; sic ferunt fuisse in Sicilia feminam primariam, memoria patrum, quæ sedulo animum adverteret quid famuli sui agerent gratum domino, idque ipsa deinde exequabatur, mandabat vero illis quæ forent subaspera et submolesta: quo gravius

cas-

castigandæ sunt mihi uxores Belgicæ, quæ maritis, cum levare volunt fessum animum, et Genio indulgere, segniter maligneque quæ sunt opus subministrantes, abigunt eos domo, tamquam ex solitudine, illi vero in cervisiariam aut vinatiam cautionam se recipiunt, nactique ibi ad rem omnem sodales commodos, et rerum omnium paratam copiam, facile in omne se vitiorum genus effundunt, ingluviem, ebrietatem, aleationem, scortationem, desidiam; relictis domi uxore, et parvis liberis, esurie confectis, ipsi censum universum usque ad tunicas et lectulos profundunt, domum aversati ut specum aliquod, in quo fera bestia incubet, nempe uxor inimica: nec desunt inter eas quæ hæc omnia non invitæ perferant, modo ne sit ipsis manus vel suppellectili vel operi culinario admovenda: tanta est in illarum pectoribus segnitias ac socordia, interdum protervitas quoque et pervicacia, qua malunt perire se quàm si semel indignari cœperint, vel minimum de animis remittere in gratiam maritorum: itaque ipsæ in causa sunt, ut corrumpantur maritorum mores simul cum re familiari; videasque hic plerosque cœlibes frugi, maritos nequissimos ac perditissimos: at istæ adeo in rebus necessariis tardæ ac desides, dictu incredibile quàm promptæ diligentesque sunt in vagando, discurrendo, garriendo, in se ipsis autem comendis, et ornandis, sedulitate atque industria incomparabili.

QUOMODO PRIVATIM SE CUM MARITO

HABERE DEBET.

CAP. VI.

NON fuerit alienum jam hic disserere, quemadmodum se in privato et remotis arbitris cum marito geret: sciat ante omnia, veteres illos, qui Junoni, nuptiarum præsidi ac tutrici, sacra faciebant, nunquam immolata victima fel reliquisse, sed illud exemptum hostiæ post aram rejicere consuevisse; significantes, nec iram, nec amaritudinem aliquam inter conjuges incidere oportere: iidem Veneri deæ Mercurium adjungebant, quasi le-

Mores antiqui in sacris.

Tom. IV.

Ee

pô-

porem et suavitatem quandam in connubio, quippe debet uxor commoditate morum, et sermonis lepore, ac blanditiis conjugem delinitum sibi copulare, arctiusque in dies devincire; nihil enim est, quod validius ad se attrahat et rapiat, quam dulcedo morum ac orationis: quid prodest mulieri ingenium et prudentia, nisi adsit lenitas et mansuetudo erga virum? nemo non malit cum cane suo conversari, quam cum muliere importuna et feroci: tenebit prudens mulier fabulas, et historias, et narratiunculas, ut jucundas, ita etiam puras, ac honestas, quibus fessum maritum, aut ægrum, reficiat, ac recreet; tum præcepta sapientiæ, quibus vel adhortetur ad virtutem, vel retrahat a vitiis; aliqua etiam graviter dicta contra impetus assultusque utriusque fortunæ, quibus virum, seu elatum secundis rebus sensim demittat in planum, seu abjectum, prostratumque adversis, erigat, utrinque autem ad mediocritatem reducat; si qui in eo affectus tumultuantur et sæviunt, muliebribus, castis, prudentibusque lenimentis tempestatem illam mitiget, et sedet; sic Placidia, Theodosii filia, Athaulphum, Gothorum Regem, maritum suum, Romanum nomen delere molientem, a tam immani cogitatione, dulcedine orationis ac morum suorum leniorem commodioremque factum, ad sanitatem humanitatemque revocavit: multa sunt hac de re a Divo Joanne Chrysostomo in Joannis Evangelium conscripta, quarum hæc fere est summa: *Grande momentum est mulier ad virum recte admonendum, et, si qua invaserit animum illius tempestas, sedandum; neque enim maritus vel patri æque, vel magistro, auscultabit, ac conjugii probæ: habet voluptatem nescio quam, haud sane exiguam, admonitio uxoria, quandoquidem ex ingenti benevolentia videtur nasci; amat enim mulier hunc, cui consulit, nec aliter prospectum ei cuperet, quam sibi ipsi, multosque, testimonii gratia, possem adferre, ex immitibus uxorum opera mansuefactos: verum enim vero re est maritus admonendus, non inani verborum strepitu: id perficies, si te non vitiosam animadverterit, non preciose indutam, nec superflua expetentem, sed contentam necessariis; quod si verbis quidem philosophere, actionibus autem longe aliud præstes, illicet nugas ille tuas aspernabitur, et præcepta tua operibus tuis confutabit: exempli causa: quum aurum non*

Chrysostomi
sententia

que-

quæres, non gemmas, non preciosam vestem, sed pro his modestia ac caritate indueris, et ab illo exiges, consulentem te feret; nam si studendum est ut viro placeas, anima ornanda est, non corpus corrumpendum; non enim aurum uxorem efficit perinde amabilem, et desiderabilem, ut modestia, et pietas, et affectus, quo vitam pro marito impenderes, si esset opus: corporis cultus marito sumtuosus est, et gravis, animus vero ille gratus, sine sumtu: hactenus ex Chrysostomo.

Observanda sunt porro admonendi tempora, neque enim sunt omnia consentanea; officium extra tempus, molestia est; sigillum molli cera imprimes, et monita molli animo, scilicet, quum pectus illius nulla perturbatione agitabitur, seorsum et semotis arbitris; utere dexteritate ac suavitate sermonis, nec in consulendo sis immodica; facias loquendi finem, ante satieta-tem: tum rationem adjice, quamobrem sic suadeas; hæc enim, non aliter quam primæ sagittæ appositæ, efficient ut monitus tui altius in cor ejus vibrentur: sermonis conversionem in rem aliquam facies jucundam, quæ totam superiorum verborum asperitatem, si qua fuit, leniat, tollatque; ipsa ad eum de curis tuis omnibus et cogitatibus referto, modo non frivolis, nec virili aure indignis; illum unum habebis socium, confabulorem, consultorem, magistrum, dominum; in illius pectus depones cogitationes tuas, et quicquid te angit, in illo acquiesces: faciunt hæc ad amorem mutuum, faciunt ad concordiam, quoniam quidem illos amamus natura, in quorum pectus curas affectionesque nostras velut oneris partem derivamus, quibusque plurimum fidimus, vicissim nos illi amant, qui se amari sentiunt, et sibi tantopere fidi, ut ad intimos etiam animi recessus admittantur, nihilque sit illis in nostro corde tectum et occultum: quam legem ne existiment feminae oportere sibi communem ac parem cum maritis esse; nolint ipsæ omnia maritorum consilia scrutari; molesta est plerunque illa curiositas, et suspecta de garrulitate, quæque virorum animos quandoque exasperat; habent quoque mariti nonnulla, quæ nolint uxoribus esse cognita, sibi unis reservant: apud Homerum Juno inquit Jovi: *Ne tu mihi postmodum irascaris, si te inscio ad profundi Oceani ades abiero: Jupiter vero Junoni: Noli mea omnia consilia*

Tempora
observanda.

Mulier ne
nimium cu-
riosa.

Ec 2

ri-

rimari, neu te cognituram speres: quanquam sapiens mulier, quanta maxima poterit vigilantia, et sagacitate, illud odorabitur, et num qua de se sinistra suspicio in animo mariti hæreat? et num semen iræ et odii? et num quæ reliquæ? et num vestigia? Si quid sit tale, navet sedulam operam ne sinat radices adolescere; facile gliscunt hæc levibus de causis, et perniciose fiunt; evellet blanditer, et satisfaciet marito; citius invalescunt et occidunt incogniti ac operti morbi, quàm qui se foras proferunt; ne extorqueat, ne duriter atrectet, ne magis infigat dum revellere conatur, demet potius sine doloris sensu, hoc est, sine expositione, sine querelis: nec putet sibi vel homines, vel deos, unquam futuros propitios, nisi placato marito: Dominus in Evangelio ait: *Si offers munus tuum, et ad altare recordaris aliquid tibi offensusculæ cum fratre tuo resedisse, posito ibi munere, e vestigio propera ut fratri reconcilieris, ita demum oblaturus Deo quod instituisti*: frustra Dei pacem imploras, non peccato amico, et quanto magis conjuge irato? Videat, etiam atque etiam, ut quæcunque in cubiculo et ad sacrosanctum geniale torum dicentur, agenturve, sacrosancta arcana existimet, majore etiam premissa silentio, quàm illa quondam Cereris Eleusinæ, seu ut rectius et aptius dicam, quæ in aurem dicuntur sacerdoti a confidente: et quæ insania est, efferre tam recondita, tam reticenda?

Generosus et recte educatus populus Atheniensis, bellum cum Philippo Rege Macedoniæ gerens, deprehensas illius ad Olympiadem uxorem litteras resignare et legere non sustinuit, quod existimare (id quod res habet) arcana conjugum sacra esse, nec fas evulgari, aut ab alienis nosci, ita obsignatas illas intactasque in Macedoniam ad Reginam transmiserunt: digna gens, quibus fidem et silentium conjuges omnes servarent! et quod si hoc illi fecerunt hosti armato, et quanto congruentius est te idem marito facere? Porcia, M. Bruti conjux, ultroneo vulnere constantiam suam exploravit an reticere magna secreta posset, et ubi vulnus se tacere et celare posse intellexit, tum ex viro rogare est ausa, quænam animo tam anxius volveret, consiliumque Cæsarianæ necis, commissum sibi a Bruto, æque tenaciter fideliterque ac quivis conspiratorum, tacuit. Nec stu-

de-

debit solum illi amica uti sit semper, sed etiam ne alios et inimicos faciat, et in periculum conjiciat, susceptis simultatibus; neque enim pro lenone utendum ipsi est marito ad injurias, si quas putat illatas sibi, ulciscendas, nisi periculum sit pudicitia, quæ est feminæ res omnium preciosissima; sed neque huic tamen erit, si nolit, et caveat; verba si quis parum honorifica dixerit, aut id fecerit quod tenerum videatur læsisse animum, non protinus est ad virum accurrendum, et igneis verbis (qualia solet ira subministrare) accendendum illius pectus, et armandæ manus; devorabit hæc omnia proba mulier, et existimabit se tutam undique ac munitam, salva et intacta pudicitia, qua polluta nihil superest purum. Erit in conjugali cubiculo, ac lectulo maritali, non modo pudicitia, sed etiam pudor, ut uxorem se meminerit, in qua Plutarchus summum amorem et summum pudorem conjunctos esse vult, atque complexos: ferunt Persarum Regum legitimas uxores convivari quidem cum eis, et genialiter agere consuevisse, cœnis autem lascivioribus non admitti, sed psaltrias tantum et concubinas: eum honorem conjugio deferebant: nam ut Princeps ille solitus erat dicere: *Uxor, dignitatis nomen est, non voluptatis*: sic maritus, conjunctionis, propinquitatis, unionis appellatio est, non libidinis, sicut est a nobis superius declaratum; decet tamen viros, nec immodicis se immergere voluptatibus, nec cum aliis oblectare se quàm cum propriis uxoribus; sed hic viros non docemus, qui locus ad eos potius spectaret, ne ipsi libidinum et lasciviam suis uxoribus magistri essent, meminissentque sententia illius Xysti Pythagorici: *Adulter est in suam uxorem, omnis impudicus amator ardentior*: et parèrent Apostolo Paulo præcipienti maritis: *Ut uxores suas tamquam vasa generationis possideant in sanctificationem, non in cupiditates immoderatas atque illicitas, quod gentiles faciunt qui Deum ignorant*: Sponsus, in Canticis canticorum, sponsam sororem suam vocat, quo puriorem denotet caritatem matrimonialem: sed ad mulieres redeamus.

Ipsæ pudicum, et sanctum torum, spurcis et libidinis actibus ne coinquent: *Honorabile connubium sit inter vos omnes*, inquit idem Paulus, *et torus immaculatus*: casta illa Spartana ro-

ga-

Silentium secretorum.

Uxor dignitatis nomen.

Nota de Zenobia.

Uxores perpetuo castæ.

Conjuges casti.

gata, an accessisset unquam ad maritum, *Minimè vero* (inquit) *sed maritus ad me*: videlicet, pudica femina, mariti libidinem nunquam irritarat, nec venere usa erat, nisi ut conjugii obsecundaret: Zenobiam Palmyrenorum Reginam, scribit Trebellius Pollio, mulierem eruditissimam, et regni administrandi prudentissimam, ea castitate fuisse, ut ne virum quidem suum nisi tentatis conceptionibus nosset; nam ubi semel concubisset, a viro abstinebat usque ad tempus menstrui; si conceperat, omnino secubabat quoad peperisset, sin aliter, potestatem sui faciebat viro quærendis liberis: quis hanc credat non modo libidini, sed vel mediocri voluptati concubitum dedisse? suspicienda, et adornanda matrona, quæ non plus muliebribus ad libidinem sollicitabatur, quàm pede aut manu! digna, quæ vel sine concubitu pareret, quem tantum in pariendi usum petebat, vel sine dolore, quæ implebatur sine voluptate! Plus præstitit nostra Christiana Ethelfrida Britannorum Regina, quæ postquam semel peperisset, amplius viro suo congressa non est: quanto magis illa Edeltrudis, Regina itidem ejus gentis, quæ duobus ibi maritis nupta, utrunque ad perpetuam castitatem induxit: fuerunt et alia conjugum paria, quæ concubitus prorsus expertia vixere; velut Henricus Bavarus Romanorum Princeps cum Sinegunda, Julianus Martyr et Basilia: in urbe vero Alexandrina Chrysantus ac Daria, et Amos cum uxore sua: Malchus itidem Monachus, cujus vitam Hieronymus retulit, cum conserva illa sua.

Nimirum intellexerunt divini homines, id quod a sapientissimis viris traditum est, corporis voluptatem indignam esse excellentia hac nostra, quàm per animi naturam possidemus; idcirco eo magis ab unoquoque contemni, et rejici, quo quisque largius de illa animi præstantia sortitus, est Deo propinquior, non usurpari, nec crebro ascisci, nisi qui animus parum generosus, humilis, abjectus, multum sordidæ ac despiciatæ naturæ traxit, minimum altissimæ illius: uxores, exutæ superis, induite pudorem, et hoc naturæ honestissimum amiculum semper retinete, interdiu, noctu, cum alienis, cum viro, in luce, in obscuro; nunquam vos Deus, nunquam Angeli,

nun-

nunquam conscientia vestra nudas pudoris tegumento conspiciat; nihil fingi potest deformius, aut turpius vobis sic renudatis; gravis poëta Hesiodus ne nocte quidem mulieres interulam tunicam ponere vult, quatenus noctes etiam deorum immortalium sunt; Rebecca, filia Bathuelis, quum ad Isaac duceretur cui erat nuptura, cumque deambularem offendisset in campo, rogavit quis ille esset? ubi cognovit esse Isaac sponsum suum, continuo se se pallio operuit; prudens virgo, et probe instituta, alias omnes edocuit, primam ac præcipuam verecundiam marito deberi, nam cui exhibenda est major verecundia, quàm cui maxima reverentia?

DE ZELOTYPIA.

CAP. VII.

Zelotypiam ex Stoicorum sententia Cicero finit: *Ægritudinem* Zelotypia. *ex hoc quod alter quoque potiatur eo quod quis concupivit*: definitur etiam: *Metum esse ne quis tecum habeat commune, quod tuum unius velis esse*: quibuscunque explicetur verbis, perturbatio est certe truculentissima, et plane tyrannus immitis atque impotentissimus, qui quamdiu in mariti animo regnat et sævit, desperanda est uxori concordia; præstaret utrique mori, quàm alterum in zelotypiam incidere, sed virum præcipue: quis cruciatus, quæ tormenta æquari possunt, tum agitato intemperis zelotypiæ, tum ei de quo est ille metus? Hinc quærimoniæ, expositiones, clamores, odium sui et alterius, perpetua mali suspicio, rixa, jurgium, pugna, cædes denique; nam et legimus, et fando audivimus, occisas a plurimis conjuges suas sola zelotypia percitis: quo affectu feræ quoque bestiæ nonnullæ graviter tentantur; lænam Aristoteles scribit a leone discerpi, si adulteratam deprehenderit: cygnum feminam multi viderunt confectam a masculo, quòd alterum marem secuta esset: quocirca viribus est universis annitendum, ne maritum eæ furia invadant; si invaserint, ut liberetur: hoc unica ratione assequetur mulier, si nihil vel dicat, vel agat, quod in suspicionem rapi

Feræ zelotypæ.

a marito possit; tanto minus, si natura sua sit suspicax: bene Paulus, Hieronymus, Aristoteles, et alii magni ac sapientes viri: *Nec malum agendum, nec quod mali habeat speciem*: grave hoc, inquis, nam quis possit etiam suspiciones regere? tu, multis modis: primum, si castè vixeris; et propemodum hac sola via expeditissima; nam veritatis parens est tempus, falsa tempus debilitat ac tollit, vera confirmat et corroborat: si casta sis, et maritum habeas zelotypum, spera facile ac brevi hanc illum animi perturbationem positurum; si impudica, pro certo scito non modo non deletum iri, sed invaliduram in dies: in summa, si mariti zelum innocens perfers, beata es; si nocens, misera; amabis maritum, et navabis operam ut ille amari se sentiat, sed vide ne id simulatè, nam eo magis et acerbius oderit, quo viderit te simulare accuratius; ficta enim, non modo quo diriguntur non proficiunt, verum plerumque in contrarium.

Sæpius admoneo feminas, et admonendæ sunt sæpissimè, plus quàm viri, ne se fallant, existimantes nihil referre agasne aliquid, an videaris agere; imperitæ sunt, et stultæ, si figmentis et fucis suis rerum se naturam mutaturas sperant: neminem ostendat se amare mulier, non æque modo ac virum, sed nec alium, quàm virum; si quos amet alios, mariti amet gratia, aut ne diligat quidem, quamlibet marito caros; nam plerique omnes viri facile patiuntur, gaudent etiam, ut cetera habeant cum uxore communia, amicos communes non habere, quod et uxoribus usu venit de famulabus, et feminis amicis suis. In publico gerat se maximo cum pudore, ne libenter seu versetur seu colloquatur cum alienis viris, nec cum mulieribus quæ de neglecta pudicitia male audiant, lenæ vero nec conspectum sustineat; litteras nullas vel det, vel accipiat, conjuge incio; de alienis viris parcissimè loquatur, neque formam, neque dotem aliquam corporis eorum laudet, aut laudantem libens audiat, nec eos intente spectet, nec illis præsentibus aliquid agat, quod indicium possit cuiquam esse turpitudinis; quem virum, quam mulierem nolet te maritus alloqui, ejus omnino congressus et colloquia defugito, vel matris tuæ, si ita marito libeat; quòd si illum suspicacem esse noveris, nec apud eum, nec apud fratrem,

trem, aut filium, aut patrem, aut propinquum, pro viro ullo intercedes, nisi is forte consanguineus sit, vel adeo affinis ut nulla in negotium possit incidere sinistra interpretatio; alioqui enim alia potius re quapiam suspicabitur adduci te, quàm benefaciendi aut commiserationis studio, ut sunt semper suspiciones in pejorem partem credulæ; pro multis simul viris tutius poteris, ut pro civitate, aut populo, aut provincia, in quo iniqua interpretatio minus valebit: hæc omnia dicenda fuerunt, quandoquidem non malum modo vitandum suademus, sed ejus quoque imaginem ac similitudinem: ceterum prava illa cogitatio eximenda est mulieribus, quòd caritatem maritorum, et curam de ipsarum pudicitia, zelotypiam esse nonnunquam interpretantur, quum tanti referat probas esse uxores; sunt quæ nisi solutissima in res omnes concedatur licentia, zelotypiam confestim arguant, et ingenti temeritate atque impudentia marito apud loquacem famam civitatis invictissimam inurunt notam, unde ille et male audit immeritò, et a multis contemnitur, atque invidetur: sunt hæc mulieres, an viperæ? uxores, an hostes? Non hæc est christiana disciplina, sed intemperantis cujusdam stoliditatis ac brutæ; illud vero, risu ne magis, an indignatione prosequendum sit, nescias, quod nonnullæ ex eunt, manent, redeunt, colloquuntur, convivantur, ubi, quamdiu, cum quibus volunt, agunt omnia pro animi sui libidine, maritis sinentibus, et inter hæc omnia zelotypiæ maritum insimulant.

Nunc de zelotypia feminæ dicendum, qua quidem si tangatur, profectò non ita multa adhibuerim remedia ut sanem, modo ne sit nimia et violenta, quæque pacem domus turbet, et marito sit gravis, ac plane intoleranda, nam si ejusmodi est, medicinâ succurrendum censeo: ante omnia, ut mulieri veniat in mentem maritum dominum esse, nec idem sibi licere quod illi; humanas leges non perinde a viro pudicitiam exigere, ut a femina; liberiores esse viri quàm feminæ vitæ totius ratione; viris curanda esse multa, feminis solam pudicitiam; claudendæ aures iis, qui sinistrum quid de marito volunt deferre, ut sit nobis atque illis persuasum, malam eos apud nos captare

Zelotypia
feminæ.

gratiam: Hermione, Cadmi Thebani uxor, quum a marito propter zelotypiam discessisset, lamentans queritur apud Euripidem, malarum feminarum ingressu se perditam, quòd illis obtretraticibus aures fidemque adhibuisset: mulier si ob pellicatum vel maritum deferre, vel graviter cum eo rixari delibere, faciat dictum illud cogitatione tractet, quod quidam quum fugitivum persequeretur, isque in pistrinum se coniecisset, fertur dixisse: *Ubi malim te videre?* scilicet, *quàm eo loci, in quem te coniecissem ipse, si cepissem?* sic ergo reputet, *ubi me aut quid potius agentem videre malit pellex, quàm domo profugam, et a geniali toro, vel in gravi dissidio cum viro, ut tum demum minima opera cunctam ad se mariti mentem allicefaciat, quam ipsa a me importunitate mea averti, et alienavi?* Ut taceam vulgi sermones, quibus et se, et maritum præbere fabulam, honesta matrona, quibusvis a viro injuriis et contumeliis affecta, non debet: memoriæ a quibusdam traditum est, puellas aliquas recens nuptas, cum maritos, studio venandi foris quandoque pernoctantes, suspicarentur aliarum feminarum tenèri consuetudine, illos esse in saltus prosecutas, ibique in tenebris a maritis jaculis confixas, et a canibus dilaniatas, cum esse feræ crederentur: nimis magnas dederunt pœnas tam curiosæ zelotypiæ: quanto moderatius et prudentius Tertia Æmylia, prioris Africani conjux! quæ cum marito unam ex ancillulis suis placere sensisset, rem dissimulavit, ne domitorem orbis, ac populi sui principem, incontinentiæ damnare videretur, et se se impatientiæ, quæ injuriam conjugis, maximi ætate sua viri, ferre nequisset; ac ne vulnus aliquod læsi animi aluisse in pectore crederetur, marito mortuo ancillam illam, pellicem suam, honesto liberti sui connubio prosecuta est, rara, si quis nostrarum rerum apud vita functos est sensus, et hoc quoque mariti manibus gratissimum futurum: sapientissima femina non ignorabat se uxorem, se dominam esse, quocunque vir suus divertisset; si mariti concubitus alteri invideret, hoc libidinis esse, non amoris.

Quid, quòd maritum, si succenseas, magis irritabis? sin feras, citius revocabis? præsertim ubi tuos faciles mores cum im-

importuna pellicis insolentia compararit? sic Terentius, humanorum adfectuum depictor, Pamphilum a Bacchide concubina carissima ad invisam uxorem traductum scribit in Hecyra, postquam et ipse Pamphilus se se, et illam Bacchidem, et hanc, quæ domi erat, cognovit, satis ad exemplum ambarum mores earum existimans: (1)

*Hæc ita, uti liberali esse ingenio decet,
Pudens, modesta, incommoda atque injurias
Viri omnes ferre, et tegere contumelias;
Hic animus, partim uxoris misericordia
Devictus, partim victus hujus injuriis,
Paullatim elapsus Bacchidi, atque huic transtulit
Amorem, postquam par ingenium nactus est:*

hæc ille: non tacendum est nobilis illius matronæ factum, quæ cum maritum haberet amore alienæ uxoris captum, itareque ad illam quotidie videret inter virum et fratres illius insidiantes præsentissimo cum periculo, maritum aggressa: Tu (inquit) mi vir, ab amore isto illicito divelli non potes, nec ego abs te id contendo; solum oro, ne cum tanto vitæ tuæ discrimine ames; illa se velle sequi te ait, duc in arcem tuam; ego ipsi hanc ædium partem cedam instructissimam, in aliam migrabo, ac dabo tibi fidem non aliter me illam habituram, quàm si soror mihi esset germana; si quid secus senseris, tu me potius domo pellito, illam retineto: persuasit marito, et nocte quadam pellicem in arcem intulit, vehementer trepidam, ac metuentem uxorem amatoris, quæ illam, blandissimè et humanissimè exceptam, in suis cubiculis collocavit, nec aliter appellavit quàm sororem, visitque eam bis quotidie, tractarique jussit accuratius et delicatius, quàm semetipsam, absque ulla vel in verbis vel in factis odii significatione: Nunc (inquit) marite, tutius amabis, et securius fruire: vir uno fere anno ad uxorem teneram, nobilem, castam, et pellice profecto formosiolem,

Ff 2

non

(1) In Hecyra Act. I. Scen. II. v. 89.

In Contes-
tanis Hispa-
niæ.

non accessit: uxor quid in animo haberet, solus scit Deus; quod homines judicare poterant, non inique ferre videbatur, præsertim ubi maritum periculo subduxerat; multa in templo, multa in precibus esse; afflictam facile omnes intelligebant, indignantem aut conquerentem nemo: post annum maritus ad uxorem totus conversus, amicam cœpit capitaliter odisse, et ea pulsa, tantum amorem ad uxorem transtulit, ut in ea se animum, vitam, spiritum suum situm esse prædicet, nec sustinebit, ut ait, superstes illi esse: nominibus abstineo, quoniam omnes adhuc vivunt: et hæc quidem dixi de iis, quæ certam habent zelotypiæ causam; nam quæ incertam, importunè ac intolerabiliter agunt, et sibi ipsis et conjugibus certum cruciatum ob incertum admissum afferunt, quod faciunt pleræque immodicè vel amantes, vel indulgentes suis affectionibus, vel quæ ipsæ sibi fingunt somnia, et infirmas conjecturas pro magnis et comperitis argumentis arripiunt: ;jocatur cum aliqua maritus? ne putet protinus amore esse captum; magna pars affectus est, quid credas; sæpius enim ex opinionibus affectus, quàm ex rebus nascuntur: ne traharis quibuslibet suspicionibus, quam ne perspectis quidem et exploratis moveri oportet.

DE ORNAMENTIS.

CAP. VIII.

ET hoc, ut cetera, ad viri voluntatem moresque referendum est; si malit tenuem cultum, hoc utendum, nam si ornatiorem ac splendidioram quæris, jam non adeo mariti oculis te componis, atque alienis, quod non est probæ: ;quid enim cum auro et argento mulieri, primum christianæ, deinde cujus maritus illis non delectatur? ;tu, jubente viro, ad christianum ornatum te non accommodas, quæ etiam diabolicum debes induere, si is velit? Ambrosius de fucis ad hunc modum scribit: *Hinc illæ nascuntur incentiva viciorum, ut quæsitis coloribus ora depingant, dum viris displicere formidant, et de adulterio vultus, meditentur adulterium castitatis; ;quanta hæc amentia effigiem*

Sed abominando cum sancta Esther signum superbiæ.

mu-

*mutare naturæ? ;picturam quærere? ;et dum verentur maritale iudicium, prodere suum? Prior enim de se pronuntiat, quæ cupit mutare quod nata est: ita dum alii studet placere, prior ipsa sibi displicet: Ambrosius hæc: quæ ipse sentit, cum nihil super hoc uxori maritus disertè præcepit, nec vir prudens præcipiet; quod si fecerit, aut illum id scias cupere, commodè atque in tempore dissuade, idque serio; si nihil profeceris, dabis hoc quidem oculis et voluntati ejus, sed dices cum sancta Esther, omni illâ diaboli pompâ compta, et instructa: *Tu scis Domine necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, et gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, et detester illud quasi pannum menstruatæ, et non portem in die silentii mei: quod si liberum sit mulieri, cum conjugata sit, quibus velit, indui ac ornari, cogitet jam non habere cur magnopere fastum et nitorem cultus exquirat, et invenerit jam quod aliæ per ejusmodi se retia dicunt quærere: admonet Cyprianus Martyr nuptas, ut videant ne nimium sibi per placendi studium de conjugum solatio blandiantur, ne dum eos in excusationem suam proferunt, in societatem criminosa consensionis asciscant: habent quid nos ante de ornamentis senserimus: nunc magis decebit Petro auscultare, et Paulo, qui cultum matronæ christianæ simplicem parabilemque esse volunt, fulgentiorem sanctitate vitæ, quàm auro vel gemmis: et nacta est jam honesta mulier alia veriora ornamenta, tum in pudicitia, ut Xystus inquit, tum in liberis honeste educatis, sicut dicebat Cornelia de Gracchis suis, tum in viri gloria: Philonis sapientiæ sectatoris uxor, cum sine aurea corona processisset in publicum, et aliæ gestarent, rogata ;cur non et ipsa ferret? *Uxori (respondit) satis ornatus esse viri virtutem et laudes: ;quis non pluris faciebat Catonis, non admodum divitis, uxorem, quàm multorum publicanorum, qui divitiis affluebant, uxores? ;an non præstat Xantippen Socratis pauperis conjugem fuisse, quàm Scopæ, vel cujuslibet illius ævi opulenti? Ornamentum mulieris (ait Demochares) sermonis atque ornatus parsimonia: et ornatissima est, quæ optimum habet virum.***

Chrysostomus multis locis lernam hanc feminei cultus, ferro, atque igni persequitur, pestique renascenti toties, tam varia,

Chrysostomus sententia.

riæ,

riæ, multa fomenta admovet, cujus sententiam, quoniam fusa est, ut fere ubique, in pauca contraham, et quidem non uno ex opere: Genus quoddam est idololatriæ, cultus hic vestium, monilium, et totius domestici ornamenti, tam exquisitus, tamque anxius, ut pro idolis tibi sint aurum, gemmæ, ac vestitus; nec aliter tractas, ac reverteris, quàm olim simulacra illa sua error antiquus: quid, quòd marito et vilem, uxorem, ac contemnendam reddit, et odiosam? quos enim minoris æstimamus, quàm qui subinde nobis indigent? Quòd si mulier sæpenumero maritum de ornatu interpellet, vilis illi profecto fuerit, et suspicionem ei injiciet, non se illum amare quòd sit vir suus a Deo copulatus, sed quòd procurator facultatum diligens, et suppeditator vanitatis ac fomenti superbiæ; tum demum vere se intelliget maritus diligi, seposito respectu utilitatum, et sibi obtemperari tamquam majori et vicario Dei, cum paucissima uxor requiret, et ea exigui precii; ita ille cognoscet, non amari se propter necessitatem, sed propter caritatem a Deo jussam: porro, cum auri pars maxima in uxoris ornamenta profusa est, et in angustias res familiaris est contracta, quænam esse potest conjugii voluptas? Fortasse hic mulieris apparatus inter matrimonii exordia gratus fuerit propter novitatem, paulatim vero gratiam illam suam amittet cum novitate, haud aliter quàm consuetudo spectandi cælos et sidera, quibus nihil est speciosius, admirationem omnem consumsit; quòd si illa jam maritus non curat, cui tandem ornata foris vis placere, et ab aliis laudari; atqui desiderium hoc mulieris est minimè pudicæ.

Quid, quòd modesta et modicè culta plures laudatores invenit, et meliores homines, quam fastuosa illa, cultusque sui ostentatrix? temperatam probi et sapientes laudabunt, profusam luxuriosi et incontinentes juvenes, quanquam nec hi tam laudabunt, quam expetent, nam quantumcunque eorum libido lacessatur, improbabit tamen luxum et incontinentiam mulieris: dicet fortassis earum aliqua, quidnam ipsa commereor si alius de me male suspicatur? Tu suspicioni huic per habitum, per incessum, atque aspectum, per omnem denique corporis motum, ansam præbes, et fomenta sumministras; nam si ea quæ opum modo sunt indicia, tanto studio Apostolus circumcidit, aurum scilicet, margaritas, et sumtuosa vestimenta, quanto magis ea, quæ tam anxie, tanta arte conquiruntur? quod genus sunt, purpurisso vultus

in-

inficere, stibio oculos pingere, fracto gradu incedere, vocem formare molliorem, lascivum obtutum, et qui libidinis jaculetur incendia, superfluum pallii ac tunicæ jactationem, cingulum affabre confectum, stridentes crepidulas, et cetera irritamenta lasciviæ; ista quippe a pudore sunt alienissima, et dedecoris ac turpitudinis plena existimantur: enimvero, si hæc Apostolus iis quæ sub viro sunt, quæ in deliciis vivunt, quæque divitiis circumfluunt, interdicit, quid dicturum eum censemus de virginibus? Verum ut de cultu cum gentili nihil disputem, cedo, quid mihi respondebit christiana, pompâ illâ templum ingressa, ubi audit de sublimi loco præcipientes Apostolos contraria? an huc venit, ut illorum orationi factis suis repugnet, et velut clamet, quantumcunque gementur et inculcentur illorum verba, se tamen vel non audire, vel pili non facere? Si quis paganus nostris interesset cætibz cum illa dici ab Apostolis Christi audiret, hanc vero Apostolorum discipulam hoc facere conspiceret, nunquid contineret risum, et non potius discederet, velut inepta fabula offensus? hæc ex sancto Joanne Chrysostomo.

Ceterum, ut non fastum, et pompam, et preciosum in matrona cultum, ita nec sordes atque immunditiam probamus, modo ne in tenui ac vili vestitu emineat cura et studium ornatus: sunt quas etiam rudis pannus ac crassus, ob naturæ venustatem deceat; sunt quæ arte efficiunt, ut deceat: dandum (inquiunt) aliquid est loco, tempori, conditioni vitæ, et receptis moribus civitatis: dandum sane interdum nonnihil, quando extorqueri aliud non potest, sed non multum, ac multo minus etiam quàm postulent: Aristoteles, in Oeconomicis libris ex seculari sapientia, minore cultu apparatuque debere mulierem uti censeat, quàm leges ac mores civitatis præscribant; Quippe quam considerare (inquit) convenit, quod nec vestimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri copia tantum valet ad mulieris laudem, quantum modestia in rebus, ac studium honeste vivendi, et cum decore: est ergo plus semper rationi tribuendum, plus sanctitati et pietati, quàm vanis judiciis, et pravis moribus per flagitiosos aliquos inductis, atque a corruptis vulgi sensibus acceptis et confirmatis: deberent sanctæ aliquot matronæ, velut conspiratione facta, in ejusmodi mores impetum facere, ut tenui,

Tolendus
pravus mos.

nui, ac parabili cultu, et ipsæ quod oporteret præstarent, et aliis viam quæ insistendum esset indicarent: quanto major laus esset, malum sustulisse morem, quàm secutam esse? nec desperandum est posse tolli ab aliquibus, cum aliquæ intulerint; nec ita deplorandum humanum ingenium, ut accipere mala possit, bona non possit, præsertim quum rectus animi habitus huc propendeat; quantum consensus malarum valuit in malum, tantum bonarum valeret in bonum, inciperent modo honestate, modestia, pudicitia certare, iisque vincere pulchrum ducerent, non ostentatione opum, quæ leves animos in maximas æmulationes et certamina impingit; probitatem, patientiam, amorem atque obsequium mariti, probant omnes, et laudant, paucæ invident aliis ad imitationem, ornatum vero, vestes, torques, murenulas, monilia, inaures, annulos, vasa cælata, omnes invident, omnes concupiscunt: O superbissima, et stulta animalia, ficta ad vanitatem, et ostentationem! Hinc contentiones tam accensis animis eousque progrediuntur, ut, quemadmodum sapientissimè Cato apud Livium inquit, divites id habere velint, quod nulla alia possit, pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se extendant; ita fit, ut quum pudeat quod non oportet, jam quod oportet nihil pudeat; maritos ac liberos spoliant, ut se vestiant; domi fames et egestas, ut ipsæ onustæ auro et serico in publico incedant; maritos ad turpes quæstus, ad prava facinora, suis querimoniis impellunt, ne vicina, ne consanguinea, ne affinis ditiores se et ornatiorem ostentet; et hæc gravia, atque immodica, tolerabilia essent, si non etiam pudicitiam venderent, ut illinc pararent quod maritus dare vel nolit, vel non possit.

His tantis malis succurrendum esset, aut divitum matronarum consensu ac conspiratione, quæ suo exemplo alias ad meliorem mentem revocarent, vel lege aliqua, tamquam frenis injectis, qualis fuit vetus illa Oppia, quæ mulierum sumtibus modum statuebat: christianos concionatores deceret, non solum sanctos christianæ pietatis, sed gentilem hominem Pythagoram, æmulari, atque adeo in pulcherrimo certamine vincere, de quo Justinus scribit in hunc modum: *Docebat Pytha-*

*goras matronas pudicitiam et obsequia in viros, inter hæc, velut genitricem virtutum, frugalitatem omnibus ingerebat, consecutusque assiduitate disputationum erat, ut matronæ auratas vestes, ceteraque dignitatis suæ ornamenta, velut instrumenta luxuriæ deponerent, vera ornamenta matronarum dicens pudicitiam, non vestes esse: an non eandem sententiam apertius ac copiosius apud nostros invenient? referti sunt ejusmodi consiliorum Cyprianus, Hieronymus, Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Fulgentius: Tertullianus vero sic adhortatur mulieres: *Prodite vos jam, medicamentis et ornamentis extractæ Apostolorum, sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem; depictæ oculos verecundia et spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem Dei, annectentes cervicibus jugum Christi; caput mariti subjicite, et satis ornata eritis; manus lanis occupate, pedes domi figite, et plus quàm in auro placebunt; vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitia; taliter pigmentate, Deum habebitis amatorem: sic Tertullianus: quibus ego paucula quædam adjiciam, quæ mihi ad eandem exhortationem videntur pertinere: res omnes corporales incorporalium sunt signa; in spiritu est efficacia et veritas, in corpore umbra atque imago; caput viri est Deus, caput mulieris vir; an tu majus ornamentum aut præstabilius quæris, quàm excellentiam et decus viri tui? hoc tu caput si obedientia texeris, elegantissimum calliendum gestabis.**

Virum non decet caput suum tegere, quoniam in mundo imago Dei est, mulierem decet, nempe viro subditam; reteggit ergo se quæcunque mariti legem excussit; si tibi auro et gemmis caput refulget, marito tuo repugnans; si bysso et serico cooperiris soluta imperio virili, quid prodest inefficax signum sine re? nudata capite ambulas, et Apostoli præceptum contemnis; pyropus est, ardor conjugalis caritatis; adamas, sancti propositi firmitas, tenax, atque invincibilis, eam enim esse lapidis illius naturam ferunt; smaragdus, exhilaratio in domino, de qua Apostolus dicit: *Gaudete in Domino semper*: anulus ornamenta manuum, in præclaris operibus, de quibus Salomon: *Operata est consilio manuum suarum*: jugum illud Domini mire ac facile, aureum est monile, gemmis distinctum; zona est, præ-

Pythagoræ
de feminis
doctrina.

cinctio illa lumborum, qua nos insistere jubet Dominus in expectationem adventus sui; supparus, pudor est et pudicitia, quibus universum feminæ corpus contegitur; an vestitus est alius illustrior, quàm varietas illa virtutum, quibus ornatur sponsa filia Regis, in Psalmo quadragesimo quarto, quæ a dextris assistit sponsi sui, in fimbriis et vestitu aureo variegato? cujus gloria omnis introrsus se recipit, quò immittit oculos suos sponsus ille speciosus forma præ filiis hominum, in cuius labiis gratia est diffusa; miseræ, quid inanes umbras persequimini? hæc sunt certa et solida ornamenta, quæ splendorem vobis et vivis et mortuis patient, quæ decus conciliabunt ingens apud homines, apud Deum vero gratiam amplissimam et æternam.

DE PUBLICO.

CAP. IX.

Nuptas decet rariores conspici in publico quàm virgines; nam quod hæ videbantur quærere, illæ jam sunt adeptæ: ideo tota cura eò referenda est, ut quod nactæ sunt, conservent, atque illi uni studeant placere: Legislator Lacedæmonius nuptas velata facie prodire in publicum jussit, quòd eas jam nec spectare alios, nec ab aliis spectari conveniret, quæ domi haberent quem unum spectare, et a quo uno spectari se deberent cupere: quem morem Persæ, et prope populi omnes orientales, tenuerunt; multi etiam Græcorum: sed non sic involuto capite, quomodo hoc tempore in quibusdam Europæ civitatibus, ut ipsæ incognitæ atque invisæ, alios et videant et cognoscant; in quo subit admirari non tam mulierum delicias (delicias vero? immo in facie velo tenui operta densissimam impudentiam) quàm stultitiam maritorum quanta sit hæc flagitiis occasio non considerantium: haud facient, inquit: utinam nunquam fecissent, et alioqui non est fenestra licentiæ peccandi aperienda: sit ergo in mulieribus nuda velis facies, vetecundiâ contecta et clausa velum illud priscum non perinde illuc pertinebat, ipsa uti ne a

Fauna.

viris cerneretur, ac ne cerneret viros: Fauna, Fauni Regis Aborigi-

ginum uxor, quàmduu vixit, neminem unquam virum vidit, præter Faunum, ideo mortua, nomine *Bonæ deæ* culta est, ejusque sacris non modo viris omnibus interdicebatur, sed nec imaginem licebat conspici masculi animalis: neque id dico quòd clausas semper mulieres esse præcipiam, aut opertas, sed quòd rariores in publico, et minus inter viros, quo etiam nihil potest gratius maritis contingere: quàm jucundum putamus fuisse Tigrani, apud quem cum Cyrus Rex Persarum coenasset, multusque post convivium esset apud Tigranem de Cyri forma sermo, erat enim mirifice decora, rogavit uxorem Tigranes, *Ecquid esset ipsi visa Cyri facies? Non possum* (inquit illa) *dicere, nam, ita me dii bene ament, ut toto convivio nunquam abs te ad alium virum deflexerim oculos!* Sancta matrona nec audiet libens viros alienos, nec de eis, deque eorum forma disseret: quid ipsi cum pulchritudine aliorum, cui omnes viros æque pulchros, omnes æque deformes esse convenit, præter maritum? Is unus ceteris pulchrior sit, ceteris venustior, ut matri suus unicus filiulus: Sponso, in Canticis canticorum, feminarum omnium pulcherrima videtur sua sponsa; vicissim huic ille viros universos forma et gratia vincit: nec minus Duellio uxoris grata simplicitas; dicam Hieronymi verbis: *Duellius, qui primus Romæ navali certamine triumphavit, Biliam virginem duxit uxorem, tantæ pudicitiae, ut illo quoque seculo pro exemplo fuerit, quo impudicitia monstrum erat, non vitium; is jam senex, et tremente corpore, in quodam jurgio audivit exprobrari sibi os fetidum, et tristis se domum contulit, quumque uxori questus esset, quare nunquam se monuisset, ut huic vitio mederetur: fecissem* (inquit illa) *nisi putassem omnibus viris sic os olere:* laudanda in utroque pudica et nobilis femina; et si ignoravit vitium viri; et si patienter tulit; et quod maritus infelicitatem corporis sui non uxoris fastidio, sed maledicto sensit inimici: idem Hieroni Syracusio Regi ferunt contigisse: nimirum hoc dicere non possent istæ, quæ multos viros ante connubium, multos in connubio deosculatæ sunt.

Duellius.

In publico quantus sit servandus pudor, ex hoc facile poterit colligi, quod et domi, et in cubiculo, et cum solo viro, et de nocte servandum docuimus; quid attinet morem

Pudor in publico.

illum barbaricum insectari, quo apud quasdam gentes promiscue viri et uxores eisdem balneis lavant? ne commemorandus is quidem est, ferinus potius quam humanus: pauca mulier audiet, præsertim viros loquentes; pauciora dicet; si quid se vel audituram lascivum, vel visuram putat, subducatur quamprimum se: Declamator quidam de seculo sapienter de feminis sic loquitur: *Ferat matrona oculos jacentes in terram, et adversus officiosum salutatorem inhumana potius, quam verecunda sit; longe ante, suam impudicitiam neget ore et vultu, quam verbo*: Hieron ille, cujus modo memini, Epicharmum poetam magna pecunia multavit, quod præsentem Regina indecorum quiddam recensisset: Augustus Cæsar athletarum spectaculo, quod ii corpora nudare soliti erant, feminas venire edicto vetuit: non mirum; hic est Cæsar, qui leges tulit de adulteriis et pudicitia: propter eandem causam per dies Olympicorum certaminum feminæ omnes Olympiâ et Pisis excedebant, tum etiam, ne in tanta virorum frequentia versarentur: non ergo loquetur nisi quæ obfuerit tacuisse, nec audiet, aut certe non attendet, ea quæ nihil ad probitatem morum attinent; periculosa res est carnis titillatio, quam semper nobiscum circumferimus, nec iudicio vel rationi obtemperat; annotavit Divus Augustinus quod Apostolus Paulus de ceteris vitiis dixerit, *Resistite*, de libidine autem *Fugite*: *Nam reliquis* (inquit) *vitiis, Deo adjuvante, debemus in præsentem resistere, libidinem vero fugiendo superare; contra libidinis impetum apprehende fugam si vis obtinere victoriam; nec sit tibi verecundum fugere, si castitatis palmam desideras obtinere; fugiendum est, quoniam gravem castitas sortita est inimicum, cui quotidie resistitur, et semper timetur; vere nimium miseranda et plangenda conditio est, ubi cito præterit quod delectat, et permanet sine fine quod cruciat, sub momento enim, libidinis impetus transit, et permanet sine termino, animæ infelicis opprobrium*: sic ille. Ubi sunt istæ aulicæ, quibus mori est, solas esse aliquando sine turba juvenum, quibuscum dies et noctes fabulentur? quid respondebunt Augustino, immo Apostolo Christi? Ajunt se pure ac sine ulla suspitione mali id agere; mihi vero non fit credibile, ac ne Sapienti quidem, qui interrogat: *Quomodo quisquam continebit in sinu ignem, nec*

exu-

exuretur? sed fac illas absque ulla cogitatione obscœnitatis versari; certe ejusdem quoque Sapientis sententia est: *Periturum in periculo, qui periculum quærit*: et ut illis, quod est sane perdifficile, nihil veniat in mentem mali, poteris tu idem præstare de viris, quod de te ipsa? Delinquis ergo, vel opere, vel periculo, vel incitamento.

Sugillat Juvenalis eas feminas, quæ sciunt: (1)

*Quid Seres, quid Thraces rerum gerant,
—quid toto agatur in orbe:*

Cato, in Oratione de feminis, omnino vult honestam matronam nescire quæ leges vel rogentur vel abrogentur in sua civitate, quid in foro, quid in curia tractetur: hinc illud apud Græcos vulgare: *Mulierum opera tela, non conciones*: Aristoteles minus turpe ducit esse viro, etiam quæ in culina agantur nosse, quam mulieri quæ extra domum; idcirco eam prorsus vel loqui de republica vetat, vel audire: Materteram suam scribit Seneca per sedecim annos, quibus maritus suus Ægyptum rexit, nunquam in publico conspectam esse, neminem provincialium in domum suam admisisse, nihil ab ullo viro petisse, nihil a se peti passam; *Itaque loquax* (inquit) *et ingeniosa in contumelias præfectorum provincia, in qua etiam vitaverunt quidam culpam, non effugerunt infamiam, velut unicum sanctitatis exemplum suscepit; et, quod illi difficillimum est, cui periculosi sales placent, omnem verborum licentiam continuit, et hodie similem ipsi* (quamvis nunquam speret) *semper optat: multum erat si per sedecim dies illam provincia probasset, plus est quod ignoravit*: hactenus Senecæ verba: intelligebat profecto sapientissima femina, congressus virorum aliquid nominis sui candori obfuturos, delicatum et tenuem byssum non debere a multis contrectari: Numa, Romanus Rex, sicut scriptum est a Plutarcho, tacere feminas, et abstemias prorsus esse, neque de necessariis rebus absente viro quicquam loqui assuefecit: fertur igitur, quum mulier aliquando propriam in foro causam dixisset, senatum consuluisse deos, quidnam

ci-

(1) Satira 6. vers. 402.

Novæ nuptæ
lateant.

Ex aliena
dignitate in-
solentia.

civitati id monstrum portenderet. Novas nuptas amissa virginitate menses aliquot latere domi convenit; sic Elizabetha Zachariæ, concepto fœtu, aliquantisper latuit; hæc, quia vetula cum viro cubisset, illæ, quia virgines; utrasque pudere decet facti, quamvis non illegitimi: sunt quibus alienæ dignitates spiritus sustollunt, ut mariti, fratris, propinqui, affinis, etiam (si diis placet) amici, aut vicini interdum leviter noti; quantæ stultitiæ est sic agere, ut alium sua virtus bonum et honore dignum faciat, te aliena virtus malam, et honore indignam! nec desunt, quæ sic propinquorum potentia abutantur, ut non se modo, sed illos potentes, invisos reddant; ut uxor fratris Vitellii Imperatoris, quæ ex principatu leviri plus sumebat sibi, quàm Augusta ipsa; Hieronis, Syracusani Regis, impotens sororum dominatus impulit populum ad seditionem, qua ille cum universa gente deletus est; fuit nostra ætate nobili cuidam superbissima uxor, is magnis opibus devolutus, jure id passus judicatus est, quòd mariti potentia mulier atrogantissimè ferociret: Thucydides ne laudari quidem sermonibus vulgi bonam mulierem permittit; tantum abest ut vituperari non abominetur; sed esse prorsus alienis incognitam, minimumque de illa famam loqui.

Non est argumentum pudicitiae, nimis nosci feminam et celebrari et cantari, et publice quoque cognomine aliquo insignitam volitare per ora multorum, velut pulchram dici, aut strabam, aut pætam, aut ruffam, aut claudam, aut obcesam, aut pallidam, aut macilentam; hæc enim publice in proba muliere ignorari oportet, quemadmodum superiore libro demonstravimus: sunt tamen quarum vitæ ratio ita fert ut versari habeant in publico, velut quæ vendunt aut emunt; nollem, fieri si posset, hujusmodi negotiis mulieres admoveri, quamvis in hoc et regio spectatur, et conditio vitæ; itaque si aliter nequit, adhibeantur iis rebus vetulæ, aut mediam ætatem egresæ conjugatæ, sin vero necesse est omnino per puellas agi, dent operam ut sint comes sine blanditiis, et pudibundæ sine arrogantia, malintque aliquid jacturæ in mercibus facere, quàm in pudicitia: hoc dico propter nonnullas, quæ nimis blanditiis

em-

emptores alliciunt; *At non matronarum* (inquit Plautus) *par est officium, sed meretricum, viris alienis subblandiri*; quarum etiam dolos brevi cognitos emptores vitant, tamquam Sirenum cantus: majorem faciet quæstum verecunda, quam nec mentituram nec imposturam de facie et moribus emptores judicabunt: delectatur quandoque blanditiis et lusibus locuples mercator, sed rarus est, qui pecunia redimat; et cum ad serium mercatus ventum est, nulla fides habetur lascivæ; quod si habetur aliquando a juvenibus affectu deceptis, aliter senibus et veteranis et ditibus usu venit, in quibus affectus omnes vincit lucri cupiditas: ceterum quomodo se cunque res habeant, illud semper mulieris animo et cogitationi obversetur, certissimum et fixum unicum feminæ thesaurum esse pudicitiam cum pudore. Quum probam conjugem domi sic cluserim, intelligi satis potest, quantum illi concedam in bello gerendo, et tractandis armis; ne nominare quidem hæc illam volo, quæ utinam et christianis adimerentur viris; jam evanuit illa Judith vidua, umbra tantum rerum futurarum, quæ continentia et sanctitate sua Olofernis, hoc est, diaboli caput abscidit; jam Debbora, quæ judicavit Israëlem, Evangelio Christi cæssit, quanquam hæc, non tam bellicis consiliis et artibus populum Dei bellantem adjuvit, ut jejuniis, precationibus, vaticinio; de quibus duabus feminis cum Divus Ambrosius in libro de Viduis disseruisset, ad christianas conversus feminas, inquit: *Ecclesia autem non armis secularibus vincit adversarias potestates, sed armis spiritualibus, quæ sunt fortia Deo, ad destruendas munitiones, et altitudinem nequitiae spiritualis; arma Ecclesiae fides, arma Ecclesiae oratio est, quæ adversarium vincit.*

Mulieris in publico neque vox, neque verba, neque gestus, neque incessus, significationem aliquam præbebunt vel arrogantiae, vel fastidii, vel deliciarum; omnia erunt simplicia et recta, modestia et pudore temperata atque condita; matronas ubique decebit gravitas, et severitas, in sermone, in vultu, et cuncto gestu; erga viros autem juniores, et lascivos, etiam ferocitas, ac supercilium; maxime vero omnium, adversus eas feminas quæ non sunt famæ integræ, ne blanditiis vel huma-

ni-

nitare mores illarum videantur approbare, sed vultu ipso, quid de illis sentiant, testentur: Livius scribit, Hispulam, scortum Romæ nobile, a Sulpicia accersitam, prope exanimatam fuisse quod tam gravem esset feminam conventura; ita debent dignitatem suam tueri matronæ, ut pudeat improbas vel illas aspicere. Neque vero existimet mulier, quia nupta est, jam quidvis sibi licere vel audire, vel loqui; quum esset virgo, ignorantia poterat habere excusationem si quid absque rubore vel audiret obscœnum, vel loqueretur, nunc marita, et virum experta, intemperantia ac turpitudinis nota non caret, si quid accidat tale. Et quoniam leves quarundam animi tenuissima honorculi aura facile impelluntur, admonendæ sunt, ut graviores sint quàm quæ tam exiguo spiritu queant circumagi, prudentiores quàm quæ ignorent, ut ridicula et despicienda res sit hic quem nos honorem nominamus; quid ad rem facit, Cornelia voceris, an domina Cornelia? domina, an dominula, vel semidomina? Hæ sunt enim in Gallia differentia: O inanem animum, si tam exiguo vocolæ flatu movetur! stulta, an non vides te non protinus dominam esse, quod voceris? quid, qui Reginas et augustas nominant feminas, an faciunt protinus, quia sic appellant? Angelus Gabriel Reginam, et Dominam suam, Mariæ tantum nomine compellat, et tu indignè accipis, tuo ipsius nomine a viro, meliore te, nuncupari? quanta ignorantio est eorum quæ cupis? Dominam vero nemo potest vocare, nisi quam adamat, nam ea demum est illius domina et tyranna, cui servit is turpiter ac miserè; quod si honorata non est cui non præponitur domina, omnes in populo Romano in tota Italia, Græcia, Africa, inhonoratæ vixerunt, ac proinde miseræ; nulla enim tu mulier domina vocabatur, utique nec vir dominus: age vero, quantum interesse putas, sedeas, ambulesve, prima, an postrema? apud nonnullas gentes honoratissimis sunt primi, apud alias postremi, apud alias medii: ergo hoc totum opinionibus constat, non natura rerum: quod si opinioni satisfaciendum sit, cum es prima, puta te apud illos agere, qui primis deferunt honorem, cum media, apud illos qui mediis, cum extrema, qui extremis; sic semper videberis æstimationi tuæ honestissima; contra,

ne honore nimium efferaris cum honoratissimo sita es loco, cogita te in illis esse, quibus est iste locus infimus.

Jam cedi de via, quid aliud est quàm fortiorem imbecilliori indulgere; ut rectum claudo, vel firmum et valentem invalido, vel expeditum implicato, vel celerem tardo? et putas aliam esse causam, cur viri tam blande feminas compellent, tam leniter alloquantur, tanto in precio habere, ac veneratione etiam, præ se ferant, quàm quod imbecillum sexum, et in quem levissimæ quæque offensiones penetrant, ac imprimuntur altissimè, robustior sexus delicatè contrectat, ut vitra tenuia, et proinde fragilia? Non ergo vestra virtus parit vobis honorem, sed aliena comitas; nec honoramini quia honorem meritæ, sed quia honoris avidæ; nam cum vident vos tanto affectu id cupere, et ejusmodi capi, exiguam rem benignè vobis gratificantur: vocant dominas, arrident, colloquuntur blandè, verba quantulo constant? cedunt via; leve est tantilli itineris dispendium, et interim respirant; locant priores; bene sedebunt sub vobis; dant partem in domo instructiorem, vestes molliores, aurum, argentum, gemmas; idem faciunt et pueris, ne plorent, nec vos sapientiores pueris existimant, nec estis, quamdiu illis movemini; denique vobis relinquunt quæ male vos urunt adempta, illis contempsisse magnificum ac gloriosum est, tum ut ea excolatis, quæ ipsis non vacat: et quia vos norunt tales, nemo honoratior putat quod honorem a viris, sed illos potius educatos et comes, qui honores concedunt eis, quas sciant honoris imagine ægre carituras: vir sum, sed quatenus vos patria quadam caritate instituendas suscepi, nihil quod ad eruditionem vestram pertinere credam, vel celabo, vel dissimulabo; etiam mysteria nostra detegam, nescio qua virorum gratia; itaque volo, uti ne ignoretis rideri vos, et inani honorum specie deludi a nobis, ac quo estis honorum cupidiores, hoc nobis majori esse et ludibrio et fabulæ; largimur vobis ampliter ineptias illas, quas vos honores vocatis, sed non mercede nulla, nam vos vicissim nobis de stultitia affectuum, et judiciorum vestrorum, non parvas nobis præbetis voluptates; nescitis profecto ubi solidus honor est situs, mereri honorem de-

Honor an
debeatur fe-
minis.

cet, non expetere, et sequi is debet, non captari; argumentum vobis erit, honorem vos mereri, cum contemni non ægre patiemini; et est hic natura atque ingenio sic perverso, ut (quod de crocodilo Physici scribunt) fugientes persequatur, persequentes fugiat, asper blandientibus, blandiens asperis: *Nulla expeditior ad gloriam via*, inquit Socrates, *quàm per virtutem, quæ sola gloriam nec querit, et invenit*: Catonem Uticensem Sallustius scribit maluisse bonum esse, quàm videri, ideo quò minus gloriam quærebat, eo magis assequabatur: ergo certissima ad verissimos honores via est virtus, quæ ut inhonorata esse nequit, ita nec contemni se indignatur: nam ut planè quid sit honor intelligatis, est is veneratio, quasi que testimonium excellentis virtutis; virtus autem se ipsa contenta est, honorem non requirit, et eo minus, quo est excellentior, nos tribuimus, quum recto et debito volumus officio defungi: vulgo illud fertur: honorem deberi feminis: quod feminæ, non iniquæ adversum se se iudices, facile agnoscunt, libenter amplectuntur; imperitè hoc atque inscitè, ut alia populus permulta; nam si constat præstantiorem in omni virtutum genere esse virilem sexum, huic debetur honos a femineo, non vicè versa,

Deus quoque, auctor omnium, et institutor, cum virum feminæ præfecit, honestiorem declarat virum, et huic esse honorem deferendum; nisi forte ita sumus absurdè perversi, ut Reges ac Principes debere subditis suis honorem existimemus, et non contrà, potius subditum principi: non esset profectò, si Rex agricolæ aut famulo caput nudaret, et loco cederet, non inquam esset honos, sed ineptia, vel fatuitas, aut res ludicra; ita, non est honos, qui a viro feminæ exhibetur, sed lusus quidam, et res deridicula: quanto esset verior sententia, non sic honorandæ feminæ: sed hunc in modum elata: cedendum imbecillitati muliebri, ferendæ aut tolerandæ feminæ, tamquam sexus infirmior a robustiore, ut cæcus a vidente, æger a valido! Assentationes, adulationes, blanditias, quæ putat honores esse, vel laudes, digna est cui honores laudesque non aliæ contingant; et tamen sunt aliquæ tam dementes, quæ cum adulari se sciant, laudari tamen credant: quid ignoratis, miseræ, quantum

tum laudibus assentatio distet? an vos esse laudes putatis eas, quas nec ille ex animi sui sententia profert, et vos scitis tum falsas esse, tum illum ex animo non loqui, sed vel ridendi vel fallendi gratia simulare? Nemini de vestris bonis plus credideritis, quàm vobismetipsis; quæ se exploravit femina, planè perspicit nihil in se habere quod laudem mereatur, præter animum qui se laude omni indignum censet; si quid boni adest, Dei munus est, illi acceptum referatur, illi laus, illi gratiarum actio; sin quid mali, nostri sceleris est; ut probrum et reprehensio jure ad nos pertineat, laus ad alium: et quamvis honorem contemnendum suadeam, nolim tamen pro nihilo haberi dedecus pudicitæ; proximus est ad impudicitiam gradus; *quæ potest non timere suspicionem adulterii, potest non timere adulterium*, inquit Porcius Latro; quum vero hæc sit in humanis honoribus, in decore, in laudationibus vilitas, abjectæ mentis est, ita se demittere, ut humana cuiquam invidet; quòd si honores laudesque invidere turpe est, multo magis pecuniam, aut vestes, aut possessiones, præstat enim decus hisce omnibus; nec formam invideri convenit, nec valetudinem, nec fœcunditatem; munera hæc Dei sunt, ut alia omnia quæ contingunt mortalibus (sicut nos dicimus) bona; ut appareat, jam non ei qui illa recepit invidere nos, sed distributorem beneficiorum suorum Deum culpate ac reprehendere: taceo quod hæc non magis habenti invidenda sunt, quam magna impedimenta longum et difficile iter ingressis; quid enim aliud hæc sunt fortunæ bona, quàm molestæ sarcinæ in vita? et, quod pessimum omnium est, quæ animum ad cœlestia tendentem nutu et pondere suo ad terram detrudant? Si absit livor, facile et illud vitium devitabit quod ex livore nasci fere solet, ut litigent, jurgentur, conviciantur, alienæ domi curiosæ sint, inspectentque ac scrutentur quid agant, quid dicant, quomodo et unde vivant; hæc nunquam honesta mulier faciet, sed impudens, et digna proscindi satyra, nisi illud forte cures, ut indigenti subvenias; tibi enim derelictus est pauper, orphano tu eris adiutrix: felix, si hæc est mens; de qua in Psalmo dicitur: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum*

Dedecus.

Invidentia.

Dominus: Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus: Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus, universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

QUOMODO AGENDUM DOMI.

CAP. X.

DUobus illis, pudicitiae, et amoris conjugis summo, si peritia regendae domus accedat, jucundiora fiunt et feliciora connubia; sine hoc tertio res familiaris; sine illis prioribus matrimonium non constat, sed saeva et perpetua est crux: Paulus prudentiae et castitati mulierum curam rei familiaris adjungit, de quo loco Divus Joannes Chrysostomus sic inquit: *Animadvertite, obsecro, indicibilem Pauli diligentiam; is qui intactum nihil relinquit, quo nos a tempestatibus mundanorum negotiorum abducat, domesticae rei magnam praesertim curam; videlicet, ea rite constituta, magnus patet locus in quo caelestis gratia conquiescat; alioqui pariter concidunt universa: mulier, quae domum studiosè curat, ut eodem studio pudicitiam conservet necesse est, nam huic curae et administrationi deserviens, non facile deliciis, conviviiis, et intempestivis aut vanis lusionibus occupabitur: tantum Joannes Constantinopolitanus: Lacæna in bello capta, rogata a victore quid sciret facere, domum (inquit) regere: viros, Aristoteles ait, in re domestica questores debere esse, feminas custodes quaesitorum: quas in hoc videtur finxisse natura meticulosas, ne parva profunderent, addita semper cura et anxietate, ne desit; quòd si mulier larga sit, nunquam vir tantum poterit cogere, quantum hæc brevi dissipabit; ita res tota familiaris dilapsa ilico, consistere non posset: non decet ergo honestam matremfamilias profusam esse: nec pudicitiae multum parcunt, quæ pecuniae non parcunt, ut de Sempromia Sallustius refert, cui cariora semper omnia, quam decus aut pecunia fuere, pecuniae an fame minus parceret, haud facile discerneres: non quòd placeat, eam injustè parva velle mordicus retinere, aut vetare ne vir in sanctos usus pecuniam distribuat,*

Feminarum
parsimonia.

et

et qui numus semel ejus arcam ingressus est, tamquam in labyrintho, aut turri Danaes, exitum non inveniat, quod aliqua faciunt, ignaræ quatenus servandum, et continendum sit; idcirco Essæi, mulieres secum in illam sacratiorem vitam non inferebant, quòd negarent idoneas esse communitati rerum, nam quòd semel apud se vidit femina, pati non potest gratis aliò transire! itaque parsimoniae ac frugalitati familiam assuefaciet, nam hæc feminarum potius partes sunt, quàm virorum, sed ita, ut sciat aliud esse parsimoniam ac avaritiam, multum inter frugalitatem et sordes interesse, non idem esse sobriè vivere et esurire: dabit operam ne quid omnino desit familiae in cibario, et vestiario; qua de re audienda est Aristotelis sententia: *Tria (inquit) cum sint, opus, cibus, et castigatio, cibus sine castigatione et opere petulantem reddit, opus vero et castigatio sine cibo violenta res est, et infirmum facit servum, restat igitur ut opus faciendum materfamilias ministris dispenset, et cibum sufficientem, quæ est servi merces.*

Res familiaris.

Administret omnia ex voluntate et jussu mariti, aut eo certe modo, quem sciat illum neutiquam improbaturum; non aspera in familiam, nec dura, sed mitis, et benevola, ut matrem magis experiantur quàm dominam, sicut Hieronymus inquit; a quibus mansuetudine potius, quàm severitate, exigat reverentiam, ad quam brevissima est per virtutem via; nihil addunt auctoritati, et venerationi, rixæ, jurgia, convicia, clamores, plagæ, detrahunt citius; consilio autem, ratione, gravitate morum, verborum, sententiarum, quidvis perficias celerius ac commodius, quàm impetu et violentia; magis veremur prudentes, quàm iracundos; plus cogit quietum imperium, quàm vehemens; imperiosior concitatione quies: quòd quum dico, non inertes esse matronas, aut segnes, sed reverendas moneo, ne sic quiescant, ut dormiant; ne sic præcipiant, ut contemnantur; vigilant, intentæ sint, severæ sine sævitia, acres sine amaritudine, diligentes sine violentia; neminem oderint ex familia, præsertim si non malus est; quòd si diu domestico ejus ministerio usi simus, non alio habeatur loco quàm fratris, aut filii: feles et canes, aliquamdiu domi alitos, diligimus, quanto

is

De famula-
bus.

is affectus verius erga hominem præstandus est! in ancillis, et asseclis, et pedisequis, et iis denique omnibus, quæ vel necessitate coactæ, vel mercede adductæ inserviunt, magna et imprudentiæ et improbitatis flagitia ex inscientia nascuntur, non aliter atque in turba universa operariorum atque imperitorum hominum; itaque docendæ et admonendæ sunt, ut meminerint præcepti non cujuslibet de vulgo hominis, sed Pauli, ut naviter, et mansuetè, et benignè, atque etiam hilariter, obeant munus suum, non obloquentes, non responsantes, non obmurmurantes, sed ne tristes quidem, vel asperæ, ne gratiam laboris et apud homines, et apud Deum amittant; tum puras contineant manus a furtis et rapacitate, in quo gratiores gerunt animos bestiæ omnes, quàm multi hominum; quæ enim fera adeo est immanis, ut alimentorum atque educationis beneficium sic remuneretur, ut de commodis illius detrahat, a quo tot commoda percepit? Quanquam non solet id fieri nisi ab animis dejectis, et plane dignis servitute, quibus quæ præditæ sunt, gulâ sunt voraces, ac lurcatrices, rapaces manibus, et conquerruntur non esse sibi aperta omnia; garrulitate futili ac periculosa, et indignantur arceri ab arcanis; importunè petaces: nec expleri possunt; absque respectu ullo, non ex quanto cumulo accipiant, sed quid suæ cupiditati satisficiat; malam impudentemque sub parentum vilitate ac sordibus educationem, in familias honestas transferunt, et criminantur deinde dominas impatientiæ; intentæ suis utilitatibus dominas oderunt, et amorem ab eis exigunt; quin, injuria se se affici credunt, si non accipiant quod nec meruerunt; inter hæc vitia, cum hæc omnia ex sententia non cedunt, virulentè domum illam obtrectant, ubi integrè et sanctè habitæ sunt, nec licentia est flagitiis præbita.

Ergo sciant quæ sic se gerunt, et se esse homines, ac sacra illa intinctas aqua, sistendasque aliquando ante tribunal Christi, qui non secus rationem ministerii ac officii sui ab illis reposcet, quàm regiminis a magnis Principibus; animus enim et mens a Christo spectatur in quocunque homine, non magnitudo, aut qualitas conditionis vel fortunæ, quippe faciem ho-

mi-

minum Deus non respicit, qui iudicibus suis præcipit ut personam pauperis in iudicio ne accipiant, nec ideo secundum illum pronuncient, quod sit pauper; et sicut gratus est Deo pauper mitis, justus, Christo similis, ita exosus, atque abominabilis, qui vitia paupertati adjunxit.

Quocirca concupiscentias suas cohibeant, et aliena non minore cura ac fide tractent, quàm propria, persuasæ aliena non esse, ex quibus ipsæ sustentantur: dominos et dominas non secus diligant et colant, ac patres matresque, quippe altor, educatorque non alio est quàm patris loco; id nomen ipsum ostendit, quò heri et heræ, patres et matresfamiliâs nuncupantur, tum Romano more libertini patronorum nomina usurpabant, tamquam parentum. Quæ domi audierint, ac viderint, arcana esse putent omnia, nec posse sine ingenti scelere enunciari, non solum interea dum in illis ædibus degunt, sed nec postquam migrarint; quorsum enim, et parietes, et fores pertinent, si istæ omnia patefaciant? an non præstaret viperam domi alere, quàm ejusmodi futiles, ex quarum loquacitate, et sæpenumero vel sinistris interpretationibus, natis ex hebetudine, vel mendaciis, ex odio, atque ira, magnæ calamitates conflantur innoxiiis et honestis hominibus? quomodo illæ, aut quando, tantam jacturam sarcient, et tantum delictum luent? M. Livio Druso architectus quidam ædes se ædificaturum recipiebat, in quas ex nulla domo alia esset prospectus; *At potius* (inquit ille) *ædifica mihi domum, si potes, in qua quicquid agam, universus populus Romanus possit aspicere*: fidenter quidem Drusus: et sane sic est: bonis omnibus ita vivendum in privato, quemadmodum vivere vellent in publico: et sic intra domesticos parietes agendum, ut si subito nos alieni conspiciant, nulla sit erubescendi causa: verum enim vero ea est, per totum humanum genus, et corporum et animorum imbecillitas, ut multa ex usu sit celaris; multa tolerantur domi, quæ, foras elata, inepta et ridicula judicentur; præsertim quòd unusquisque nostrum, quam veniam sibi poscit, non vult alii tribuere: tanta est in nobis iniquitas: et quæ ipse serio facit quotidie, in alio si semel deprehenderit, deridet, atque etiam calumniatur.

Ex

Ex hisce delationibus, quæ simultates atque inimicitia in civitate tota oriantur, nemo non sæpe experitur, dum omnes et aliena curiosè scrutari avemus, et nostra vel sciri, vel malignè vel sinistrè judicari, ægerrimè ferimus; turbatur per hæc civium tranquillitas; procedit malevolentia in rabiem, unde rixæ et pugna, et inter potentes factiones, inter minores vero delaturæ et calumniæ de capite, de fortunis, de existimatione: verbum erat vetus: *Nocens metuit pœnam, innocens casum*: non placet hoc; illud verius: *Nocens metuit pœnam, innocens calumniam*; et tantorum malorum causa est famularum garrulitas, quæ irata effundit, non quantum viderit, sed quantum suppeditat animus cupidine ultionis ardens; heræ, si pactæ mercedi assem detrahant, iniquissimæ erunt, nec ulla eis esse potest venia apud Deum; quanta quiritatio? qui clamores? quæ execrationes? nam istis pro ludo est, sic miscere ac turbare res quietas, et familias bene constitutas vel evertere, vel affligere; quòd sic vivant, in culpa est tarditas atque imperitia, quæ nulli unquam bono esse potuit; nunquam illis venit in mentem, spectari actiones omnes nostras, tum verba, et cogitatus, a iudice illo æterno, qui retribuit unicuique secundum opera ipsius. Matres-familiæ, quod celari expediat, ne committant quibusvis famulabus, sed fidei spectatæ; ipsæ vicissim famulæ taciturnitate ac fide eas se præsent, quibus non aliter possint quævis concredi quàm ipsis filiabus; nihil dicant, neu agant, quod a domina aut liberis accipi queat in exemplum, aut incitamentum peccandi; gravius plerunque delinquitur exemplo, quàm facto; si ita vixerint, conditionem non commodiorem solum sibi reddent, sed honestiorem quoque, gratam Deo, gratam hominibus, et ad meliorem fortunam certissimum gradum, alioqui in miseria illa servitutis consumentur, invisæ omnibus et despectæ: hæc potissimum sciant et teneant famulæ: tum legant interdum aliquid quod mentem et mores possit excolere; quòd si legere non norunt, auscultent legentes attentè; intersint concionibus cum vacabit, occupatis vero, dum interquiescunt, heræ aut filiæ, quæ vel audierint, vel legerint, referant, unde prudentiores ac meliores evadant: de famulabus satis dictum: redeamus ad matronas.

Fi-

Fidelius et gratius obsequium est quod ab amore impetratur, quàm quòd a metu exprimitur; metum abesse placet, reverentiam non placet: ne sis famulis viris nimium blanda, nec comis, nec facilis, nec festiva, nec multum cum eis versare; nec tecum vel colludere quisquam eorum audeat, vel joculari: sis eis sane cara, sed non tam cara, quàm verenda; non vis timeri ut domina, at venerationem exige ut mater; famulare genus, licentiæ avidum est, quam ipsi sibi ostensam arripiunt, et augent: non perinde exactè viro præceperim caveat ne sibi familiam fecerit minus familiarem, quàm mulieri, cui nolim multum esse cum famulis commercii; nec cum eis pleraque transigat; ne arguat ipsa; ne castiget viros; marito id muneris relinquat: sit tota cum famulabus suis, et pedisequis, quarum sint mores integri, et pudicitia explorata; ipsa plurimum simul exemplo adjuvabit, simul monitis, præceptis, adhortationibus, tum diligenti cura, ne quid eam lateat quomodo famulæ vivant, et vitiis remedia opponat, ac velut morbis antidota.

Si qua parum sincerè habere integritatem deprehensa est, aut credita, nec objurgationibus et castigatione proficitur, pellatur domo; facile proxima quæque venenum corrumpit, et credit suspicax vulgus famulas dominarum esse similes: quàm illud est apud Hieronymum frequens: *Dominas ex ancillis estimari!* nec mirum, cum Græco proverbio, *Etiam catellæ dominarum mores dicantur referre*: et illi apud Terentium adolescentes, *de sordibus et negligentia cultus ancillæ, pudicitiam colligunt dominæ*: Homerus sapientem Ulysem, scribit, cum domum redisset, eas occidisse ancillas, quæ cum procis concubuerant, quòd hæ non solum probrum domo, sed periculum quoque pudicitia Penelope attulissent: Rex David post Absalonem filium suum devictum, eas concubinas suas, quas Absalon, ex consilio Achitophelis, incestu polluerat, in perpetuam custodiam a se seposuit, unde nunquam postea eductæ sunt: ipsa matrona iis artibus se exercebit, quas altero libro exposuimus, et in officio continebit famulas, ut casta Lucretia, quam lucubrantem cum ancillis, et pensa partientem, regii juvenes deprehenderunt; quod eo diligentius exequetur, et accuratius, si qua familia pars la-

Diligentia
matronæ.

Tom. IV.

li

bot

bore hoc alenda est: Salomon, in laudibus sanctæ feminæ, *Quæsiisse illam*, ait, *lanam et linum, et operatam consilio ac diligentia manuum suarum*: Theano Metapontina, rogata quæ esset optima matrona, versu Homeri respondit:

Telam quæ tractat, lectum curatque mariti:

Ex ea industria (pergit dicere Sapiens Rex) *Facta est quasi navis institoris, de longe portans panem suum: ac ne somno indulgere nimium ostendat, addit: De nocte surrexit, deditque domesticis suis cibum demensum*: hinc recipiens se cum famulabus, quid cuique faciendum esset præcepit: sedulæ mulieris est, cibum quidem toti familiæ parare, operam vero solis feminis indicare: vitis indicat, ut videbitur, maritus. De lucubratione mulieris versus sunt apud Vergilium, sane quàm lepidi, atque elegantes: (1)

*Inde, ubi prima quies, medio jam noctis abactæ
Curriculo, expulerat somnum: cum femina, primum
Cui tolerare colo vitam, tenuique Minervâ,
Impositum cinerem, et sopitos suscitât ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso, castum ut servare cubile
Conjugis, et possit parvos educere natos.*

Postea vero quàm est familiæ satisfactum, ex iis quæ supersunt largitur ad eleemosynam: *Manum* (inquit) *suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.*

Non debet sancta mulier sic divitiis congerendis incumbere, quin pauperibus distribuat, et inopibus subveniat; nec tenuiter, sed plena manu; cogitans, ad fœnus se illa dare in hoc seculo, et in altero multo plura et potiora recepturam: addit vero: *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis*: nec timebit etiam si pauperibus non solum expressum numum inter digitos porrexerit, sed si manum aperuerit, et palmam extenderit, quasi copiosè elargita, nec timebit, quoniam diligentia sua, et la-

(1) *Æneid. lib. 8. v. 407.*

nificio, nihil domi suæ in necessitatibus deest: *Et omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*: nihil enim est in re familiari conducibilius, quàm bene pasci, et bene vestiri, non ad voluptatem, sed ad necessitatem, non delicatè, sed utiliter: male tamen continetur virtus, quæ adversis ex propinquo exemplis sollicitatur; ideo matrona ipsa, primum omnium, victu suo parsimoniam doceat, sic facillimè curam illius ministris ingeret, alioqui iniquum existimabunt famuli ac famulæ id te exigere, quod ipsa non præstes, semperque ad custodiam tuorum præceptorum invitos atque obmurmurantes pertrahes: tu ipsa igitur semper sicca esto, semper sobria, nec causa tantum famulitii tui, quantum tui ipsius; quàm fœda res est ebrietas, et ingluvies, maximæ oppugnatrices et pudoris et pudicitiae, hostes nominis honesti! Nemo ebriosam et voracem feminam non ceu infaustam et inauspicatam avem abominatur; omnes inter immodicos cibos periclitari pudicitiam sciunt, quum nullum est capitis et lateris discrimen: subdit his Salomon: nec relinquit domi suæ aliquid sibi incognitum, quin subinde inspiciat, omniaque cognita sibi et prompta faciat, ne cum usus poscat, aut ignoretur quicquam, aut nimis sit quærendum; tum quis status, quæ conditio rei familiaris, quantum expendi, quantum retineri, quomodo pasci, quomodo vestiri conveniat: ait enim: *Consideravit semitas domus suæ*: ipsa videlicet, in angulo quopiam domus nens, aut suens, aut texens, aliquid denique similis operis obiens, in quo liberior est cogitatio, mittet animum suum per cubicula, per arcas, per vestiaria, per quicquid est domi, ut consideret quid desit, quid superfluat, quid emendum, vendendum, sarciendum; multum hæc diligentia rem familiarem tuetur, ac sustentat: aderit puellis operi intentis, sive dum coquunt, sive dum nent, sive dum texunt, sive dum suunt, sive dum suppellectilem verrunt; exactius hæc omnia fiunt præsentem domina, et frugalius: *Frons occipitio prior est*, ait Cato: quodque illi prudenter dixerunt, *Nihil magis, vel equum saginare, vel arvum uberare, quàm domini oculum*, ad matrem familiam remque domesticam transferri potest, nihil esse quod aut conservet diutius rem domesticam, aut integrius, mun-



dius, elegantius, quàm gnavæ et diligentis matronæ oculum: hæc agens, et labori perpetuo incumbens, *panem otiosa non comedit*, et paret Deo, qui non vult nos sine sudore faciei nostræ vesci pane nostro; exemplum etiam præceptum Pauli sequitur, qui inter eos quibus mysterium domini annuntiabat, tamen otiosus non edebat panem, sed in labore ac fatigatione dies et noctes, quantum ei a divino ministerio vacabat, manus occupabat opificio suo, ne quem gravaret, illud crebro admonens, dignum non esse ut edat, qui recusat laborem.

Domus clausa.

Neminem patietur mulier domum ingredi sine mariti jussu, ut ab Aristotele præceptum est; multo enim clausior erit domus, cum vir peregrè aliquo erit profectus, quo tempore, quemadmodum Plautus inquit, bonas mulieres æquum est facere, ut absentes viros perinde habeant quasi præsentis: sed quatenus totius domus cura illa interior mulieri incumbit, tenebit remedia vulgaribus et pæne quotidianis morbis, eaque in cellula habebit parata, quibus marito, parvis liberis, et familiæ, cum res feret, subveniat, ne accessere subinde medicum necesse habeat, et omnia ex pharmacopolio emere; neque vero mulierem velim arti se medicæ dedere, aut sibi nimis hac in re fidere, frequentibus et pæne quotidianis morbis, suadeo medelas ut norit, veluti tussi, distillationibus scabiei, torminibus, solutæ alvo, vel constrictæ, lumbricis, dolori capitis aut oculorum, febriculæ, luxationi, levi scissuræ, et similibus quæ singulis propè diebus levissimis de causis contingunt: adde his victus quotidiani rationem, maximum ad integram valetudinem momentum, *quæ sumenda, quæ vitanda, quando, quatenus*; atque eam quidem peritiam discet potius ex usu aliarum prudentium matronarum, aut ex consiliis cujusquam propinqui medici, ex libello aliquo facili ea de re conscripto, quàm ex magnis et accuratis medicorum voluminibus.

Secreta præcatio matronæ.

Sancta materfamiliâs, explicita jam domesticis et familiaribus curis, eligat sibi quotidie, si potest, sin minus, festis diebus secretum domi locum, a frequentia et strepitu sepositum; ibi remotis paulisper sollicitudinibus domus, et composito animo, reputet ad contemptum res istas mundanas; et quòd leves

at-

atque instabiles sunt; et quod fragiles ac citò perituræ; et quod brevitatis vitæ nostræ it tanta celeritate, ut non agi, sed rapi, non abire videatur, sed fugere: hinc sustollat se lectione aliqua divina in cogitationem contemplationemque rerum cœlestium: tum confessa Deo peccata sua, veniam ab illo et pacem supplicet, oretque pro se primum, hinc Deo jam facta gratior, pro marito, tum pro liberis, deinde reliqua familia, ut Dominus Jesus meliorem omnibus mentem inspiret: Paulus divinorum mandatorum nuncius, nascentem Corinthi ecclesiam Dei docens, sic inquit: *Si quis frater uxorem habet infidelem, et hæc consentit habitare cum illo, ne dimittat illam; et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, ne abeat a viro; sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem filelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*; unde enim scis, mulier, si virum salvum facies? Quod partim ad preces attinet (*Multum enim valet justis oratio assidua*, ut inquit Jacobus) partim ad exemplum vitæ, quod Petrus Apostolus explicat dicens: *Similiter et mulieres subditæ sint viris suis, ut et si qui non credunt verbo, per mulierem conversationem sine verbo lucrifiant, considerantes in timore sancto conversationem vestram*: multas legimus feminas christianas, quarum opera ad sanctam pietatem mariti sunt adducti, ut a Domitia Flavius Clemens e Domitiani Cæsaris propinquis, a Clotilde Clodoveus Franciæ Rex, a Ingulde Hermogillus Gothorum Rex, ab aliis alii quàm plurimi.

DE LIBERIS, ET QUAE CIRCA ILLOS CURA.

CAP. XI.

P Rincipio, si non paris, id non solum moderato perferi animo, et æquo, sed aliquatenus etiam gaude, quod incredibilis molestiæ ac tædii facta sis expertis; non est hic explicandi locus, quæ miseriæ subeundæ sint prægnanti dum gestat uterum, qui dolores, quantum periculum cum enitur, jam, nutriendi et educandi; quæ fastidia, quanta sollicitudo ne improbi et flagitiosi evadant liberi, ne quid eis adversi accidat! quàm æternus

nus

nus metus, quò eunt, quid agunt, malum ne faciant, neu accipiant! Equidem rationem expedire nequeo istius cupiditatis filiorum: ¿vis mater fieri? ¿quorsum? ¿an ut mundum augeas? quasi vero infrequens futurus sit, nisi ipsa unum atque alterum animalculum pepereris, et addideris messibus Siculis et Ægyptiis unam spiculam, ad summum duas, et ceu Deus nesciat, si velit, ex lapidibus istis filios excitare Abrahæ; ne sis in Dei domo sollicita unde replebitur; ipse suæ domui prospiciet: at sterilitatis probrum exhorres; illud vero cum lege Moysaica evanuit jam, ad fulgorem gratiæ Christi; nunc in lege vivis, in qua etiam virginitatem connubio præferri merito vides: ¿quid, quod per Isaiam Dominus pollicetur sterilibus sanctis multo amplio-rem atque honestiorem locum in sua civitate, quàm si numerosam reliquissent sobolem? itaque vituperanda est illa in Flandria, quæ cum nupta propè ad quinquagesimum annum sine foetu vixisset, defuncto viro, nupsit alteri, id solum prætendens, ut experiretur, in utro, quod liberos non haberent, fuisset culpa in se, an in viro; digna profecto cupiditas muliere vetula, sed delira; quanquam nescio, an alia erat secundarum nuptiarum causa; ipsa illam obtendebat, quæ ad stultam multitudinem honestior videbatur: nec illi lætum admodum fuit connubium, nam filium peperit qualem nulla habere vellet: at, videre cupis liberos ex te natos; ¿num alii erunt quàm ceteri? habes pueros civitatis, immo baptizatos omnes, quos materno affectu complectaris, et credas ex te genitos; hoc humanitas suadet, religio præcipit; quid, quòd maritus tibi, si sit probus, instar est multorum filiorum, ut Helcana dixit Annæ suæ; ¿de filiis es sollicita, et in marito non acquiescis, qui unus plus te amat, quàm decem filii amarent abs te geniti? profecto, feminæ, non modo gravidæ, sed vacuæ quoque, immoderatis illis et absurdis appetitibus infestamini, quæ piccationes dicuntur; ¿*Quæ liberorum, miseræ, tam dira libido?* ut inquit ille; si sollicitudines et ærumnæ, quas matribus filii pariunt, in tabella vobis depingerentur, nulla esset sic avida filiorum mulier, quæ non mortis instar filios expavesceret; et quæ haberet, etiam suos plus odisset quàm immanes feras, aut serpentes venenosos.

¿Quod

¿Quod gaudium, quid lætabile est filiis? Quum sunt pueri, merum otium; in grandiusculis, sempiternus metus, quò inclinabunt; si mali, æternis mœror; si boni, perpetua sollicitudo ne moriantur, ne quid eis accidat, ne abeant, ne mutantur: ¿quid opus est Octaviam Augusti sororem huc adducam? utinam non essent adeo crebra exempla illarum, quæ ex lætissimis matribus, subito afflictæ, in perpetuo luctu contabuerunt, et extinctæ sunt: quid, quod si multos habeas, major anxietas, et unius vitia, gaudium quod de reliquis suspiciebas, non diluunt modo, sed delent: et dixi de maribus. In feminis custodiendis, ¿quæ carnificina anxietatis? in collocandis, ¿quæ moles curarum? his accedit, quòd parentes raro vident filios bonos, vera enim bonitas, sapientiã comitata, non nisi in graviore jam et prope exacta ætate contingit; *Quum incipimus sapere, tum morimur*, dixit quidam; et Plato *Beatum illum esse*, ait, *cui, vel in senectute, datur recte et sapere, et vitam instituere*; at ea filiorum ætate jam parentes in pulverem abiierunt: ¿quid, quod paucissimi omnino filii gratiam parentibus vel referunt, vel habent, pro tot ærumnis? immo negligunt eos, a quibus tanta sunt cura enutriti; oderunt eos, a quibus sunt tenerius dilecti quàm ipsi a se se; habiti sunt a parentibus blande atque indulgenter, ipsi eos graviter et aspere accipiunt; *O ingrata mulier, quæ non agnoscis quantum a Deo acceperis beneficium, quod vel non pepereris, vel filios ante mœrorem amiseris!* ut scitissimè Euripides dixerit: *Carentem liberis, infortunio felicem esse*: sed hæc potuissent a nobis plurimis verbis extendi, nisi quòd hoc utique loco minimè essent necessaria: quæ ergo non paris, vide ne in maritum rejicias sterilitatis tuæ culpam; in te forsitan est vitium, quæ es vel natura, vel Dei voluntate sterilitatis damnata: inter maximos Philosophos constare video, feminas foetus non gignere suo sæpius quàm virorum vitio; paucos viros steriles genuit natura, feminas plurimas, sapientissimo consilio, quò in virili infœcunditate majus est damnum, quàm in femineâ, plus enim ex viro proventus est in generando, quàm ex femina: quòd si in te infœcunditas est, mulier, frustra insanis; quantumcunque scelerum animo concipias, nunquam

quam

quam fœtum concipies utero: quid, quòd Dei privatis consiliis, æquissimis illis quidem, sed nobis ignoratis, plerunque nulla ex conjugio provenit soboles? nam Dei munus est, ut bonos liberos, ita liberos omnino provenire, idcirco ad alia remedia accedere quàm ad Deum, supervacaneum est; a Deo petenda est proles, et bona proles, nam si proles contingat mala, præstaret viperam peperisse, vel lupum.

Sic ergo roga filium, ut Anna Helcanæ uxor, quæ præcibus, et lacrimis, et sanctitate vitæ impetravit non filium modo, sed prophetam et judicem in Israël; sic ut altera Anna Joachim, quæ tota Deo confisa, Mariam orbis Reginam saluti hominum edidit; sic ut Elizabeta Zachariæ, quæ etiam sterilis Joannem illum Domini nuncium genuit, qui multos filios genuit Christo, quo major nullus ex muliere natus est: Dominus, Saræ, sterilitatem suam non inique ferenti eo tempore quo sterilitas magno probro habebatur, filium in senectute dedit Isaac, imaginem Christi Domini; et hic ipse Isaac pro Rebecca conjugæ sua sterili Dominum oravit, a quo impetravit geminos duorum ingentium populorum auctores; uxori Manue sterili, modestæ ac pudicæ feminæ, Angelus Domini Samsonem ex ea nasciturum nunciavit, judicem et liberatorem Israël: tales accipiunt quæ sic petunt: verba Angeli ad Samsonis matrem sunt hæc: *Sterilis es, et absque liberis, sed concipies, et paries filium; cave ergo ne bibas vinum, ac siceram, nec immundum quicquam comedas, quia concipies et paries filium cujus non tanget caput novacula, erit enim Nazareus Dei ab infantia sua, et ex matris utero, et ipse incipiet liberare Israël de manu Philistinorum*: hæc admonent me, ut ipse prægnantes admoneam, interea dum uterum gestant, ne indulgeant crapulæ, ne inebrientur; multi, quæ a matribus acta sunt dum gestabantur, vitæ totius moribus retulere: et quatenus imaginationis vires magnæ ac validæ sunt in humano corpore, matres dum uterum gestant, dent operam ne quam admittant vehementem cogitationem deformis rei, turpis, obscœnæ; pericula item devitent, in quibus fœda aliqua visu species possit occurrere; quod si eas occasiones adeant, præcogitent quicquid possit oculis offerri, ne ex inopi-

inopinata novitate noceat si quid subito aspexerint, unde contrahat noxam fœtus.

Jam susceptis liberis, quæ adhibenda in his educandis cura, majus esset disserere quàm ut capi proposito posset opere, si fusius essent singula expromenda; qua de re a veteribus et a recentioribus conscripta sunt plurima, etiam dicatis in id ipsum libris: ego vero pauca attingam, quæ muneris videantur esse prudentis matronæ. Ante omnia, mater thesauros suos universos in liberis sitos esse ducet: opulenta quædam Campana cùm Romam venisset, exceptaque esset hospitio a Cornelia Gracchi, mundum omnem suum muliebrem Corneliæ explicuit, qui erat sane dives metallis, vestibus, gemmis; eum ubi laudasset Cornelia, rogavit Campana ut et vicissim illa cimeliarium suum aperire haudquaquam gravaretur; abierant Gracchuli ad ludum litterarium; respondit, se sub vesperum facturam: pueris reversis, *Hi mihi unici thesauri*, inquit; cùm Jonica Lacœnæ de textura gloriaretur, operosa, et sumtuosa; hæc respondit, *Atqui mihi quatuor filii omni virtute præditi, textura, et pretium, et opes sunt*: quocirca in hoc thesauro conservando atque excolendo nullus recusandus est labor; omnia facilia reddet caritas, et levia; nutriet, si poterit, suo lacte, et parebit naturæ voci, quæ tributis mammis et copioso puerperis lacte, clamare videtur, ac jubere, *Nutriat quæ peperit, ut cetera agunt animalia*; quin sapiens et benigna rerum omnium parens, quem sanguinem in corpusculum fœtus in utero vertebat, eum post partum ad pectus, tamquam copiosi cujusdam et salubris fontis craterem, transmittit in lac candefactum, ut sit unde partus sustentetur, nec deserit tenerum ex utero emissum, quin eodem pastu alat quo finxerat; haud parva sane mercede a natura ipsa nutrienti pro opera tributa, et tamquam relata gratia quòd fœtum ipsius nutriat, ut saniora sint corpora illarum quæ hoc faciunt, cùm eæ, quæ nutriendi laborem recusant, inter lacteum humorem exiccandum, multum adeant periculi. Accedit his, quod utilius est fœtui maternum lac, quàm nutricis; tum quia ex quibus constamus, ex eisdem congruentissimè alimur, nihilque est convenientius infanti quàm ea ipsa substantia, ex

De liberis educandis.

qua est fictus; tum quia nutrix non raro alumnum suum ad-movet pectori invita, et subirata, mater contrà, alacris sem-per ac læta, vel ipso pueri sui conspectu, si quid erat in ani-mo nubili, exhilarata, gaudens, ridensque eo magis, quo avi-dius illum haurire contemplatur; quòd si cœpit jam ridere, aut balbutire, incredibili alacritate ac lætitia perfunditur, unde quantum salubritatis lac trahat, credi non posset, hoc non in humano tantum genere, sed per animantes omnes generale est naturæ beneficium: de canibus (ut unum pro omnibus exem-plum ponam) sic scribit Columella: *Nec unquam eos, quorum ge-nerosam volumus indolem conservare, patiemur alienæ nutricis uberibus educari, quoniam semper et lac et spiritus maternus, longe magis in-genii atque incrementa corporis auget*: sunt tamen, quas justæ cau-sæ excusant; itaque nolumus videri sine exceptione præcepisse, et hac de re locutus sum volumine superiore.

Si litteras mater sciat, ipsa parvulos pueros eas doceat, ut eâdem utantur matre, nutrice, et magistra, magisque ament, et promptius discant, adjuvante amore in eam quæ docet; puel-las, præter litteras, artibus etiam instituet muliebribus, lanam et linum tractare, nere, texere, suere, rem domesticam colere, et administrare; non erit piæ matri molestum, vel litteris in-terdum dare operam, vel lectioni sapientum et sanctorum li-brorum, si non sua, certe liberorum gratia, ut erudiat, ut me-lio-res reddat: Eurydice jam natu grandior, litteris se et præ-ceptis morum tradidit, tantum ut hæc in filios transfunderet, quod et fecit: infans enim primam audit matrem, primam bal-butiem ad illius sermonem conatur effingere, ut illa ætas nihil aliud quàm imitatur, et in hoc solum dextera est, primos sen-sus, primamque mentis informationem, ex iis sumit quæ de matre vel audit, vel videt; itaque plus est in matre ad effin-gendos puerorum mores positum, quàm quis putet; illa vel op-timum facere potest, vel pessimum; ut optimum faciat, pau-cula præcepta in brevia conferemus: det operam, ne, saltem fi-liorum causa, rusticè loquatur, ne idem sermo in teneris pue-rorum animis infixus simul adolescat cum ætate, et ubi inva-luerit, dediscere vix possint; nullum sermonem melius aut te-

nacius discunt pueri, nullum expressius, quàm maternum; illum cum vitiis ipsis aut virtutibus, si quid horum habet, reddunt.

In Valentiam meam a Jacobo Aragoniæ Rege ex Agare-norum impuritate vindicatam, (quo nomine fausta est nobis semper illius viri memoria) in eam ergo, his pulsus, immigra-re jussi sunt frequentes viri Aragonii, et mulieres Illerdenses, a quibus incoletur; ex utrisque nati filii, sermonem matrum tenuerunt, eum quem jam per plures quàm ducentos et quin-quaginta annos loquimur: Tiberii et Caji Gracchi eloquentissi-mi sunt habiti, at horum linguam mater Cornelia formavit, cujus prisco seculo lectæ sunt epistolæ eloquentiæ plenissimæ: Istrina Scytharum Regina, Ariphtis uxor, ipsa Sylem filium Græcis litteris instituit: nutrices vetat Plato inanes aut aniles fabulas pueris suis narrare; idem præcipiendum matribus, hinc enim fit ut quidam ex prima illa educatione in grandio-rem ætatem vel teneros, vel fractos, et pueriles animos referant, ni-hil ut grave ac prudens audire et sustinere queant, sed tantum libros ineptissimarum fabularum sectentur, qui nec veri quicquam narrant, nec verisimile: habebunt igitur ad manum pa-rentes jucundas quasdam historiolas, et honestas fabulas, quæ ad commendationem virtutum, ad vitiorum odium tendant; il-las primum audiet puer, et cum nondum quid vitium sit, quid virtus, intelliget, has tamen amare incipiet, illa odisse; simul cum his affectionibus adolescet, ac se similem conabitur effin-gere eorum, quos mater recte fecisse confirmabit, dissimilem eorum, quos prave: addet mater laudes virtutum, detestatio-nes vitiorum, utrasque crebro repetat et inculcet rudibus ani-mis; habeat familiaria sancta quædam dicta, et vitæ formulas, quæ frequenter audita puerorum memoriæ, vel aliud agentium, inhærescant.

Pueriles nar-ratiunculæ.

Accurrunt ad matrem pueri, de omnibus eam consulunt, omnia ex ea percontantur, quæcunque responderit, credunt, mirantur, habent pro compertissimis; id matres, quanta occa-sio vel optimos reddendi filios, vel pessimos! hinc infundendæ sunt rectissimæ opiniones, et puræ christianæ; opes, potentiam, honorem, gloriam, nobilitatem, formam, res esse vanas, stultas,

Puerilis ins-titutio.

contemnendas; justitiam vero, pietatem, fortitudinem, continentiam, eruditionem, clementiam, misericordiam, caritatem generis humani, hæc demum pulchra, hæc admiranda, hæc secunda, hæc fidelia et solida esse bona, non magnificandum in quo illa superiora insint, sed in quo hæc altera: quicquid ab aliquo factum, narrabitur, sapienter, ingeniose, honeste, prosequatur laudibus; quicquid nequiter, vafre, subdolè, impudenter, improbè, nefariè, magna reprehensione: quum puerum complectetur, cum deosculabitur, ac volet bene precari, non hæc precetur: *Utinam tibi contingant majores opes quam Cræso, aut Crasso, aut Cosmo Medici, aut Fuggeris; majores honores quam Pompejo, aut Cesari; utinam felicior sis Augusto, et Alexandro:* sed sic: *Utinam tibi det Christus ut sis justus, ut continens, ut fortune contemptor, ut pius, ut sectator sui, imitator Pauli, integrior Catonibus, melior Socrate, aut Seneca, justior Aristide, doctior Platone, aut Aristotele, eloquentior Demosthene, vel M. Tullio.*

Hæc putabit maxima, hæc expetenda, hæc quæret, hæc concupiscet, quæ sibi velut optima precari audiet eos quibus est carissimus: nunquam, vel dictum a puero, vel factum nequiter, impudenter, improbe, procaciter, petulanter, excipiat mea matrona risu et oculis; ejusmodi assuescent pueri, quæ viderint probari et grata esse parentibus, hæc juvenes et viri non deponent assueta; castiget eum, et ostendat illa non agenda, nec sibi placere: contra, amplexibus et osculis prosequatur, si quam aliquando melioris indolis significationem ediderit: sunt in nobis igniculi quidam, seu semina virtutum a natura indita, ut Stoici Philosophi observarunt; nostri *Synteresin* Græco verbo nominant, quasi conservationem et scintillam justitiæ illius, qua primus auctor generis humani donatus erat a Deo; ille igniculus, adolescere modo liceret, ut illi sentiunt ad magnam nos virtutem perduceret, sed obruitur depravatis judiciis atque opinionibus, et dum lucere incipit, ac in flammam se attollere, non modo nullo adjutus alimento, sed adversis quoque flatibus et imbre oppressus, extinguatur; parentes, nutrices, nutricii, magistri eruditionis, consanguinei, necessarii, familiares, magnus erroris magister populus, hi omnes semina illa virtutum radicibus

conantur extirpare, et emicantem igniculum stultitia suarum opinionum tamquam ruina opprimere.

Universi divitiis plurimum deferunt, nobilitati assurgunt, honores adorant, potentiam quærunt, formam laudant, gloriam admirantur, voluptatem sequuntur, paupertatem conculcant, nullum rentur maledictum gravius, quam inopiam, simplicitatem animi derident, religionem habent suspectam, eruditionem invisam, probitatem omnem aut dementiam nominant, aut fraudem, illa optant cum bene precantur, hæc si quis nominet, velut infausta exhorrent, atque ominosa; ita fit, ut jaceant hæc atque spernantur, nemo se his dedat, illa in pretio, illa in honore sint, omnes ad ea currant; unde tanta improborum et stultorum copia, boni ac sapientes usque adeo rari, cum tamen natura illa melior hominum, propensior suapte sponte in virtutes sit, quam in vitia; sancta matrona his corruptis opinionibus, integrioribus aliis et christiana dignis occurret, in suoque puero bonorum præceptorum ac consiliorum instillatione igniculum illum, quem diximus, fovebit, semina irrigabit, ut in magnam lucem ille, hæc in frugem ingentem optimamque consurgat; nec franget nervos, et corporis, et ingenii, et virtutis, molli educatione, ac indulgentia, ne cibus obruat, ne somno nimio et deliciis dedere se pueros patiat; retardant hæc mentis celeritatem: et sunt quædam matres, quibus nunquam satis edunt, bibunt, dormiunt, vestiuntur, currantur filii; traducant diligentiam hanc ad mentis curam, quæ efficit ut et mens et corpus valida et robusta sint; raro memini vidisse me magnos et præstantes sive eruditione et ingenio, sive virtute viros, qui essent indulgenter a parentibus educati.

Quid, quod nec corpora robur justum accipiunt, debilitata deliciis? ita, dum servare filios credunt matres, perdunt, et dum laborant ut sanius ac integrius vivant, stultæ, valetudinem debilitant, et minuunt vitam; ament sane filios, ut amari par est, plurimum scilicet, quis enim naturæ legem vel abrogare conetur, vel improbare? et cujus immanitatis est, non amare quem pepereris? sed amorem celent, ne ex hoc licentiam arripiant pro libidine agendi; nec impediatur amor quo

minus et a pueris vitia per verbera, fletus, lacrimas arceamus, et corpus ac ingenium firmiora reddantur severitate victus atque educationis: de virga et castigatione apud Sapientem virum hæc sunt consilia, quibus parère unumquemque nostrum convenit: *Stultitia colligata est in corde pueri, et virga disciplina fugabit eam; noli subtrahere a puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur; tu virga percuties eum, et animam ejus de inferno liberabis; virga atque correctio tribuit sapientiam, puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam: videlicet, caro peccati proclivis in malum a sua origine, factum est nequissimum mancipium, quod nisi plagis emendari non potest; ideo dominus quem corripit et castigat, amare se profitetur: in quo decet cordatos parentes imitatores esse divinæ indulgentiæ, neque enim is amat filium, qui correctione et castigatione ejus abstinet: sicut idem Sapiens inquit: *Qui parcit virgæ, odit filium suum, qui autem diligit illum, instanter erudit.**

Matres, hoc velim ne ignoretis, maximam partem malorum hominum vobis esse acceptam referendam, ut intelligatis qualem vobis debeant filii gratiam; vos stultitia vestra pravas opiniones ingeritis, vos alitis, vos peccatis, flagitiis, sceleribus eorum etiam arridetis; vos, vadentes ad summas virtutes, abhorrentes ab opibus mundi, et diaboli pompa, lacrimis vestris et acerbis reprehensionibus ad diaboli laqueos revocatis, quoniam mavultis eos videre divites et honoratos, quàm bonos: Agrippina, Neronis Cæsaris mater, cum super filio consulisset divinaculos; *Imperabit*, responderunt illi, *Sed matrem occidet: Occidat* (inquit) *dum imperet*: utrunque contigit, et imperavit, et occidit, sed cum nec occidi Agrippina vellet, et filio paratum esse a se imperium pœniteret: vos denique indulgentia vestra nec per laborem vultis eos virtutem discere, et per delicias gaudetis vitiis obrui; idcirco fletis et lugetis plurimæ (nam non de omnibus loquor) et meritas etiam in hac vita datis dementiæ vestræ pœnas, cum filios esse doletis, quales ipsæ fecistis; nec ab eis redamamini qui inamabiles se omnibus esse propter amorem vestrum sentiant: nota est adolescentis illius fabula, qui cum ad supplicium duceretur, colloquium matris exposcit, ore

que

que ad matris aurem admoto tamquam aliquid secreto dicturus, auriculam ejus morsu amputavit; increpantibus qui aderant, quod non fur modo, sed impius in parentem esset, respondit, hoc esse præmium educationis; *Nam si illa me* (inquit) *cum puer libellum sodalis in schola surripui, quod fuit primum meum furtum, castigasset, non ad hæc essem facinora progressus; at illa indulgit, et osculo furem excepit*: fuit Brugis, cum hæc ederem, mulier, quæ duos filios indulgentissimè, ac proinde corruptissimè, adversa patris voluntate, educarat; illa clanculum suppeditare pecuniam, unde luderent, potarent, scortarentur: alterum vidit suspensum, alterum capite truncatum: quocirca vulgari verbo sapienter admonemur: *Præstare ut ploret, puer, quàm senex.* ; Quid de illo matrum furore dicam, quæ filios deformes, distortos, imperitos, hebetes, inertes, ebriosos, insolentes, stolidos, plus amant plerunque, quàm formosos, rectos, eruditos, acutos, solertes, sobrios, modestos, quietos, prudentes? ; quid istuc est? ; errone mentium humanarum, an meritum pro peccatis nostris supplicium, ut amemus quod minimè amandum est? Mutæ animantes formosissimis vel catulis vel pullis blandiuntur; atque adeo indicium hoc in eis est generositatis filiorum, cum cari sunt matri: venatores illum fore optimum canem præsciunt, cujus foeta maximam gerit curam, pro quo ante alios est sollicita, quem primum refert in cubile; in hominum genere illum fere scias esse vilissimum et despiciatissimum, quem mater amat tenerimè.

; Vultis vere ab eis amari, ea præsertim ætate, qua sciunt jam quid sit verè et sanctè amare? efficite ne vos admodum ament, cum quid sit amor adhuc ignorant, et parentibus placentam, aut favum, aut saccarum præferunt: nullum filium mater tenerius amavit, quàm mea me; nullus unquam minus se matri sensit carum: nunquam fere mihi artisit, nunquam indulgit, et tamen cum domo tribus aut quatuor diebus, ea ubi essem inscia, abfuissem, pæne in gravissimum incidit morbum, reversus, desideratum me ab ea non intellexi; ita neminem magis fugiebam, magis aversabar, quàm matrem puer, nullum mortalem magis in oculis tuli adolescens; cujus mihi

nunc

Amor matrum perver-

nunc memoria sacratissima est, et quoties occurrit, quam corpore non possum, animo et cogitatione dulcissima complector: sodalem habui Lutetiæ, doctum in primis virum, qui inter cetera faventis numinis beneficia, et illud reponebat quod indulgentissimam matrem amisisset, quæ si viveret (inquit) ego nec Lutetiam eruditionis gratia venissem, et domi inter aleas, scorta, delicias, voluptates, uti cœperam, consenuissem: qui potuisset ille matrem amare, quam mortuam esse gaudebat? Sapiens mater non filio delicias potius optabit quam virtutem, non opes magis quam eruditionem, quam bonum nomen, non vitam indecoram citius quam honestam mortem: Lacænae mulieres filios malebant pro patria honeste cadere, quam vitam servare fugiendo: ita plurimas, memoriæ traditum est, ipsas suis manibus ignavos filios interemisse, illo addito elogio: *Nec meus hic fuerat, nec Lacedæmonius*: Sophia, cum tres haberet speciosissimas filias, tribus virtutum nominibus insignitas, Spem, Fidem, et Caritatem, jugulatas pro Christi gloriâ lætissima spectavit, et non procul ab urbe Roma ipsa suis manibus sepelivit, Hadriani Cæsaris principatu: non tam ergo artes quæsturias docebunt parentes liberos, quam sanctas; nec proponunt imitandos eos, qui opes maximas brevi tempore fabricati sunt, sed qui ad summas virtutes pervenere. Merito reprehenduntur Megarenses, qui filios suos sordidam frugalitatem et avaritiam docebant, habituri pro liberis frugi servos; antiqua hæc Megarensium reprehensio, in quam multos hodie Europæ populos merito posset conferri! Florentiam et Genuam Italiæ, Burgos Hispaniæ, Londinum Britannicæ, Rotomagum Galliæ! ita fit quod contingere passim videmus, ut moniti toties rem quærere, rem facere, rem augere, rem quocunque modo parare, facinora suscipiant capitalia et nefaria, cujus culpæ non exiguam partem parentes sustinent, suasores, auctores, impulsores, et quod omnium justissimum est, cum alia deest ad divitias via, parentes ipsos filii expilant; quod si septa vident ad numos omnia, incipiunt odisse patres, et ex odio mortem optare, quærere tollendi rationem, et plurimos a propriis liberis veneno sublato perhibent, quibus longum est senis mortem expectare:

er-

ergo qui parentes filios docuerunt pecuniam rebus omnibus esse anteponendam, ipsi vim præcepti illius in se experiuntur; ipsis parentibus pecuniam liberi præferunt; exprobrant sæpe parentibus filii vitia sua, tamquam illorum vel exemplo, vel negligentia sint corrupti; juvenis ille luxuriosus, luxurioso patre natus, apud Declamatores sic loquitur: *Meam luxuriam patri imputabo; non sub severa fui disciplina; non sub bene instituta domus lege quæ posset adolescentis formare mores, et a vitiis ætatis abducere.*

At cum continenda est prima liberorum ætas, et severitate sanctæ disciplinæ cohibenda ne in vitia per licentiam excurrat unde ægre revocetur; nec auferenda de pueri dorso virga; tum præcipuè filia nulla sunt indulgentia tractandæ; corrumpit indulgentia filios, at filias perdit funditus; licentiâ viri firmus deteriores, feminæ scelestæ, quoniam solutum in voluptates affectus ingenium, ni frenis cohibeatur, ruit præceps in mille facinora: de quo est sapiens admonitio Jesu filii Sirach: *Filiae tibi sunt, serva corpus illarum, et non ostendas hilarem faciem faciem tuam ad illas*: et filia quidem quemadmodum sint educandæ superiore libro demonstravi; ea leget mater, quod multa insunt etiam quæ maritas instituant, et matrum est curare ut ea filia exequantur quæ præcipimus. Posteaquam parentes, quantum fieri potest, providerint ne quid verbis turpe, fœdum, obscenum, perniciosum, nefarium, animo pueri insideat, factis magis atque exemplis providebunt, ne quid videat puer, quod effingere sine turpitudine non possit; et est aliòqui ætas illa, ut dixi, plane simica, quæ nihil profert suum; utique nec habet; omnia imitatur: quid, quod aliena forsitan exempla deleverint parentes ab animis puerilibus auctoritate et amore sui, adde etiam bene monendo, quod vero ipsi fecerint, reprehendere non poterunt, nec si reprehendant, movebitur tantum puer iis quæ audit, quam quæ videt: rectè Juvenalis, plus habere ponderis parentum exempla apud filios, quam multorum doctorum monita et præcepta; ita, unico malefacto gravius nocebunt, quam multis sanctè consultis profue-

Tom. IV.

Ll

rant;

rant; ideoque in Satyra decima quarta sapienter suadet his verbis: (1)

*Nihil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est; procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, et cantus pernoctantis parasiti;
Maxima debetur puero reverentia, si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos;
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans:*

Numidiam Quadratillam sugillat Cæcilius Plinius, quòd Pantomimos effusius fovebat quàm principi feminæ conveniret; in eo tamen prudentiam anus laudat, quòd Quadratum nepotem suum adolescentem spectare nec domi, nec in theatro Pantomimos suos permiserit; cumque vel illos auditura esset, vel animum calculorum lusu laxatura, solita nepoti esset jubere, abiret, atque studeret: idem auctor, Hispulæ uxoris suæ amitæ maximas agit per epistolam gratias, quod uxorem suam apud ipsam educatam, suasibus atque exemplis ad rectum honestumque finxerit, nihilque in illa domo viderit nisi sanctum et imitandum: ac nimirum erga filias major debet adhiberi vigilantia, ne quid vel pudorem, vel pudicitiam, vel modestiam maculet, quo hæc in femina exactiora perquiruntur, quàm in viro; et feminæ animalium omnium ingeniosius imitantur, quodque est utrique sexui commune, promptius ac perfectius vitia; nec contineri possunt, si auctoritas in exemplum accedat, ut si matrem, aut quam vulgo probari vident, efficturæ sint.

Hinc in civitatibus quarum principes sunt improbæ, raræ sunt plebejæ probæ: et quæ a malis educantur, non frequenter sunt aliusmodi: nec certissimum non est vetus verbum: *Similem matris filiam*: neque tamen adeo est matris similis filia, atque educatricis, unde notæ pleræque quæ apud sanctas ex patribus avias adoleverunt, a matribus degenerantes, vitam virtutemque aviarum educatricium expresserunt: Censor M. Cato C. Manlium senatu movit, quod uxorem præsentem filia deoscu-

(1) Satyra 14. v. 44.

latus esset; nescit rudis ætas, cur quidque fiat; at eosdem actus reddit, velut speculum acceptas formas, non eisdem finibus: quod intelligens prudentissimus juxta et sanctissimus senex Eleazarus, cum ex edicto Antiochi juberetur carnes suillas edere, recusantique gentiles amici suaderent ut saltem edere se simularet, ut illo prætextu dimitteretur tamquam regis voluntati obtemperasset; mori se respondit malle, quàm aliquid agere, quod in exemplum rei pessimæ accipi a juvenibus posset; hisque verbis est usus: *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum, et ipsi propter meam simulationem, et propter modicum corruptibilis vitæ tempus, decipiantur, et per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram; nam etsi præsentem tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum omnipotentis nec vidus, nec defunctus effugiam: quamobrem fortiter vitæ excedendo, senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar*: his dictis confestim ad supplicium trahatur; ii autem qui eum ducebant, et paulo ante fuerant mitiores, in iram conversi sunt propter sermones ab eo dictos, quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur; sed quum plagis perimeretur, ingemuit, et dixit: *Domine, qui habes sanctam scientiam, manifestè tu scis, quòd quum a morte possem liberari, duos corporis sustineo dolores, secundum animam vero propter timorem tuum libenter patior*: et iste quidem hoc modo vitæ decessit, non solum juvenibus sed universæ genti memoriam mortis suæ ad exemplum virtutis et fortitudinis derelinquens. Instituendi sunt igitur etiam exemplo parentum filii, nec eis ostendendum quod facile in vitium transeat, ne ipsi facilius transferant, simul imperitia meliorum, simul hominum natura in pejora proclivi: punivit Dominus Heli judicem et pontificem Israël, non quod filiis suis Ophni et Phinees malo ipse fuisset exemplo, sed quòd pravos et flagitiosos non castigasset; itaque casu e sella interiit, translatumque est sacerdotium in aliam familiam: quanto gravius vindicabit in eos parentes, qui ipsi vel exhortatione, vel exemplo suo, liberos suos sceleratè vivere docuerunt!

De filiis
mortuis.

Quòd si supplicium de peccatis adultorum filiorum pervasit ad patrem, quatenus non quantum posset inhibuerat, quid fiet iis, qui teneros ad libidines, voluptates, cupiditates, facinora vel dictis impulerunt, vel factis? contrà, de muliere quæ filios virtuti assuefecit, Doctor gentium ait: *Mulier seducta in prævaricatione fuit, sed salva erit per filiorum generationem, si permanserit in fide, et caritate, et sanctificatione cum pudicitia*: liberi si vita decedant, existimandum aliud hoc non esse quàm depositum reddi: de consolatione mortis, quàm copiosè scriptum est a Platone, Cicerone, Xenocrate, Seneca! Quàm sententia illa celebris, reputantibus vitæ hujus in tanta brevitate tam longas ærumnas, *Optimum non nasci, proximum citissimè aboleri*, quàm comprobarunt Sapientiæ assectatores, profectam (uti rentur) a Sileno quodam, qui temporibus vixerit Cræsi et Cyri cum septem Græciæ Sapientibus, sed prolatam a Salomone, multo vetustiore illis omnibus, et subindicatam a Job Husita, qui ante Moysen regulus fuit in Arabia! Unde et gentes quædam, velut Thraces, et Gallorum Druydæ, tum vitæ hujus tædio, tum spe quadam melioris post venturæ, lætitia cantuque eos prosequiebantur, qui fato defungerentur; sed illa certissima et fidelissima consolatio, quæ ex veritate sumitur, nempe consideratione futuræ vitæ: mors ex se malum non est, tantum de modo ac ratione sua censetur: foelices, quibus exitus ab hac vita in amicitia Christi contigit! infœlices, quibus secus! illi enim ad ingentem beatitudinem transmittuntur, hi ad extremos cruciatus et miseriam: proinde hoc est abs te curandum, ut sic filios componas ac effingas, ut quandocunque jubeat eos Imperator è vita tamquam e statione excedere, gratiosi imperatori exeant, animo atque industria illi sua approbata.

Hoc cum ita sit, quanto gaudio excipienda est mors infantium, qui citra sensum laborum ac sollicitudinum ævi hujus, ambitionis, invidiæ, arrogantiae, necessitatis; antequam invadat agmen illud morborum; corpore integro, tenuissimo quodam mortis gustu, horribilem carcerem lætissimâ beatitate commutant? quæ major optari illis posset felicitas, quàm ut in odiosissima et fastidiorum ac periculorum referta via, subito

ce-

celeri quodam volatu ad diversorium transferantur? utque, cum aliis diutina et operosa contingat militia, illi præmium idem tanto minore opera consequantur? nec grandioribus alia debet votis optari, nisi ut meritis et misericordia illius qui nos a noxis emundavit, vindicavitque a diaboli servitute, expurgatis delictis, puri lætique auferantur e tenebris vitæ hujus antequàm malitia immutet cor eorum, et revolent ad patriam illam, in qua sita est beatitudo sempiterna; ad quæ regna vellent parentes ex se genitos evehi, cum his comparanda? Uti que non ad alia, si non magis ab affectibus suis, quàm liberorum utilitatibus traherentur: atqui decet ipsos filiis eam felicitatem propter inania sua gaudia, seu verius gaudiorum somnia, non invidere, nec simulare se illorum dolere vicem, cum suam plangent; quos tamen conveniret hilares et lætos esse, ut qui cives illi progenuissent civitati, cujus Deus princeps est, Angeli cives, deque ea sint optimè meriti, tali sobole progenita, et sic educata, hoc pacto, ac merito futurum, ut arbitror, Paulus docet, *Ut mulier salva fiat*: ergo consultius erit, ac pium magis, hoc nomine gaudere, quàm mœrore confici, quòd repetitum est id quod non donatum fuerat, sed accommodatum, nec quetelis et luctu nostro judicium reposcentis Dei damnare; sed pro usura quantulicunque temporis habenda gratia; nec imitandi ingrati illi, qui immemores percepti fructus, injuriam interpretantur, nisi beneficium, quod gratis datur, arbitrato suo æternum possident.

DE BIS NUPTIS, ET NOVERCIS.

CAP. XII.

Quæ, prioribus maritis elatis, aliis denupserunt, hoc, super ea quæ scripsimus, sunt admonendæ: videant, ne immodica superiorum virorum commemoratione præsentibus offendant; solet hoc ingeniis hominum usu evenire, ut meliora semper videantur præsentibus præterita, propterea quod nulla est tanta felicitas, quæ non multum trahat secum incommodi, et amari-

ri-

ritudinis admistum: hoc cum adest, urget nos acriter, cum abiit, non magnum sui sensum relinquit; ita fit, ut minus videamur transactis malis affecti esse, quam afficiamur presentibus; vergit etiam in primum aetas, quae in dies importandis incommodis fit peior, et sustinendis importatis imbecillior; tum recordatio vigentioris aetatis, et velut comparatio cum ingravescente, tedium affert presentium, desiderium praeteritorum: sed Salomoni non placet, cogitationem illam sapientis animum subire, ut existimet superiores annos presentibus potiores esse; nec prudenti feminae ita videbitur; nec putabit mortuum maritum hoc vivente meliorem ac commodiorem fuisse; saepe enim falluntur, cum si quid eas in presenti offendit viro, tunc tantum in altero, quae placuerunt recordantur, idque faciunt odiosius, si in quo vivens parum satisfacit, id magis ex animi sententia defunctus praestabat; ibi sine reputatione rerum aliarum, ad eam solam referunt inter maritos comparationem; hinc moestitia, hinc perpetuae querelae, et molestae marito voces; et dum mortuum complorant, ac desiderare se queribundae testantur, neutrum retinent.

Novercae.

Novercae vulgo male audiunt, tamquam iniquae in privignos sint; cuius rei non pauca exempla memorantur; et totum hoc genus epigrammate graeco incessitur, quod privignus quidam, cum novercae coleret sepulcrum, a delapsa ex eo columella sit interemptus: etiam atque etiam exhortandae sunt feminae, dent operam ut affectus et animi perturbationes habeant in sua potestate; hic fons atque origo et malorum omnium et bonorum; affectiones si dominari in te sinas, magnum calamitatum et miseriarum agmen semel importabunt, quod rejicere postea vix queas, sin tu illis dominaris, sanctissime vives, ac beatissime; istud assequemur, si in animi tranquillitate et quiete sedulo meditati erimus, quemadmodum nos geremus ingruentibus concitationum et tempestatum causis; non sunt ergo injustae et asperae novercae, nisi quarum tyranni sunt affectus, quae ipsae animi aegritudinibus non imperant, sed serviunt; nam quae mente, ratione, iudicio ducitur, reputabit se idem cum marito esse, idcirco utriuslibet liberos communes esse oportere;

nam

nam si amicitia omnia reddit communia, adeo ut complures amici amicorum liberos non secus ac proprios ament, colant, adjuvent, quanto id plenius exactiusque debet conjugium praestare, cumulus non amicitiarum modo, sed propinquitatum et cognationum omnium? Mariti patruales, consobrini, fratres, parentes, pro talibus habentur, et sic nominantur ab uxore, quanto id magis praestandum est filiis?

Tum miserebitur mulier tenerae ac infirmae aetatis, et recollectione suorum, si habet, diligit alienos, reputans communem humanae gentis sortem; reperturos suos in se talem, qualem ipsa alienis se praebuerit, seu fato defungatur, seu vivat; denique bona mulier privignis erit, quod tam crebro ab eis audit, mater; quae namque est ab omni humanitatis et mansuetudinis sensu adeo remota, quam non mitiget et flectat illa vox, Mater, a quocumque profecta sit, sed in primis a pueris, qui assentari nesciunt? qui simplici animo sic compellant, non alio affectu, quam veram matrem ex qua nati sunt? Quam dulce est amicitiae nomen! quot iras mollit? quot odia discutit? matris nomine quid potest inveniri efficacius? nempe incredibilem caritatem plenum et constipatum? An non iratissima mitescis, cum te matrem nominari audis? immanior es quavis fera, si te nomen illud non remollit; nulla est adeo truculenta et incitur bellua, cui si ejusdem generis animalculum ablandiatur, non illi protinus mitescat; te liberi mariti tui emollire blandientes nequeunt; tu mater appellata, hostem exhibes; tu concepta, plerumque sine causa, odia, in aetatem imbecilem atque innoxiam exerces; tibi, cum christianos omnes benevolentia et caritate fas sit esse fratres, odiosi sunt, domo et affinitate conjuncti, fratres tuorum liberorum; non te manes matris illorum terrent, persequuntur, exagitant? Cognoscite, novercae, quae tales estis, impotentes iras vestras ex solis vecordiae ac vehementiae vestrae somniis natas; vitrici cur non sic oderunt privignos? nullus fere est vitricus, qui non tamquam filium, privignum amet; mentiar, nisi magna etiam regna a vitricis relicta privignis legamus, non secus quam si ex ipsis nati essent: Augustus Tiberio, Claudius Neroni Romanum imperium reliquit, etiam cum

cum ille nepotem et pronepotes haberet, hic filium; non quod se non genuisse illos ignorent, sed quia ratione et sano iudicio assequuntur, nullas esse inter vitricos et privignos odiorum causas, nisi ipsi moribus suis fecerint: quid enim privigni in vitricos commeriti sunt, quod non ipsis parentibus sint procreati? Hoc præstare non hominum est, sed Dei: at non blanpiuntur, non semper lusitant vitrici cum privignis, ut matres vellent: hoc argumento nec patres naturales amant filios: quid dixi, hos non amare? Nonnullæ sunt tam vesanæ matres, ut communes liberos diligere a maritis vix credant, quod non totos dies et totas noctes cum illis ineptiant: non potest sic ineptire virilis sexus, ut muliebris; magnitudo illa virilis animi amorem facile continet, ac contegit; dominatur illi, non servit: sed vos novercæ, quin semper privignos osculamini? pectitis? excolitis? tamquam vestros? Tantæ scilicet in animis vestris ex affectionum nubilis densantur tenebræ! Quod amatis, dignissimum iudicatis quod ament omnes, nemo vobis videtur satis amare; quod oditis, dignissimum odio ducitis, et aliis semper amari nimis: nec desunt quæ privignos, capitaliter cum oderint, amare tamen se jurent: insanæ, sive id ipsæ credant, sive alios sperent credituros; insaniore, si imposturam se Deo facturas confidant: et postulas, ut te audiat Christus, vocatus a te Pater, quæ privignos averseris, vocata ab illis mater? Non credit Joannes Apostolus invisibilem Deum ab eo diligere, qui fratrem odit, quem videt.

QUOMODO SE GERET CUM CONSANGUI-

NEIS ET AFFINIBUS.

CAP. XIII.

Sororem Nigidius Figulus dictam esse tradit, quod seorsum eat, quoniam in aliam transit domum et familiam; quod cum ita sit, mulier nupta officiosior esse incipiet in affines, quam in consanguineos: sic decet propter multa; tum quod in illam gentem velut transplantata est, cui filios generatura est, quam

fœ-

fœcunditate sua numerosiorem factura; tum quod propinquorum et consanguineorum benevolentiam jam paravit, affinium deinceps quærendus amor: adde his, quod et filii, si genuerit, cariores sint gentilibus et propinquis suis, adjuti non modo mutua illorum in patrem, sed matrem quoque, caritate; denique multas adfert et in conjugio et in viduitate commoditates, si diligere ab affinibus, multa incommoda, si sis odiosa: illud quoque spectarunt, qui a consanguineis ad alienos traduxere connubia, quo latius se hominum inter ipsos caritas et amicitia diffunderet, quasque propagaret: convenit ergo affinium amorem diligenter parare, aut partum jam conservare, ac confovere. Socrus ferunt novercalibus in nurus odiis, vicissim has Socrus. non minus ardere illarum amore, ac pietate; Terentius ex communi hominum consuetudine ac sensu, (1)

Omnes (inquit) socrus oderunt nurus:

facete illa, quæ, etiam socrus imaginem, e saccaro confectam, amarum esse, dixit: Plutarchus Cheroneus, et ex hoc auctore Hieronymus contra Jovinianum, narrat, in Lepti Aphricæ veterem fuisse morem, ut nova nupta, postridie nuptiarum, ollam a socru, utendam, rogaret, illa porro habere se se negaret, ut statim a nuptiis, cognitis in socru novercalibus moribus, minus in posterum offenderetur si quid intercideret asperius: mihi vero causam inimicitiae hujus reputanti, plerunque stultus utriusque zelus videtur esse.

Positus est vir velut in medio inter matrem et uxorem, utraque alteram quasi pellicem insectatur; mater ægre fert totum filii amorem a se in nurum traduci; uxor non patitur aliam amari præter se; hinc simultates et odia et rixæ, ut inter duos canes, si quis altero spectante alterum demulceat: Pythagorici olim, accedentibus amicis non minui amicitiam arbitrabantur, sed augeri, et roborari: sic nec mater debet existimare se minus matrem fore, si matrimonio jungatur filius, nec uxor se minus uxorem, si habeat socrum, quin potius decet alteram

Tom. IV.

Mm

al-

(1) In Hecyra Act. 2. Scen. 1. v. 4.

alteri conciliare virum, si quid offensiunculæ inciderit; stulta socrus, an non vis amari a filio conjugem, amicam, sociam individuum? tulisses igitur te marito caram non esse? quid miserius potes optare filio, quàm ut cum invisa atque infensa habitet? stulta nurus, non vis a filio amari matrem? tu ergo matrem non amas? amaberis tu a marito, ut socia, ut dulcis conjux; amabitur mater a marito, ut cui maritus vitam, et nutrimenta, et educationem debeat, ac pro his magnam pietatem: nurus, quando se ac maritum idem esse non ignorat; mariti matrem, suam esse existimabit, nec illam minus amabit, nec minus reverebitur, quàm veram matrem, sed officiosius colet, quò illam sibi arctius demereatur et conciliet.

Non feret molestè amari a viro matrem, immo proba, et sancta femina, si maritum animadverterit non satis erga matrem morigerum; adhortabitur, et rogabit ut matri eum se præstet, quem esse decet filium: Augusti neptis, quæ Germanico nepoti, Liviæ ex Druso filio, denupserat, Liviæ, et velut nurus, et velut privigna, erat invisa, aspera ipsa alioqui, et vehemens, sed tanta pudicitia, et tam raro in conjugem amore, ut indomitum illum Liviæ animum duabus illis virtutibus in bonum verteret. Nurus non alio affectu alant in necessitate socrus, et sustentent, ac si ex eis natæ essent; Ruth, Moabitidis, patriam et cognationem totam propter socrum sprevit, ne miseram et afflictam anum in tam confuso mœrore desereret; itaque illam simul consolabatur verbis, simul refovebat labore, vicemque omni modo explebat filiæ; nec mercede pietas illa caruit, nam consiliis socrus instructa Ruth, maritum invenit Booz hominem locupletem, et Obeth peperit, et proavia Davidis Regis fuit, et ex ejus stirpe Christus Dominus natus est.

Video aliam quoque odii hujus esse causam: graves et molestæ sunt nonnunquam nuribus socrus de reprehensione, velut censoriæ quædam et morum magistræ; vicissim his illæ, de domus regimine; utrobique utræque immoderatæ; nam nec castigationes et admonitiones convenit esse asperas atque importunas, sed observanda sunt tempora, nec perinde acidis utendum verbis, atque efficacibus, nec omnino convenit matremfamilia-

ni-

nihil domi agere, otiosam securamque velut hospitem sedere; contrà porro, juvenibus non tantum utilia sunt senum monita, sed etiam necessaria; quæ qui refugit, næ ille haud bonæ indolis signum exhibet: scias eum multa in se habere quæ reprehendantur, qui est admonenti infestus: in sententiis Regis sapientis sic legimus: *Ei qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus, et eum sanitas non sequetur*: nunquam non prodest objurgatio, etiam inimici, etiam falsa, quæ saltem huc prospiciat, ut cautiores reddat ne quando committamus in quod merito ejusmodi objurgatio competat: adhæc, in cura rei familiaris conducibile cum primis est, juvenem in exercitatum, inexpertam, immo vel exercitatissimam, seniori auscultare; vetulus canis non de nihilo latrat; prudentior fies, si ad tuam prudentiam, senilem adjunxeris: quocirca cedat aliquid de jure suo utraque alteri, ut ad concordiam redigantur; socrus in tempore admoneat, adhortetur, dehortetur, et, si opus sit, objurget, omnia ex vero amore et recto affectu, non odii acerbitate; nurus vicissim, attento, prompto, alacri animo audiat unde fiat melior, et capessat probitatis leges a senili prudentia profectas; socrus nurum instituat in re domestica; sed sic, tamquam futuram dominam proba consultrix et directrix: nurus pareat, ut domini sui matri, seu potius ut suæ quandoquidem per matrimonii vinculum conjunctæ sunt omnes necessitudines, tanto arctius primæ illæ parentum ac fratrum.

QUOMODO CUM FILIO, AUT FILIA

CONJUGATA, CUM GENERO, ET NURU.

C A P. XIV.

UT in ceteris rebus omnibus decet uxorem mariti se judicio ac voluntati accommodare, ita cùm opus erit liberos conjugare; hoc, cùm Aristoteles in libro secundo de Re familiari docet, tum ratio ipsa præscribit, ut summa in filios auctoritas sit pænes patrem: sic Romanis legibus filii non in matris, sed in patris potestate erant, quamdiu viverent, etiam conjugati, et

Mm 2

gran-

grandiores natu, nisi emanciparentur; quantam in veros filios convenit esse apud patres potestatem, cum in Christum voluerit Deus aliquam esse apud Josephum! Angelus Domini, cum per quietem Josepho nunciat, quod in utero Mariæ esset, non virili esse conceptum semine, sed vi ac opere Divini Spiritus, *Pariet* (inquit) *Maria filium, et vocabis nomen ejus Jesum*: non dixit, *pariet tibi filium*, quod veris patribus dici solet, nam mulieres viris pariunt liberos, et tamen addit, *Vocabis*, ut significaret jus atque auctoritatem ejus, qui pater existimatur, cum Virgini dixerit, *Vocabitur nomen ejus Jesus*. Velim in collocanda filia, annum ejus cum minimum decimumseptimum expectari; sic Plato, Aristoteles, Hesiodus suadent; sic natura ipsa, quæ magnas ad libidinem flammæ prima pubertate ingenuit; sinendum, ut eæ restinguantur sua sponte, quo in posterum sint ad Venerem minus proclives; accedit ea ætate robur gestando utero, foetui alimentum, et incrementa majora: nuptiæ si sunt sacramentum, si castum et purum opus, cui adesse Deum scimus velut auspiciem, ecclesiam videmus facem præferre tamquam pronubantem, quorsum attinent tot flagitiorum et nequitiae instrumenta? convivium virorum ac feminarum, coetus a vino et crapula saltantium, vellicantium, palpantium, nugantium, omnibus ad accendendam libidinem compositis, tanto cultu, tanta pompa; nec deest sedulus conciliator ac proxeneta pessimè contrahentium diabolus.

In die tanti mysterii, cum nihil non mundum sanctumque dici et agi fas sit, dapes libidinem sollicitant, formæ etiam arte adjunctæ; accendit vinum, invitat occasio, superbiam attollit cultus, ferociam ætas; designationes et stulti quidam honores aliis arrogantiam movent, aliis odium, aliis invidiam; nec unus sufficit nuptiis dies, proaulia celebranda sunt, et epaulia, bonâ interdum patrimonii parte in convivium, et sportulas, et congiaria effusâ, atque iis elargitâ, quibus profutura non est, nec habituri sunt gratiam, immo reposcent; et hæc omnia dantur mulierum vanitati, dum gulæ, aut superbiæ, aut deliciis, denique ventosæ vanitati suæ indulgent, et vel oblectare se se gestiunt per solutissimam lætitiâ, vel ostentare opes, etiam quas
non

non habent. At ubi liberorum peractæ fuerint nuptiæ, nurum non insectabitur prudens mulier, nec ejus odio putabit se amorem impetrare, non illius modo, sed ne filii quidem, si amet illam; si bene moneat, si instituat, si coram illa ea dicat et faciat, quæ ipsa nurus in exemplum tum castitatis tum frugalitatis possit accipere, si non serat inter conjuges inimicitias, sed alicunde subortas tollat, illosque inter se totis viribus laboret reconciliare, denique in nurum materno se esse pectore patefaciat ac declaret, facile perficiet ut sibi filium demereatur, et a nuru magnum sibi amorem acquirat, magnamque reverentiam; ille, quanto ardentius amabit eam, ex qua genitus, et per quam uxore utitur tum castiore, tum frugaliore, et secum magis concordia! ut non obligatum modo sentiat se matris beneficio, sed institutricis uxoris suæ, auctorisque non parvæ partem felicitatis suæ.

Nurus haud aliter in socrum erit, ac in matrem affecta, per quam ipsa peritior fit, ac melior, maritoque suaviore gaudet, atque amantiore sui: contraria omnia in aspera socru contingunt: filiam nuptam mater non contendet tam suam esse, quam cum adhuc cœlebs erat; cogitet in alienam jam domum, tamquam in coloniam missam, ad propagandam illic sobolem; monebit meliora, aut monita jam in cœlibatu in mentem reducet nuptæ; non aget cum ea quæ putarit genero displicere; non ducet ad templa; non domo proferet; ac ne loquetur quidem, si id credat adversa generi voluntate fieri: ne dicas mihi indignabunda mulier, quæ filia meæ loqui non potero? filia quidem tua est, sed jam non tua femina; quicquid in eam habebas juris, genero cessisti; tu potius, si ex te genitam amas, et vis eam beatam videre, hoc est, concorditer viventem cum marito, sis ei consultrix semper atque auctor ut viro per omnia morem gerat, ne tecum quidem loquatur illo invito; adulter est, quisquis in alienam uxorem plus sibi vult licere, quam maritus permittat; fur est, qui rem alienam attingit, domino invito: generum non aliter amabit, ac filium, reverebitur tamen plus, quam filium; neque enim licere sibi socrus arbitrabitur in generum, quæ in filium, nisi quòd nec minus ei bene cupiet,
Gener.

piet, nec aliter consulet, atque adhortabitur, sed sic tamen, ut suadere magis, ac rogare videatur, quàm vel præcipere, vel imperare; et quando ille jam indissolubili nodo junctus est filia, qualiscunque sit, non tolerandus solum, sed probandus; laudandus etiam apud filiam, ne qua discordiæ occasio inter illos obrepat, id est, postremæ miseriæ seminarium: feliciter vivet uxor, si mariti mala omnino ignoret, quàm si cum eorum consolatione luctetur: quid, quod socrus, quæ generos apud filias accusant, ipsæ suum damnant iudicium, quæ tales elegerunt?

DE MATREFAMILIAS PROVECTIONIS

Æ T A T I S.

CAP. XV.

Matronæ natu grandiori continget illud, quod Ibi, Ægyptiæ volucris, narrant quibus rerum naturas perquirere curæ fuit, ut annosior jam, aromatis proximæ Arabiæ quicquid in corpore est vitiosi humoris repurget, halitumque ore emittat suavissimum; defuncta mulier et libidine et muneribus pariendi atque educandi, cœlestia potius quàm terrena sapiet, ac spirabit, nihil sive loquetur, sive aget, quod non sanctissimum sit, et exemplum junioribus ad imitandum; *Tum incipiet notum esse ejus nomen*, ut Gorgias dicebat, *cùm sit ignota facies*; tum superior vita sanctissimè acta incipiet proferri; tum vere proba mulier ad virum parendo imperabit, et assequetur ut magna sit auctoritate apud maritum, quæ semper sub mariti auctoritate vixerit: Themistoclis uxor Archippa, parendo diligentissimè conjugii suo Themistocli, tanto sibi illum amore conciliavit, ac devinxit, ut vicissim ipse prudentissimus vir, ac in primis strenuus imperator, uxori pæne in omnibus obsequeretur; unde gradatio illa Græcorum per jocum a multis jactata: *Quicquid puer hic vult* (Cleophrantus is erat, marito unice carus) *Græci volunt; nam quod hic vult, mater; quod vero mater, idem Themistocles; porro quod Themistocles, id Athenienses, quod Athenienses, hoc Græci omnes*: Dominus Abrahæ præcipit, Saræ uti dicto sit

au-

audiens, quoniam illa senex erat, et libidinis emortuæ, idcirco nihil juvenile, aut impultrice libidine pudendum consultura.

Neque vero quacunque sit ætate, velut solutam se legibus credat, et nactam rerum omnium licentiam; semper subjici viro debet, sub ejus patrocinio et tutela degere, et pudore ornari; sed in hoc tempus ætatis ubi pervenerit, locatis liberis, soluta curis terrenis, spectans quidem terram corpore terræ reddendo, animo vero cœlum ut illuc immigraturo, sensus omnes, animum, mentem universam ad Dominum eriget, totaque in profectionem accincta et incumbens, nihil meditabitur, quod ad instans iter non accommodetur; caveat modo, ne ex religione in superstitionem per ignorantiam delabatur, quod vitium ætatem illam solet infestare; multum quidem sit sanctis actionibus intenta, sed plus tamen fidat clementiæ et benignitati Dei; ne confidat sibi, tamquam operibus suis eò perventuræ quò instituit, potius quàm Christi beneficio ac munere; quumque vigeat adhuc plus animus quàm corpus, detrahat corporis laboribus, addat animi; plus oret, et attentius; sapius de Deo cogitet, ardentiusque; rarius jejundet; minus se circumcundo templa defatiget: nihil opus est fraudet suum sibi Genium, aut senile corpus extenuet: prosit aliis bene monendo, prosit exemplo vitæ suæ, rediturâ ad illam commodi parte haud sane exiguâ.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
DE INSTITUTIONE FEMINÆ CHRISTIANÆ
LIBER TERTIUS.
QUI EST DE VIDUIS.

DE LUCTU VIDUARUM.

CAP. I.

SAncta mulier, mortuo marito, maxima se accepisse damna sciat; sublatum esse pectus illud, caritatis et amoris mutui plenum; non modo dimidium animi sui periisse sibi (sic enim docti quidam homines, quos validissimè deamarent, nominarunt) sed ipsam totam sibi ereptam, et extinctam; hinc honestæ lacrimæ, hinc justus dolor, et planctus non improbandus; maximum argumentum impudici animi et sævi, non plorare maritum extinctum: duo sunt feminarum genera, quæ in lugendis maritis contrariis modis æque peccant; et quæ nimis lugent; et quæ parum: vidi in hac Gallia Belgica, et in Britannia, mulieres maritorum morte non acrius percultas, quàm si leviter notus aliquis interiisset; manifestum indicium frigida caritatis conjugalis, quo nihil sceleratius dici potest, vel detestandum magis: respondent quum reprehenduntur, sic ferre genium regionis, quod obtendere solent qui vitia sua in vim siderum, aut cœli, solive naturam referunt; ingenium regionis peccata non ingerit, alioqui non delinquentes essent puniendi, sed regio; nec ab aëre, vel cœlo accipimus scelera, sed ex moribus; sub omni cœlo et bene vivitur, et male; nec ora est in terris ulla tam infelix, quæ non etiam bonos ferat; nec ulla sic beata, quæ careat malis: vidi rursum, et quidem plurimas, quæ maritorum salutem vel vita sua libentissimè redemissent: non est quòd ingenio loci imputentur vitia. Frigidius est cœlum in suprema Thracia, at de illis Pomponius Mela sic scribit: *Ne feminis quidem segnis est animus; super mortuorum virorum corpora*

in-

interfici, simulque sepeliri, votum eximium habent; et quia plures simul singulis nuptæ sunt, cujus id sit decus apud judicatos magno certamine affectant; moribus datur, estque maximè letum, cum in hoc contenditur, vincere.

Ad eundem modum consuesse Indicas mulieres certare, gravissimi auctores tradidere; apud Germanos veteres, a quibus Belgæ prope universi ducunt originem, tantum virgines nubunt, et cum spe votoque uxoris semel transigitur; sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament; ut intelligas mutatos cum deliciis atque opulentia mores, et divitiarum ardorem pios caritatis ardores extinxisse: tota lex Christi nihil aliud sonat, quàm caritatem, amorem, ardorem; *Ad ignem terris immittendum veni, (dicit Dominus); et quid laboro magis quàm ut accendatur?* Sed ubi Christo pauperi adjunximus pecuniosum diabolium, et sobriæ pietati luxuriam ac temulentiam, castæ severitati impudicas delicias, christianismo gentilitatem, Deo diabolium, talem societatem aspernatus Christus, munera sua abstulit, diaboli reliquit. At firmitas forsitan tanta est in animis earum, ut ipsæ se quamprimum sapientiâ consolentur, et ictæ, prostratæque, subito erigant: laudarem in viro, et quidem sapiente; at in sexu imbecilli, suspecta est tam importuna sapientia: maximos et sapientissimos viros doluisse mortem levium amicorum scimus, etiam ubertim illacrimatos; Solon Atheniensium legumlator, et unus ex septem Sapientibus, lacrimis et planctibus celebrari exequias suas jubet, ut indicarent amici quanto ipsius desiderio tenerentur; occisâ Romæ Lucretia, quum Junius Brutus, mortis et pudicitia illius, a Regis filio læsæ, ultor, Reges Roma exegisset, bellumque ea de causa esset a Regibus motum, in primo ejus conflictu Brutus occubuit; hunc matronæ vindicem pudicitia annum luxerunt; si illæ alienum virum, quòd alienam pudicitiam vindicasset, tantopere mortuum doluerunt, quanto æquius est, te tuæ pudicitia non modo vindicem, sed tutorem, tui corporis propugnatorem, tuorum filiorum

Tom. IV.

Nn

pa-

patrem, familiæ, domus, bonorum omnium columnen, dominum, defensorem?

Vis dicam? Fleres, si non illinc discederes locupletior, quàm intraras, nunc pecuniæ lætitia sensum omnem doloris lenit ac demulcet; fleres mortuum, si amasses viventem, nunc ereptum non doles, quòd carus non erat: sunt quæ maritos ablatos gaudeant, tamquam triste excusserint jugum; et ceu modo ac dominatu solutæ, nactæque libertatem, prope exultent: O mentium cæcitatem! non est libera navis, quæ rectore caret, sed deserta; nec liber est sine magistro puer, sed vagus, sine ratione, et lege; sic mulier marito orbata, vere quod audit, vidua, id est, destituta et desolata, tum plane ventis temere agitur, ut navis gubernatore carens; et sine mente atque consilio fertur, ut puer adempto pædagogo: dicet aliqua, talis erat maritus, ut præstaret sine illo agere, quàm cum illo; nulla id unquam proba dixit, nec mala tacuit; si tibi tam carus fuisset vir, quàm leges connubiorum a Deo ipso latæ jubent, ut alterum te esse reputares, non secus ægre ferres illum eripi, quàm te: malæ mulieri si maritus flagitiorum omnium licentiam non largitur, intolerabilis est; sanctæ matronæ nullus est tam molestus conjux, quem mortuum malit quàm viventem: sed hisce de rebus disputare quid attinet? satis superiore volumine, abundeque declaratum a nobis est, nec probæ dignam esse nomine, nec uxoris, quæ non toto pectore virum amat, ut se ipsa.

O provida natura, seu potius sapientissimus bonorum morum magister Deus! nulla est virtus, cujus non aliquam finxerit tam observatricem animantem, ut optimo jure contemptores virtutis illis coarguat; quàm pudorem incutiunt! ut sugillant apiculæ inertes homines! desides, formiculæ! canum fidelitas infideles homines pejores se testatur esse; columbæ, et oves, ut fraudes et astutiam damnant! fides vero et caritas conjugii, columborum ac turturum moribus exprimitur hominibus, quasque exprobratur, quæ aves (ut Aristoteles prodidit) uno mare contentæ vivunt, nec alterum recipiunt; turtur vero,

compare amisso, nec liquidam bibit, nec in frondenti ramo sedet, nec aliis sui generis colludentibus ac lascivientibus se admiscet; hos castos amores, sanctosque, significat Salomon quum Sponsam ad se invitans: *Vox*, inquit, *turturis audita est in terra nostra*: et Sponsam ipsam modo columbæ assimilat, modo turturi: audiant morosæ et querulæ uxores Plinium de columbis hæc narrantem: *Pudicitia illis prima, et adulteria ignota, conjugii fidem non violant, communemque servant domum; nisi cælebs, aut vidua, domum non relinquit, et imperiosos mares, subinde etiam iniquos, ferunt; quippe suspicio est adulterii, quamvis natura non sit; tunc plenum querela guttur, sævique rostro ictus*: sic ille. Idcirco Dominus offerri vult turtures, aut columbas, in purgatione mulieris puerperæ, ut significetur, infantem, qui in conspectu Domini sistitur, ex pudico et caro conjugio natum esse, cujus symbolum est in illis aviculis, immo et exemplum iis hominibus, qui sic ab humana degenerarunt mente, ut rectum et sanctum a bestiis edocendi sint: non gravabor et illud ex Æliano addere: *Cornices* (inquit) *caritate inter se quadam et fide conjunguntur; mirum enim in modum se se amant ubi primum societatem coierunt; neque illæ temerè ac promiscuè miscentur; narrantque naturæ illarum periti, ex pari mortua una, alteram nulli in posterum adungi, sed viduè ac mœstè ætatem degere; proditum quoque est in nuptiis antiquorum, post hymnum Hymenæo dictum cornicem invocari solitam, symbolum concordiæ utrisque conjugum*: sic ille.

Verum mulieres illæ non peccant minus, quæ modum fleibus et luctui nesciunt ponere; nam et recenti plaga immoderatis ejulatibus omnia complent, atque confundunt, capillos lacerant, tundunt pectus, genas dilaniant, caput ad parietem arietant, humi se se applodunt, et luctum quàm longissimè protrahunt, velut in Sicilia, Græcia, Asia, Romæ, ut etiam legibus duodecim tabularum, senatusque decretis, modus fuerit, et moderatio luctui adhibenda: idcirco his gentibus scribens Apostolus, consolandos eos habuit, dicens: *Nolo vos, fratres, ignorare de iis qui dormierunt, ne contristemini ut ceteri qui spem non habent; si enim credimus quod Jesus mortuus est, et revixit, sic et Deus illos, qui dormierunt per Jesum, ducet cum eo*: vidua lugeat

maritum mortuum, et quidem vero affectu, non vociferetur, non se applosione manuum, aut concussionem membrorum, vel corporis, afflicteret; sic doleat, ut meminerit modestiæ, ac moderationis, ut ægritudinem non tam ipsa ostendet, quam alii facile intelligant: hinc ubi primus ille doloris assultus conquirit, incipiat de consolatione cogitare; nolo afferre explicatas a Philosophis longis voluminibus consolandi rationes; feminam christianam doceo; ex christiana philosophia, ad quam reliqua omnis humana sapientia mera stultitia est, petendam medicinam censeo: revocemus in memoriam, quod modo ex Apostolo posui, illos qui per Jesum dormierunt, adducendos a Deo cum ipso Jesu ad æternam beatitudinem; itaque bona spe debere nos esse.

Cogitabit ergo prudens mulier, hac lege natos mortales omnes, hac lege vivere, ut naturæ, tamquam creditori, debitum reddant, quandoque reposcet; alios quidem paullo citius, alios paullo serius, sed tamen omnes communi teneri sorte, ut nascendi, ita vivendi, ac moriendi; animas nostras immortales esse; hanc vitam esse profectionem in aliam æternam, et felicissimam, iis qui sancte ac pie temporariam hanc transegerint, quod facillimum præstat religio christiana, non meritis nostris, sed bonitate et justitia illius, qui nos a vinculis mortis sua morte exolvit, deleta per sanguinem suum edicto illo Patris, quo universum genus hominum capitis damnabatur, nisi ille subvenisset; mortem ingressum ex navigatione in portum; qui moriuntur, antecedere nos brevi secuturos; solutosque corporibus agituros in cœlis ævum, quoad rursus corporibus eisdem, suo quisque, non tamen pressi ac gravati, ut nunc, sed induci tantum et leviter amicti, commutata mortalitate in immortalitatem, vita fruemur et beata et sempiterna: hisce verbis jubet nos Paulus consolari invicem: hæc est germane et solide christiana consolatio, quum non diremptos amicos amici superstites cogitabunt, sed præmissos tantum in eum locum, ubi paucis diebus post lætissimè congressuri sint, si modo dederint operam, ut quo illos profectos et credunt et sperant, ipsi quoque exercitamentis virtutum perveniant: hoc

de-

debet christianos sacerdotes recentibus viduis præcipere; his consolationibus ægros animos refovere; non quod quidam faciunt, in funebri epulo præbibere viduæ, et jubere bono esse animo, non defuturum qui illam ducat, se jam animo maritum illi prospexisse: sed quæ possunt alia bene madidi inter epulas et pocula eructare?

DE FUNERE MARITI.

CAP. II.

UT alia permulta, sic et istud ex gentilitate in ecclesia remansit, celebrari funera magna pompa; illi enim animas intumulatorum corporum, graves apud inferos perferre pœnas, superstitiose credebant, et pompa exequiarum gloriam, tum illi, tum posteris ejus, acquiri autumabant: sed nec inter eos defuere, qui hæc vana esse non dissimularint: Vergilius, persona Anchisæ, sapientissimi (ut videri vult) viri, facilem sepulcri jacturam esse ait; et Lucanus: (1)

—*Placido natura receptat*

Cuncta sinu; cœlo tegitur, qui non habet urnam:

Tum sapientiæ assectatores, Diogenes, Theodorus, Seneca, Cicero, sed in primis Socrates, magnis docebant argumentis, non referre, ubi cadaver putresceret: M. Æmilius Lepidus, qui princeps Senatus sextis jam censoribus erat lectus, paullo antequam expiraret, præcepit filiis, *Lecto se strato, sine linteis, sine purpura efferrent; in reliquum funus, ne plus quàm æris denos consumerent; gloria nobilitari maximorum virorum funera solere, non sumptibus:* Valerius Publicola, et Agrippa Menenius, alter Regum expulsor et vindex libertatis, alter publicæ pacis interpres ac sequester, tum alii excellentissimi plerique viri, sepulturæ honorem adeo contempserunt, ut in imperio et maximis opibus versati, ne unde quidem funeris choragium conduci posset, viventes prospe-

xe-

(1) Pharsal. lib. 7. v. 810.

xerint, facturi haud dubie, si tantum ipsi credidissent esse in sepultura bonum, quantum populus: venio ad nostros.

Religionis christianæ Martyres non putarunt sua interesse, ubi exanime jaceret corpus, modo animæ esset optime prospectum; Christum, quum animas reddet corporibus, facile domi suæ, quam ipse exploratissimam cunctam habet, etiam tenuissimos corporum cineres inventurum: Augustinus libro de Civitate Dei primo: *Omnia, inquit, ista, id est, curatio funeris, conditio sepulture, pompa exequiarum, magis sunt viduorum solatia, quam subsidia mortuorum*: si enim aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis, aut nulla; atqui longe aliter videmus rem se habere; neque enim apparatus exequiarum cruciatum divitis Azoti apud evangelium lenivit, nec ignominia Lazaro fuit, humi abjectum esse illius cadaver; ille in inferno malè actæ vitæ pendit supplicia, Lazarus in sinu Abrahæ reficitur, et mercedem accipit vitæ innocenter et pie traductæ: neque tamen hæc eò tendunt, ut sepulture prorsus tollantur, nam et sancti patres, Abraham, Isaac, Jacob, Joseph, de sepulturis suis morientes nonnulla mandavunt, et Tobias ab Angelo Domini commendatur, quòd mortuos contumulaverit; verum enimvero funebrem totum apparatus mortui utilitatem spectare decet, non viventium; mortuo autem cum solo Deo res est, qui, in defunctis, vitæ superioris approbat merita, ut puram castamque illorum qui vivunt mentem; non fastus illi gratus, non opum placet ostentatio, sed sancta fides ac fiducia in ipsum, tum caritas in genus humanum; eleemosynam si feceris, accipies, et misericordiam consequere, misericors; para et tibi et mortuis tuis amicos de iniquo mammona, ut in altera vita reperiatis qui vos excipiant in æterna tabernacula: Dominus, in evangelio, propter opera caritatis vel exhibita paradysum reddit, vel negata negat: tum de ratione eleemosynæ præcipit, ne fortunas tuas vicinis aut potentibus impartiaris, qui quum opus sit rependant, et velut beneficium fœnereris, quæ, *munera, merito quidam de seculo, hamata*, nominavit, ceterum tenuibus et mendicis largire, qui referre gratiam pari munerum genere non valeant, ita demum uberrimam a Deo mercedem recepturus.

:Quan-

Quantum igitur præstat vestire pauperes extraneos, quàm divites consanguineos! reficere esurientes profanos, quàm opulentos sacerdotes! et quod in ceram, magnasque sepulcrorum, et operosas moles, impenditur, tenuibus sive viduis, sive pupillis, et inopi hominum generi erogare! quanto certius hinc fœnus, et uberius! In die fletus tui, memineris eorum qui necessitatibus pressi semper flent; illorum lacrimæ tuis succedent; illorum lætitia te exhilarabit; illos reperiet mortuus tuus advocatos patronosque æterno illi judici gratissimos, qui causam suam agant, qui capite periclitanti tam anxie adsint, quàm in suorum ipsorum periculo. Satis apparet ex his quæ dixi, quid de viduis illis sentiam, quæ ut splendidè maritos efferant, creditores fraudant, vel legatis non satisfaciunt, quum hæc cura oportuerit esse prima: nihil hic necesse est disseram, quàm astringant homines debita; tum sanctitatem testamentorum quanti conveniat momenti esse; solidus duraturusque honor funeris in hominum animis situs est, non in pompa Justorum, nec tumulto marmore, vel ære, aut metallo pretiosiore, substructo; bono viri, quamvis humili, sepulture bene precantur omnes, magnifica malorum Mausolæa execrantur, hoc acerbius et odiosius, si sciant de inique parata pecunia erecta esse; quid dicam, si propria, vel per vim erepta, vel dolo detenta? tunc nullus dirarum finis, et justarum imprecationum; mortui debita in illum transeunt, qui hereditate ejus crevit; alienum æs quod maritus contraxit, naturæ, immo divinis legibus, tam debet uxor, quàm vir; quæ solvendo est, nec dissolvit, fur est; et in mariti voluntatem, et in conjugii caritatem, ac fœdera, et in leges Dei, contumeliosa est, nec ab humanis legibus libera.

DE MEMORIA MARITI.

CAP. III.

MEMinerit vidua, et hoc habeat semper ante oculos, animas nostras non una cum corporibus interire, sed exui corporis sar-

sarcina, et exsolvi vinculis istis corporeæ molis; mortemque discessum esse ac dissociationem corporis et animi, animas vero non ita in aliam immigrare vitam, ut rebus nostris omnibus penitus renuntient; auditæ sunt nonnunquam a viventibus, et multa de nostris actibus eventisque cognoscunt, vel ex sorte suæ beatitatis, vel interpretibus Angelis, qui inter nos et illas crebro commeant: quocirca oportet piam viduam existimare, non sibi prorsus maritum sublatum esse, sed tum vita animi, quæ vera et expressa vita est, tum etiam sua de illo perenni recordatione vivere; vivunt enim apud nos vel absentes amici, vel corporibus liberi, si viva illorum imago pectoribus nostris impressa, assiduis nostris cogitationibus quotidie renovetur, recensque semper vivat in nobis, et vigeat, interierunt omnino, si leto, hoc est, oblivioni traditi sint: Valeriam Messalinam Sulpitii conjugem interrogabant fratres sui post mariti mortem, quum et ætate esset adhuc integra, et valido corpore, et forma eleganti, nubere iterum an vellet? *Minime vero*; inquit illa, *nam Sulpitius mihi semper vivet*: hoc gentilis, et de immortalitate animorum incerta, quid christiana? Ergo memoriam mariti, non velut mortui, sed absentis, colet vidua majore veneratione ac pietate, quàm fletu; magnum illi jusjurandum erit per conjugis manes; sic agat, sic vivat, quomodo marito, jam non viro, sed spiritui cuidam simplici puroque, et tamquam numini placitura sciet; illum sibi observatorem et custodem apponat, non actionum exteriorum modo, ut antea circumseptum corpore, sed nunc eo exoneratum, liberumque ac merum spiritum, conscientia quoque suæ; sic familiam tractet, sic administret domum, sic educet liberos, ut gaudeat conjux, et bene secum actum sentiat, quòd talem post se reliquerit uxorem; ne ita se gerat, ut de flagitiosa et scelestâ femina irati manes pœnas sumant.

Cyrus major moriens, apud Xenophontem filiis mandat, ut ob immortalitatem animi sui, cultumque et reverentiam deorum æternorum, memoriam sui pie inviolateque conservent: sit vero finis aliquis lacrimarum et fletus, ne sic nos videamur lugere mortuos nostros, ut extinctos penitus, sed tamquam ab-

sen-

sentis: si tam venerabilem sanctamque esse viduæ convenit mariti memoriam, qua pœna dignæ illæ censebuntur, quæ maritorum manes maledictis et acerbâ insectatione prosequuntur? quæ aperte testantur nunquam illos fuisse sibi caros, dum viverent, utique nec futuros, quibus postea nupserint, nemo est enim a vitiis immunis, et qui non aliquid habeat, quod displiceat: quisquis eas audit non omnino stupidus, quid cogitare aliud de eis potest, quàm non futuras apud secundos alias, quàm fuerint primis? nam de priore amicitia experimentum sumitur ad sequentem: insanæ non vident et conditionem sibi per ejusmodi maledicentiam difficiliorem inventu reddi, et si rursus matrimonio jungantur, adduci maritos in suspicionem non minus se illis fore odio, quàm superiores fuerint; nam si illos amassent, nunquam potuissent animum inducere ad eum modum de illis et sentire, et loqui, quorum desiderio conveniebat, et amorem et pietatem esse auctam.

DE CONTINENTIA ET HONESTATE

VIDUÆ.

CAP. IV.

IN tradendis vidualis vitæ legibus, unde melius exordiar, quàm a Pauli dictis, qui ad Corinthios scribens, *Cælibes*, ait, *curare quæ sunt Domini, quemadmodum illi placeant, conjuges vero quæ sunt mundi, quemadmodum satis conjugii faciunt*? Ita, maritam convenit totam de mariti moribus ac arbitrio pendere, solummodo vero marito, ad conjugem se sanctarum omnium feminarum vertere, Christum Jesum: jam ergo abeat ornatus ille, et cultus corporis, qui quum maritus viveret, videri poterat illius oculis tributus, nunc marito mortuo, totus apparatus, tota vita ad illius voluntatem attemperanda, qui marito successit, mortali immortalis, homini Deus; huic vero sola comenda et excolenda mens est, quam sibi unicam despondet Christus, in qua acquiescit, et deliciatur: at componunt se nupturæ: quæ de virginibus diximus, huic congruunt loco; et multo minus

Tom. IV.

Oo

de-

debet ornari viduam, quæ non modo ipsa quærere conditionem non debet, sed ne oblatam quidem vel arripere, vel accipere; invita, et reluctans, et inevitabili necessitate compulsa, venit ad alteras nuptias proba mulier. Adde quòd in virgine toleratur cultus, fastiditur in vidua; quis enim non aversetur, quæ post primum virum adhuc nupturiat, ac profiteatur se alterum expetere, et repudiato sponso Christo, nubit diabolo, deinde homini, simul vidua, et conjux, et adultera? quanto facilius meliusque conditionem illæ reperiunt, quæ viduitatem habitu corporis, cultu, et moribus exprimunt? Capiuntur enim etiam obscœni, ac flagitiosi, honestate, virtusque vel malitiæ grata est; ita, ex iis quæ vident, conjecturam faciunt, si illas ducerent, et contingeret sibi prioribus fato defungi, cujusmodi essent viduas relicturi; nullus est maritus, qui non et suam mortem ab uxore doleri velit, et se desiderari.

Sed quum de conjugatis illa tum philosophorum dicta, tum Apostolorum præcepta habeamus, quid ipsos de viduis sentire par est, de quibus Paulus ad Timotheum scribit: *Vere vidua, et desolata, speravit in Deo, et insistit precibus noctes et dies, quæ vero deliciatur, vivens mortua est: hæc præcipe, ut irreprehensibiles sint?* Vivere creduntur iis, qui et ambulare illas, et edere, et bibere, et loqui, et ceteris vitæ muneribus fungi extrinsecus cernunt; si quis tamen immittere in penitissima viscera obtutum posset, seu potius in arcana mentis, videret peccatricem animam remotam a Deo, vita sua extinctam jacere. Hoc Paulus, hoc Ambrosius, hoc Hieronymus, hoc Augustinus, hoc Sancti omnes, una eademque sententia clamant: *Lacrimas, luctum, solitudinem, jejunia, ornamenta esse sanctæ viduæ*; porro, quæ convivium, quos lusus frequentatura vidua esset, quas choreas, Paulus ipse satis explicavit, quum *insistere illam dixit orationibus die ac nocte*: sic oportet sublato jam mortali marito, cum immortalis versari otiosius et liberius, confabulari crebrius et suavius: apertius eloquar: oportet viduam tum attentius orare tum frequentius, jejuna longius, sacrificio, sacrisque concionibus, multam adesse, legere studiosius, et se in contemplationem efferre eorum, quæ vitam moresque meliores reddant: Anna, Phanuelis

filia, de tribu Aser, quæ annos septem a virginitate sua cum viro marito exegerat, post octoginta quatuor viduitatis annos, a Christo Domino in templo reperta est; unde non discedebat, jejuniis et precibus diebus atque noctibus sedula et intenta: plures et majores in vidua, quàm in conjugata, virtutes exigimus; hæc enim accommodare se mortalis viri arbitrio debet cui nupta vivit, et divisa est inter virum et Deum; illa vero immortalem accepit conjugem Christum; unde fas est, ut præstantiora jam sint omnia, et tanto marito congruentia; nec divisa est, sed cuncta illi uni vacare, ut debet, ita et potest; verba pudiciora sint, et modestiora, siquidem speculum solet esse oratio, animi, et morum uniuscujusque; vetus dictum est: *Qualis vita, talis oratio*: nocent etiam cogitationibus spurca verba; *Corrumpunt mores bonos collocutiones male*; quod ex Menandro Paulus Apostolus ait.

Non modo viduæ verba ejusmodi velim esse, quæ incorruptè castèque quæ sit opus enuntient, sed quæ vel mores audientium instituant eruditione, emendent exemplo, quatenus est quoddam orationis genus ab homine profectum, qui magnam prudentiam magnæ probitati adjunxit, quod cum ad exprimendos tantum animi conceptus tendere videatur, obiter tamen eruditionem instillat, et excolit mores; neque vero quòd viduata conjugis humani matrimonii legibus soluta est, ideo nihil sibi crediderit non licere; sæpenumero ostendunt viduæ quales in connubio fuerint, et retegunt licentiâ viduitatis quod celabant mariti metu, ut aviculæ caveis liberatæ, ilico ad ingenium redeunt: hujusmodi viduas devitari Apostolus præcipit, quæ condemnationem præ se ferunt, quòd primam fidem irritam fecerunt; multæ enim vitia utcunque in conjugio dissimulata impetu effundunt, adempto viri obice quo cohibebantur; tum demum intelligitur qualis sit vel naturâ vel moribus femina, quum tantum licere potest, quantum libeat, nam sicut Hieronymus inquit: *Illæ vere pudica dicenda est, cui licuit peccare, si noluit, cui enim sola defuit occasio, huic omnia adfuerunt ad impudicitiam*: nunc oportet circumspectius agere feminam, quando vitia omnia ipsi imputantur, ut virtutum laus pænes eam

solam manet, quippe maritus dum viveret, utrorumque magnam partem in se derivabat: in viduitate Christus maritus facile aderit volenti sancte vivere, illique acceptum referendum est, si quid boni exit, nobis vero, si secus; et quemadmodum in proba uxore deliciae omnes collocatae sunt viro, sic credi vix possit ut cara, ut jucunda est Christo, quae vere viduam praestet, hoc est, cui in hac vita desolatae, tota spes ac fiducia, deliciae cunctae, et voluptates sunt in Christo: hujusmodi praecipit Paulus etiam ab Episcopis haberi in precio, multa enim per earum preces impetrat ecclesia a Christo: talis meruit inter primas cernere in templo Christum, et de illo iis qui aderant vaticinari: talis et laudatur testimonio Dei, et commendatur nobis jussis illius, nam per Isaiam ait: *Judicate pupillum, et justifycate viduam*: rursus in Psalmo, de Christo Domino: *Pupillum et viduam suscipiet*: et in Exodo: *Viduae et pupillo non nocebitis; si laeseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum, et indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, et erunt uxores vestrae viduae, filii vestri pupilli.*

QUOMODO AGENDUM DOMI.

CAP. V.

ETsi frequentem in templo, assiduam in orationibus voluerunt Sancti esse viduam, humanarum tamen rerum curae non exemerunt; Doctor ecclesiarum de viduis loquens ad Timotheum: *Si qua vidua filios aut nepotes habet, discat primum propriam domum pie tractare, et vicem reddere progenitoribus*: haec doceat vidua, haec discant filii, haec nepotes, modeste se gerere, et pie parentibus obsequi; plerumque id videmus evenire, ut sub vidua educati, minus iis quibus oportet pareant, corrupti nimia viduae indulgentia, ita ut in proverbium apud aliquas gentes, et potissimum nostram, abierit: *Alumnus viduae*: de male educatis adolescentibus, de juventute corrupta, praeferoeci, et perditis vitae rationibus; consulerem feminae viduae, ut curam educationis liberorum probo alicui et gravi mandaret viro, nam ip-

Alumnus
viduae.

ipsa amore caeca, nimium se putat severe tractare filios, etiam quando maximè indulget: non quin fuerint sapientissimae aliquot viduae, quae filios prudentissimè et optimè educarint, velut Cornelia quae Gracchos, et Veturia quae Marcium Coriolanum, ut hic quicquid praecclare gereret in republica, sive domi, sive foris, hoc stimulo pungeretur atque excitaretur, ut se matri atque educatrici suae approbaret. Quemadmodum instituendi sint liberi, dixi volumine superiore; illinc petat vidua, quae ad curam hanc facere existimet: de familia idem Apostolus inquit: *Si quis (et consequenter si qua vidua) suis, et maximè familiaribus, non prospicit, fidem abnegavit, et est infideli peior*: ceterum ne ipsa, praesertim si sit adhuc aetate non mala, admiscendam se habeat turbæ famulorum, audiat quid Divus Hieronymus suadeat Salvinae: *Tenera (inquit) res in feminis fama pudicitiae est, et quasi flos pulcherrimus cito ad levem marcescit auram, levi que flatu corrumpitur; maximè ubi et aetas consentit ad vitium, et maritalis deest auctoritas, cujus umbra tutamen uxoris est: quid facit inter familiae multitudinem? inter ministrorum greges? quos nolo contemnat ut famulos, sed ut viros erubescat: certe si ambitiosa domus haec officia flagitat, praeficiat his senem honestis moribus, cujus honor, dominae dignitas sit: scio multas clausis ad publicum foribus non caruisse infamia servulorum, quos suspectos faciebat, aut cultus immoderatus, aut crassi corporis nitor, aut aetas apta libidini, aut ex conscientia amoris occulti securus animi tumor, qui etiam bene dissimulatus frequenter erumpit in publicum, et conservos quasi servos despiciat*: haec sunt Hieronymi verba.

Familia vi-
duae.

Quibus hoc addo, ut et famulitium minuat vidua, virorum praesertim, et sibi grandiosem natu feminam adjungat, probam, prudentemque, sub qua vivat, quam de rebus, quae ad muliebrem curam pertinent, consulat; si ipsa gravis annis jam sit, senem asciscat consanguineum vel affinem, cui fidat; denique consilio semper utatur viri, quem sciat prudentia valere, et rebus suis bene cupere, et perspecta esse fide: prisci Romani feminas in virorum potestate semper voluerunt esse, tum patrum, tum maritorum, tum fratrum, tum propinquorum: habitabit libentius cum socru, aut affinibus, quam cum matre, aut

aut propinquis, simul propter mariti memoriam, cui tributum videri potest quod plus illius gentem et sanguinem diligit, quam suum, simul quòd in eam familiam translata est, cui liberos vel peperit, vel certe erat paritura: ad hæc, severior, quam inter consanguineos, creditur esse inter affines pudicitiae disciplina, ubi caritas putatur minor, et hinc indulgentia prope nulla, et compressior licentia; sed sancta mulier non adeo his movebitur, quanquam his quoque, ut mariti memoriâ ac pietate: sic Antonia minor Octaviae et Marci Antonii Triumviri filia, Drusi uxor, cum socru Livia consenuit; sic Ruth patriam et domum socru Noëmi posthabuit; nisi forte apud socrum, aut affines, sint lascivi aliqui et petulantes juvenes, qui existimationi maculam, castitati periculum, afferre possint, vel affines ipsæ mulieres haud prorsus honestè audiant: tunc enim ad consanguineos migrare consultius fuerit.

QUOMODO FORIS.

CAP. VI.

Vidua quid.

PRodeundum erit quandoque domo; id faciant contectæ, et re ipsa ostendentes quod nomine præferunt; vidua enim, et Græcè et Latinè, quasi desolata et deserta dicitur: multum ergo inter solam et comitatam viro intererit: si tantam et morum severitatem, et cultus, ab uxore exegimus, quid facturi existimamur in viduis? exemplum oportet illas esse continentiae, frugalitatis, pudicitiae; si exemplum, quâ conveniet illas comitas, instructasque diaboli armis, procedere, ut quum vanitatem animi proferant, tum laqueum Satanæ tendant pro exemplo Christi? optimè Sanctus Ambrosius: *Lugubri habitu, et severa ac tristi fronte, premi petulantes oculos, restringi libidines*: tutissimum erit rarius in publicum exire, idque socia gravi aliqua et proba femina, recta via quò intendas; templâ ne quæras, ubi frequentia sit, et celebritas virorum, sed ubi solitudo, in qua peccandi licentia sit nulla, orandi autem copia et occasio amplissima; cum sacerdotibus, ac monachis, nihil ne-

ces-

cesse habet multum versari, astutus est diabolus, et magno usu didicit qua quisque arte subverti possit, facile quod cupit efficit, nactus occasionem, quoniam aliud non habet in quod incumbat; si quem de pietate consulere vult vidua, deligat senem aliquem, cui libido jam emortua sit, nec tamen alia vitia renata, non attentum ad rem, nec qui assentari in animum inducat pecuniæ spe, solida et sobria eruditione, quique, tum ingenio, tum experimentis, prudentiam collegerit, ne aut mentem feminae plus quam opus est constringat, nec frena licentiæ remittat, nihilque vel antiquius habeat, vel carius, quam verum piisque; ad hunc referat vidua si quid dubitat, ignoret ceteros: Hieronymus Eustochio sic consulit: *Si quid ignoras, si quid de Scripturis dubitas, interroga eum, quem vita commendat, excusat ætas, fama non reprobatur, qui possit dicere, Desponsavi enim vos uni viro, virginem castam exhibere Christo; quòd si nullus sit talis qui possit exponere, consultius est aliquid nescire secure, quam cum periculo discere.* In foro, in consessu virorum, in turba, nihil esse debet viduæ; in quibus locis magnum est periculum iis rebus, quæ viduæ commendatissimæ sunt, pudori, pudicitiae, existimationi, et sanctitati.

Decet viduam ita agere, ut non modo sibi consulat, sed etiam aliis: in publico, sub oculis virorum, multis contrectantibus; paullatim effricatur frons, nutat cum verecundia pudicitia, adducitur utraque in discrimen; et si expugnata non est, certe oppugnata dicitur; et de expugnatione loquitur quisque, non quod verum est, sed quod libet: jam curæ mundi hujus ardorem illum cœlestium rerum frigefaciunt, et, quod Dominus in Evangelio suo testatur, inter sentes decidit semen, quod præsentis vitæ curis sollicitudinibusque suffocatur, nec sinitur in optimam frugem excrescere; ac ut mare, in quod venti incubuere, etiam num sedatis ventis, transactaque tempestate, agitur, sic humanus animus, solutus pridem negotio seculi hujus, illud adhuc animo et cogitatione volvit, et post laborem anhelat; nec continuo ab opere ad tranquillitatem suam redit; at commoto animo, cujusmodi futuræ sint preces, vides, anxietatis, confusæ, cœnum mundi istius spirantes, ut flumine aut fon-

fonte turbato, non licet puram et liquidam haurire; quies animi est, quæ nos altissimè ad divina colloquia sustollit, ut Magdalenam illam, quæ nuncio rebus humanis misso, sedebat juxta Domini pedes, verbis illius intenta; idcirco Christi elogio commendatur, quòd optimam elegerit partem quæ nunquam ab ipsa auferetur. At dicit aliqua, periclitatur patrimonium, intenditur mihi lis: de illo audi Ambrosium: *Ne dixeris, sola ego sum; castitas solitudinem querit, pudica secretum, impudica conventum: sed negotium habes, et intercessorem adversarii vereris; apud judicem pro te Dominus intervenit, dicens: Judicate pupillo, et justifyate viduam: sed patrimonium vis tueri; majus pudoris est patrimonium, quod melius regit vidua, quam nupta: servus peccavit; ignosce, melius est enim alterius culpam feras, quam tuam prodas: sic ille.*

Quid, quod ita videmus naturâ nostrorum ingeniorum comparatum esse, ut commendatissima sit iudicibus causa illius, qui vel infirmos patronos habet, vel nullos? Tunc enim in vicem patronorum succedunt iudices, quum contrà, patrociniis et advocatis minutissimis iudices plerunque adversentur; scilicet, ut nimias opes odimus, sic exiguas tenuesque adjuvamus, ut efferentes se dejicere atque deprimere conamur, demissos attollere; quin etiam, sic fere statuimus (sicuti prudens quidam vir dixit) ut in omni certamine qui potentior est, etiam si injuriam accipit, tamen quod plus potest, facere videatur; idem de patronis putato me locutum, quod de iudicibus; quâs omnibus probatior erit illius viduæ causa, quam viderint pudore impediri, ac cohiberi, ne ipsa probet; commendatior ejus, quæ minus commendat; verisimilior illius, quam sanctitati deditam, non credunt facile vel retenturam quod suum non sit, vel repetituram: ita sancta femina non litigatoris argumenta in forum affert, sed auctoritatem testimonii, et magni præjudicii gravitatem, illa vero loquax, et frequens, et proinde importuna, necesse est obtundat, et odio sit, et sibi quæ diximus patrocinia detrahat. Et hæc quidem vel de bonis iudicibus, advocatisque locutus sum, vel quos ipsa malos esse nescit; nam sunt quidam usque adeo pravi, et flagitiosi, ut in his jura, non æqui-

æquitate, sed turpi libidine, regantur, in quos publicæ disciplinæ severitas profecto animadverteret, nisi verissimum esset quod Sapiens ille dixit, leges aranearum telis esse simillimas, quæ minuta animalcula irretiunt, a majusculis rumpuntur; ceterum hos, si tales esse non ignorarit proba vidua (ilico enim fama reteguntur) non modo cum certissimo fortunarum damno vitabit, et fugiet, sed cum præsentissimo vitæ discrimine: idem censeat me de quibusvis lascivis libidinosisque dixisse: porro de circumcursatione, et de ædibus alienis, Pauli præceptum est, velut inhonoras esse rejiciendas eas viduas, quæ otiosæ domos circumeant; nec otiosæ tantum sunt, verum et garulæ, et curiosæ, effutientes quæ non oportet: sunt enim quæ jam, ut sibi quidem videntur, domesticis suis negotiis perfunctæ, alienis impudenter se ingerunt, et velut sapientes, suadent, adhortantur, præcipiunt, reprehendunt, cavillantur; foris mire oculatæ, domi cæcæ.

DE SECUNDIS NUPTIIS.

CAP. VII.

Secundas nuptias rejici in totum, ac reprobari, hæreticorum est; melius esse continere, quam iterum nubere, non modo consilium est christianæ puritatis, hoc est, divinæ sapientiæ, sed gentilis quoque, id est, humanæ: Germanas feminas (uti recensui) tantum virgines nupsisse, scribit Cornelius Tacitus, et cum aliæ maritis in prima juvena orbatæ, iterum uxores fieri noluerunt, tum insignes maximè, Valeria Messalorum soror, et Porcia minor Catonis filia, apud quam etiam, quum femina laudaretur optimis prædita moribus, quæ secundum haberet maritum, Porcia respondit, felicem et pudicam matronam nunquam bis nubere; Cornelia, Gracchorum mater, Ptolemæi Ægyptii Regis nuptias, ad quas post Gracchi mortem ingentibus promissis alliciebatur, recusavit, maluitque Cornelia Gracchi esse, quam divitis Ægypti Regina; in scena et theatris secunda matrimonia exagitantur etiam mimorum carminibus: Habent

(inquit) maledicti locum crebræ nuptiæ; et mulier quæ multis nubit, multis non placet: Valerius Maximus antiqua referens instituta, sic inquit: *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitie honorabantur; existimabant enim eum præcipuæ matronæ sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositæ virginitatis cubile, in publicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimæ cujusdam intemperantiæ signum credentes.*

Afferuntur nonnullæ a viduis causæ, cur nubere se præterant velle, de quibus hunc in modum Divus Hieronymus ad Furiam scribit: *Solent adolescentulæ viduæ, quarum nonnullæ abierunt retro post Satanam, quum luxuriatæ fuerint in Christo, nubentes dicere: Patrimonium meum quotidie perit, majorum hereditas dissipatur, servus contumeliose locutus est, imperium ancilla neglexit, quis procedet ad publicum? quis respondebit pro agrorum tributis? parvulos meos quis erudiet? et vernulas quis educabit? Et hanc, improb nefas! causam opponunt matrimonii, quæ vel sola debuit nuptias impedire: superducit mater filiis non nutricium, sed hostem; non parentem, sed tyrannum; inflammata libidine obliviscitur uteri sui, et inter parvulos suas miserias nescientes, lugens dudum, nova nuptia componitur: quis obtendis patrimonium? quis superbiam servulorum? confitere turpitudinem: nulla idcirco maritum ducit, ut cum marito non dormiat: aut si certe libido non stimulat, quæ tanta insania est, in morem scortorum prostituere castitatem ut augeantur divitiæ, et propter rem vilem, atque perituram, pudicitia, quæ et preciosa et æterna est, polluatur? si habes liberos, nuptias quid requiris? si non habes, quare expertam non metuis sterilitatem, et rem incertam certo præfers pudori? Scribuntur tibi nunc sponsales tabule, ut post paululum testamentum facere compellaris; simulabitur mariti infirmitas, et quod te morituram facere volet, ipse victurus faciet; aut si evenerit ut ex secundo marito habeas filios, domestica oritur pugna, intestinum prælium; non licebit tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis quos genuisti; clam porriges cibos, invidet mortuo, et nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem: quod si de priore uxore sobolem habens, domum te introduxerit, etiamsi clementissima fueris, omnes Comædi, et Mimographi, et communes Rhetorum loci, in novercam sævissimam declamabunt; si pridignus languerit, et con-*

do-

doluerit caput, infamaberis ut venefica; si non dederis cibos, crudelis; si dederis, malefica dicæris: oro te, quis habent tantum boni secundæ nuptiæ, ut hæc mala valeant compensare? Hæc Hieronymus.

Sed de continentie laudibus, et dissuasionem secundarum nuptiarum, quis ipse post Hieronymi torrentem, aut Ambrosii dulcem ambrosiam, queam dicere? ex illis petat, qui desiderat: nobis illa in hunc locum afferenda non sunt, qui non adhortationes ad aliquod vitæ institutum scribimus, sed præcepta de illo, quodcunque fuerit; quanquam in hoc, auctor essem castæ femine, ut in sancta viduitate perseveret, eo magis si filios habet, qui videtur conjugii finis et fructus esse: quod si in hoc degendæ ætatis genere non confidit se vel libidinis stimulos superaturam, vel famæ loquacitatem sinistrè suspicacem, audiendus erit Apostolus Paulus ad Corinthios: *Dico et viduis, et cælibibus, bonum illis esse si manserint quemadmodum et ego; sin vero non continent, connubio jungantur, præstat enim matrimonium contrahere, quàm uri: et ad Timotheum: Juniores viduas rejice; postquam enim licentiosè abusa fuerint Christo, nubere volunt, habentes præjudicium quod primam fregerint fidem; simul et otiosæ discunt domos circumire; nec otiosæ tantum, sed et nugacæ, et curiosæ, loquentes quæ non oportet: volo igitur juniores nubere, filios gignere, domesticam rem administrare, nullam occasionem maledicti præbere adversario; sunt enim quædam, quæ jam conversæ, secutæ sunt Satanam; nolunt quædam nubere, præterdentes libertatem; si ea est libertas spiritus, ut liberius te cunctam Deo dices sine cura mariti, quis id non probet? Sin vero, ut absque reprehensore aut admonitore facias, quicquid animo fuerit collibitum, libertas est carnis, et occasio non libertatis, sed exitii; neque est probæ ac prudentis femine indicium, postulare ut nullius potestati atque auctoritati subdatur sexus rudis ac infirmus, quem semper humanæ ac divinæ leges virili potestati ac regimini subjecerunt; aliæ secundas nuptias non amore puritatis ac castitatis recusant, sed gloriæ; quibus non aliud a Christo dicitur, quàm quod fatuis virginibus: *Nescio vos: et quod hypocritis: Recepistis mercedem ves-**

Pp 2

tram:

tram: istæ a maritis hominibus viduæ, vanæ atque infrugiferæ stultitiæ non tam nupserunt, quàm miserè et laboriosè serviunt. Videant tamen quæ nubunt, ne ilico a mariti funere, aut post paullum: id signum est viventes non amasse, de quorum morte acceptum dolorem, luctum, desiderium, tam breviter deponunt: et si quid de domo aut filiis providendum est, curent ante strepitum nuptialem, et ante dominium alterius mariti; nec parentibus, si habent, jus illud in se adimant, quin eis plurimum in quærenda conditione, atque adeo totum deferatur; neque enim quòd virum amiserunt, idcirco etiam patrem, et quia mariti legibus solutæ sunt, protinus et parentum quoque, quæ non minus debent nunc eis viduæ, quàm antea virgines.

Sancti viri Ambrosii sententiam de hoc habemus, qui in libro, de Abraham Patriarcha, primo, sic scribit: *Mulier si qua amisso marito adolescentula laqueum infirmitatis suæ timet incidere, si vult, nubat tantum in Domino, ut electionem mariti parentibus deferat, ne appetentiæ existimetur auctor si ipsa de nuptiis suis electionem sibi vendicet; expetita enim magis debet videri a viro, quàm ipsa virum expetisse*: sic ille. In locum parentum consanguinei atque affines seniores succedunt, illarumque castiganda est impudentia, quæ non solum inconsultis iis, quibus parentum reverentiam debent, sed invitis quoque, et interdum reclamantibus, ipsæ sibi maritos inveniunt; plane testificantur se non tam hoc agere ut carnis incitamentis sine scelere eant obviam, quàm hunc virum ad libidinem cum eo explendam appetere, facturæ sine connubio, si sine dedecore liceret; itaque respectui hominum, non Dei, conjugium præterditur, ne quis sit, qui reprehendere audeat vitium, cui objectum est sacramentum, Deus tamen reprehendet et puniet, cujus oculis nullum obstabit velum, quin vitium ipsum intueatur nudum apertumque, talia enim sunt omnia ante illum: si ratio pietatis tantum in earum valet animis, et effugere volunt culpam, idque unum queritur per conjugium, nihil debet ipsarum referre, quis sit maritus, modo a crimine vindicet per matrimonium; et hoc honoris illis habeant, quibus cœlesti oraculo jubentur obtemperare, ut cupido sit mulieris, electio parentis; significet mulier se velle nubere, pater declaret, cui

cui nubet: quid, quòd affectu occupatus animus, non satis quod è re futurum est dispicit, nam ea est affectus omnis natura, commovere, concitare, turbare omnia, obscurare veri atque honesti lucem, ut cerni non queat: sunt vero liberiores viduæ aliquæ, non propinquorum cura, quippe sapienter est a vetere populo Romano institutum, apud quem nulla femina ne privatam quidem rem sinebatur agere sine auctore, in manu esse voluerunt parentum, fratrum, virorum; sed quibusdam id ab auctoribus suis conceditur, ut sibi pro arbitrio maritum deligant; hæ viros quærant ejusmodi, quibus congruum sit viduas copulari; non juvenes lascivos, ludibundos, imprudentes, indulgentes, qui nec se, nec uxorem, nec domum, sciant regere, sed virum mediam ætatem prætergressum, sobrium, severum, reverendum, magno usu rerum, cordatum, qui totam domum prudentia sua in officio contineat, qui sapientia sua sic omnia moderetur et temperet, ut hilaritas quædam domi sit sobria, et pareatur sine contumacia, et in opere familia perseveret sine molestia, et pura sint omnia atque integra, quoniam illi hæc scient placere, cui se uni approbari omnes plaris facient, quàm toti civitati: quòd si velut coacta ad alteram conditionem pertrahitur vidua, par est ut nuptias occultet, quarum est ipsi desiderium turpe, ne id ostendet populo in quo culpam metuit; itaque secundæ nuptiæ silentio, ac pæne clandestinum transigentur, sine strepitu, ac choreis, et conjuges acquiescentes consanguineorum affiniumque conscientia, alienos devitabunt, ut conjunctos prius audiant matrimonio, quàm conjugii: nemo in fædo suo morbo medicinam sibi adhiberi poscit publice: nemo, nisi forte insanit, assecutum se prædicat quod expetisse vituperabitur.

Nuptiæ viduarum.

DE INSTITUTIONE FEMINÆ CHRISTIANÆ
FINIS.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS
AD ILLUSTRIS. D. JOANNEM BORGIAM,
Gandiæ Ducem,

P R Æ F A T I O.

QUUM olim de Institutione scriberem Christianæ Feminae, non arbitrabar futurum ut essent qui me ad scribendum de marito hortarentur, nec mihi de hoc argumenti genere veniebat in mentem; itaque aliqua illis voluminibus securus admiscui, quæ non magis ad feminam, quàm ad virum videri possent pertinere, nam non sperabam me deinceps commodiorem ea dicendi locum habiturum, nec erat ille admodum a re alienus atque abhorrens; verum opus cum spe atque expectatione mea felicius fuerit, lectumque sit a plurimis, et (ut modicè dicam) paucissimis displiceat, quorundam studia permovit ut a me idem de viro contenderent, quod in secundo operis illius libro de Femina feceram: quorum voluntati occupatissimis temporibus supersedissem obtemperare, nisi ii essent, quibus me aliquid negare, præsertim talia petentibus, propèmodum fuisset nefas: inter quos præcipuus fuit Alvarus a Castro, Joan. F. Burgensis, cum Londini in Britannia non solum eisdem uteremur ædibus, et quasi contubernio, verum etiam cubiculo communi, qui mihi amore, ac benevolentia mutua, fratris cujusdam vicem referebat. Huic ergo, impensius hoc desideranti, negare omnino non sustinui, itaque illi paucula quædam pro tempore annotavi, tamquam in commentario, quæ mihi tum videbantur ad id, quod tantopere cuperet, facere; idque nostra linguâ Hispanâ, nam latinâ non intellexisset; quæ deinceps, cum mihi penitus improbarentur, augere atque eliminare visum, et latinè conscripta ad Te mittere; non quòd Tu his, aut hujusmodi præceptis, quicquam indigeas, et per Te ipsum, et in tali conjuge, matrona lectissima, et gravissima, cui non dubito quin abunde magna et sancta lex sit pietas

ad-

adversum Deum, et in Te summa ac singularis, ut ei nullis sit aliis opus admonitionibus, aut præceptis ad vitam, sed mihi omnino statutum erat aliquid ad Te scribere, tamquam et inter nos pignus nostrorum inter se animorum, et ad alios luculentum indicium mutua nostræ benevolentia, qua ego non delector modo (est enim per se suavis amor omnis) verum etiam glorior.

Itaque plurimum conciliatoribus debere me intelligo, ac præ me semper fero, Jo. Andreae Straneo absentem, qui me Tibi istic effinxit, utique non qualis essem, sed qualem vel affectus ostenderet, vel judicium esse ut vellet suadebat; vicissim Te mihi ex Tuis virtutibus per litteras patefecit, ac declaravit, cum quibus admirabili consensu congruebant quæ hic mihi de Te narravit Honoratus Joannius, Civis noster, adolescens natus ad maxima, et (vivat modo, ac pergat quâ cœpit) futurum aliquando lumen nostræ civitatis: hic, quam existimationem de Te ex epistolis Stranei conceperam, commemoratione sua crebra auxit: qui ambo cum alia de ingenio et virtutibus Tuis dixerunt permulta, tum illud, quantopere et doctis et studiosis omnibus faveres, et ipsis bonarum artium studiis toto, quod dicitur, pectore cuperes optimè esse consultum; cujus rei esset maximum documentum, quod litterarium ludum Gandiæ institueris, in quo puræ atque elegantes literæ tradantur: sed Tu quantum doctis omnibus bene velis, possumus velut obsignatis tabellis planum facere, qui in epistola quadam Stranei ad me manu Tua adscripseris: *Dux Gandiæ, tibi, et tui similibus, devotissimus*: id est, iis quos Tu mei similes arbitraris, de quo Tuo errore non est hic disserendi locus. Quamquam in his, atque aliis multis, an ludit sors? an potius hominum ingenia miserè cæcutiunt? ut homines et opera sint in pretio, vilia ex se, et contemnenda, alia spernantur, dignissima plausu atque admiratione omnium ætatum? idque fit non quidem in felicitate eorum, qui quod meriti sunt non assequuntur, sed illorum, qui maximo se fructu fraudant viæ ac rationis bene vel sentiendi vel vivendi? de equo cognoscendo, domando, curando, de bove, de asino, rebus levissimis atque abjectissimis, multa sunt accuratissimè scripta et tradita, quæ, aut quomodo diligenda sit uxor, quemadmodum regenda, et amanda, quo-

mo-

Jo. Andreas
Straneus.

Honoratus
Joannius.

De mariti
aut uxoris
officio a ne-
mine hacten-
us scrip-
tum.

modo eligendus maritus, quem in modum colendus, quàm pat-
ci, ac prope nullus præcipit? idque leviter et perfunctoriè? quam
ea, qualiacunque sunt, frigent, et nullius sunt æstimationis ho-
minum, ac gratiæ? an quia libentius homines lecturi sunt quæ
voluptatem inanem aliquam adferant, quàm quæ utilitatem? ni-
si forte conducibilius existimamus scire equum regere, quàm fe-
minam, et comitem et sociam omni loco, omni tempore indivi-
duam: num alia de causa tot videmus infelicia connubia, et la-
crimis ac querelis referta, quàm quòd tum in eligendo est pecca-
tum, tum quotidie in convictu peccatur, dum uterque habenas
deposcit sibi, aurigandi prorsus ignarus?

¶ An minus opus esse arte ad moderandam feminam cense-
mus, quàm ad equum, quamlibet spirituosum, et sternacem? E-
quus si sessorem non ferat, pugnat viribus, sed quæ aliis viribus,
quæ arte, ita cohibentur ac constringuntur, commoveri se magis
robustissimus equus et bellator ut non valeat, quàm si pullus es-
set modo natus, et adhuc secundis involutus; at homo pugnat
viribus, arte, statu, fraude: probæ quidem matronæ, Deum et
virum amanti, non est sancita lex; amor est ei lex; illi vero,
quam nondum occupavit penitus ac sui juris effecit amor, multi
sunt cuniculi, per quos pravus animi affectus insinuat se, ut eò
evadat quò intendit; quò si perveniat, non minus viro, quàm
uxori, affectioni animi serviendum erit, hoc est, tyranno impor-
tunissimo; quibus nos aliis cuniculis occurrimus in contrarium
actis, apertis nonnunquam, interdum cæcis, et Heracliticis, sed
quos virum cognoscere et agere, vehementer in rem utriusque
fuerit: ergo et alias de uxore scripsi, sola voluntate vel juvandi,
vel excitandi, eorum quos optimo publico in commune profutu-
ros, si operam navassent, considerem: et nunc propositum adfe-
ro par; utinam cum successu non dispari; certe, in opere om-
nium utilissimo ac pulcherrimo, in quo laudabilis est conatus,
vel eventu omni destitutus ac desertus: equidem, pervellem ut
Tibi tam satisfaceret hoc de marito opus, quàm illud de femina,
dicunt mihi, uxori Tuæ feminae clarissimæ placere.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS DE OFFICIO MARITI,

LIBER.

¶ Ita visum est auctori naturæ quum venturis ætatibus funda-
menta poneret, ut quæ animantia et morbis mortique ob-
noxia condiderat et numero perpauca, ederent generatione fœ-
tus unde auctum uniuscujusque genus diutissimè propagaretur,
ut ex parvis admodum initiis unus atque alter in infinitam pæ-
ne multitudinem excrescerent, et ex mortalibus quandam velut
immortalitatem assequerentur: sed reliquæ animantes, promis-
cuè, sine ordine, sine ulla lege, naturæ obsequuntur, et libe-
ris dant operam, illaque est eis velut universalis quædam lex,
cui omnia animalia suâ sponte videmus obtemperare; tametsi
in eis sint, quæ ævum comparata transigunt, et connubii sanc-
tatem adeo incorruptè conservant, ut multa hominum millia
castitatem, caritatem, fidem, rationem conjugii, doceri ab il-
lis possent; quo in numero sunt olores, turtures, cornices, co-
lumbi: hominum autem genus, animal societati et communio-
ni vitæ natum, exactioribus conjugii legibus devinxit, noluit-
que soluta et effreni libidine vel marem per multas feminas va-
gari, vel feminam multis maribus corpus vulgare; legitimis nup-
tiis unum uni alligavit, et viro in manum feminam tradidit,
non solum ad sufficiendam sobolem, sed etiam ad vitæ socie-
tatem: hoc est quod in mundi originibus Moyses prodidit di-
xisse Sapientiam illam mundi architectatricem: *Non est bonum
hominem esse solum, faciamus ei adjutorium ipsi simile*: quantæ hinc
et quàm necessariæ utilitates! primum, ut, agrorum finibus jam
occupatis, possessis, et legum jurisque vi ac potestate concessis
ac confirmatis, tolluntur lites, sedantur controversiæ, sic per
legitima connubia datis uxoribus, cessant virorum inter se æ-
mulationes, quas necesse esset existere, si feminae essent incer-
tæ; nam alius formam, formæque voluptatem, ceu in medio
positam, expeteret, et omnia censeret debere in jus et ditionem

Conjugii o-
ri-
go.

Conjugii u-
tilitates.

virorum fortium concedere, tamquam præmium roboris; alius qui prior delibasset, velut præcepta possessione, acriter resisteret, et tamquam pro re sua depugnet; unde æmulationes, odium, rixæ, et ut est homo animal, si affectibus se permittat, superbum, ferox, impotens, ultionis avidum, plures rationes ac vias excogitat, tum ad animi libidinem explendam, tum ad persequendam et vindicandam quam ipse injuriam interpretetur alios sibi adjungeret, vel coactos metu, vel spe aliqua aut beneficio delinitos, ac illicefactos, unde partes primum et factiones, deinde bellum et acies, et sæva prælia domi ac foris, cujusmodi veteres memoriæ tradunt propter raptas feminas contigisse; velut Helenam Lacænam Tyndaro et Læda genitam, Lucretiam et Virginiam Romanas; propter Cavam Juliani filiam, Hispanias amisimus; in Britannia Henricus Secundus a filio suo regno est depulsus, quòd cùm juvenis Philippi Gallix Regis sororem diu adamasset, illique esset in Britanniam ad conjugium missa, pater forma captus, et amoris impatiens, destinatæ nurui stuprum attulit, filio res in Scotia gerente; puella in primo congressu juveni, quid accidisset, patefecit; is injuria commotus, regnum occupavit, patre expulso: præterea quæ sunt apud Plutarchum Chæroneum in libello de Amatoriis narrationibus: ; utinam non tot exemplis abundaret vita, quæ unusquisque de principibus et privatis hominibus facile posset percensere, quanta mala libidinis contentio invexerit!

Hic fuit aditus plerisque evertendis regnis, hic familiis, patrimoniis, magnis denique, per gentes omnes, atque acerbissimis periculis, et calamitatibus. Huic tam effreni, tamque late se se effundenti libidini, repertor connubiorum Deus, et pater providentissimus, miseratus hominum genus, modum statuit, conjugii legibus non tam charta scriptis et consignatis, quàm in uniuscujusque pectore insitis ac impressis: in quo quidem conjugio ad gentes ac nationes omnes, non illas tantum quæ ad humanos ritus ac mores ab humanitate et litteris sunt informatæ, verum etiam feras, et barbaras, melioris cultus ac educationis expertes, tantum vel benevolentix et caritatis, vel pudoris ac reverentiæ indidit, ut amoris impulsu neuter con-

Bella propter feminas.

jugum parem suum, vel relictum, vel mutatum velit, aut ubi deest amor, in ejus locum pudor succedit, ut nemo sit tam ab omni humano jure sensuque alienus, qui ignoret nefas esse manente connubio alios concubitus quæri, dignamque eam esse rem publico odio atque animadversione: jam, ad ædificandas ac constituendas domos, ad tuendam rem totam familiarem, unde civitates construuntur, quanta commoditas venit mulier in mariti domum, *adjutrix*, sicut Deus dixit, *ipsi similis*, certa socia, et ad vitæ finem mansura, particeps lætorum omnium ac tristium, futura communis sobolis mater? tuetur rem familiarem, et curat non secus ac suam ipsius; immo nullam esse aliam putat suam, quàm illam; et conservat eam, quam liberis se suis relicturam cogitat, quos ipsa non minus habet, quàm semetipsam caros.

Dici non potest quanto onere, qua molestia virilis animus levatur, sublimior quàm pro curis tam humilibus: sed haud scio an comparari hæc omnia cum liberorum educatione ac cura possint; hos enim certa conjugia certos faciunt, et ea de causa cariores; caritas autem efficit, ut tollantur, educantur, formenturque ad omne humanitatis genus, ac virtutis, non solum cum diligentia et cura, verum etiam sollicitudine atque anxietate; nam reliqua animantia, postquam enutriit ea mater sua, et ad justam quandam magnitudinem adoleverunt, satis ipsa per se ab natura sua instructa et edocta, relicta matre, atque æternum valere jussa, sibi ipsa sufficiunt, victum quæritant, et unde corpus vitamque tueantur, non alia aliis naturæ sponte vel meliora, vel pejora, nec parens agnoscit amplius natum, neque hic parentem; at homini, ut conditor suus præstantissimam rationem et excellentissimam vim mentis singulari quodam beneficio tribuerat, ita ipse peccato suo et virtutum semina corrupit, et lucem illam ingenii obscuravit: ; quòd si affectuum insistat via, ita in præceptis fertur, ut jam pæne alieni juris, nempe domini quem in animum admisit, illique mancipatus et traditus, immane dictu, quanta ex homine fit bellua! ; quæ nox pectori densatur! ; quàm degener sua origine! Caligo hæc cordis doctrina discutitur, atque illustratur, et prava ani-

Liberorum cura.

animi proclivitas moribus et consuefactione in melius flectitur; sed huic tam læsæ, ac vitiatæ naturæ, opus est cura, tempore, labore, assiduitate, et expectandæ sunt occasiones, dum adolescat, dum melius monentem intelligat, dum velit auscultare.

Differendus est interdum, et dissimulanda vitia, atque in tempus reservanda, dum sine periculo possint resecari; nec semel admonendus, sed iterum et sæpe, et objurgandus et cædendus; nonnunquam blandiendum, et amarori aliquid admiscendum mellis: quis erit tandem finis refingendi et reformandi hujus animalis, tam pravi ac deformis, tam subinde ad turpitudinem nutu et momento suo relabentis? quis tam inexhaustos labores, et cum die revertentes, in dubia atque incerta prole susciperet? Suscipit tamen caritate impultrice in iis, quos matrimonii fidem secutus, nihil dubitat esse ex se genitos: tum et parentum inter se amor in filios redundat, augetque adversus eos caritatem; sicut odium minuit, atque extinguit, quemadmodum in fabulis narratur, Medeam Colchicam, cum accepisset relictam se esse ab Jasone Thessalo, ductâ in suum locum aliâ, ea injuria exasperatam, et acerbo quodam in virum odio instinctam, communes liberos contrucidasse, et Domitius Ænobarbus filium Neronem, qui postea imperavit, quod sibi ex Agrippina natus esset, abominatus est, muliere feroci atque impotenti.

Vicissim quoque caritas erga sobolem, amorem mutuum conjugum corroborat, dum uterque alterum diligit, et quia parem suum, et quia eorum quos habet carissimos parentem, a quo videt non secus illos diligi quàm a se; ut amor geminus sit, tum rectus inter ipsos, tum reflexus a liberis, amamus enim eos qui caros nostros amant: ergo patres, bene erga certam sobolem affecti, suscipiunt, alunt pro facultatibus, instruunt, arcuent a vitiis, cohibent et comprimunt affectus; eliciunt rationis et judicii vim, ut ea potissimum utatur, cetera huic ceu reginæ pareant, instructos non deserunt, non abjiciunt, aut ab eis discedunt, ut ceteræ animantes, sed tuentur, complectuntur, quibuscunque possunt rebus ornant, fovent, adjuvant:

nec

nec in eis subsistit ea benevolentia, transit ad nurus, generos, affines, propinquos, unde maximæ sæpe amicitia ac conciliationes sunt natæ, et fundatæ civitates; descendit ad nepotes, ac pronepotes, curamque posteritatis, in ea natura quæ, capax et particeps immortalitatis, æternitatem, quæ post se futura est, intuetur, unde domus, et patrimonia, et familiæ constitutæ, ac generis mansurum nomen, et ceu cujusdam quasi gregis nota: quæ utique, sicut cum ad otium vel superbiam sunt parata, aliud non est ejusmodi familia, quàm flagitiorum et scelerum seminarium, ut quamdiu ea maneat, nunquam defuturus sit aliquis vel perditus, et nequam, vel ferox, et inquietus, atque alienæ libertatis violentus oppressor, dum solo nomine turgidus, aliis omnibus quamlibet bonis artibus confisis, postulat antecellere, sic contra pulcherrima res est, cum eò spectat, ut paratam in ea domo minores habeant certam aliquam disciplinam, artemque vitæ honestæ, et per veram laudem traducendæ; quam artem parentes liberis tradendam curant, seu melius veluti per manus cum hereditate gentis ac nominis tradunt ipsi, optimarum quoque actionum, in domestico exemplo ad imitationem, memoriam: his ex rebus omnibus quis explicare queat quantas sumus commoditates ad degendam vitam divino munere consecuti! multumque a brutorum conditione ritumque discessimus, et humanitas se ipsa exeruit, speciosissimamque ostendit, ordine, legibus, disciplina, quæ a vitiis nos abduceret, et in limine sisteret totius virtutis: data est una Eva uni Adam, sicut una Ecclesia uni Christo, quemadmodum Sanctus Apostolus interpretatur maximum illud fuisse mysterium, quod ad Christum et Ecclesiam pertineret.

Et unum debere unius esse, cum natura ipsa clamat, tum divina lex naturâ melior, et illius interpret atque explicatrix, ut verissima, ita certissima, nos edocet, primum, opificio ipso corporum, et ratione generandi, quæ ex duorum complexu corporum perficitur, sed occultiore quodam mysterio, quod duorum inter se amor optimus est, sine æmulatione, duorum vero, aut plurium, ad unum, æmulatione non caret, quippe difficile est ut unus æque et amet duos, et colat, et se amare

præ

Familiæ.

Unus vir unius uxoris.

præ se ferat; porro ex duobus, qui se magis quàm alterum redamari a tertio illo, in quem amor fertur, existimabit, insolens tamquam parta in certamine victoria, qui autem minus, dolore uretur, ceu victus, et invidet rivali id quod vel solus cuperet possidere, vel certe potior esse in possessione; unde odium, et rixæ, et molestiæ in re familiari, quæ vel ferocia virilis magno aliquo tumultu et perturbatione rerum decerneret, vel animi muliebris impotentia querelis atque importunitate, nempe armis suis, auget ac infestaret, penitusque intolerabilem redderet vitam, non solum subinde expostulans cum rivali non aliter quàm cum pellice, sed etiam cum marito; non id expedit quieti, et jucundæ tranquillitati, quam esse in re familiari convenit, ad quam se unusquisque velut in portum recipit, defessus ac defatigatus cura reipublicæ, aut privatæ, sed externæ; quòd si domi tam divexetur quies, et omnia sint odiis perturbata, ubi tandem virilis animus negotiis, curisque, hoc est, tempestatibus jactatus acquiescet? profecto in litibus fori, in undis illis et procellis concionum harere, in peregrinationibus morari mallet, quàm se ad penates, et intra domesticos parietes recipere, ad vitam usque adeo insuavem et acerbam.

Nam in amicitia, quamlibet plurium, unusquisque unumquemque, vel quisque alios respicit, non omnes unum ut dominum famuli, sed quasi in republica communionem quadam juris, duos porro aut tres ad unum spectare, id vero non amicitia est, sed rivalitas, aut dominium alicujus in multos; quo in genere invidentia solet existere, et simultates, et odia, cum aliquam in partem magis inclinatur favor a multis expetitus: idcirco, nascente mundo, unam Evam Dominus dedit uni Adam, sicut modo dicebam, et cum orbem perditurus esset, quos viros jussit in arcam includi ad instaurationem generis humani, singulis eorum singulas uxores attribuit: sed divina præcepta naturæ vim optimè declarant, quæ vis in nobis propter varietatem affectuum, qui in diversas nos partes rapiunt, corrupta, cœlestibus oraculis integritati restituitur: in Genesi Adam velut vaticinans dixit: *Futuros duos hominem unum*: quibus verbis Do-

mi-

minus et Deus noster addit: *Itaque perfecto jam conjugio, non amplius duo sunt, sed homo unus*: ut appareat non trium aut quatuor esse aptum conjugium, sed duorum; idem quoties de conubio loquitur, maritos aut uxores nunquam nominat, semper uxorem ac virum; et Apostolus Paulus in remedium libidinis suadet ut suam unusquisque habeat, nunquam suas dicit; verum apertissimè, cum Dominus vetat uxorem ulla de causa repudiari nisi ob adulterium, quòd si quis secus fecerit, et aliam duxerit, hunc pronuntiavit mœchum aperte, et uxorum multitudinem prohibuit; cur enim, si quis priore viva, alteram duxisset, adulter esset, si multas simul habere fas jusque esset?

Hæc quidem sunt naturæ leges; quæ utique sufficerent, si malitia nostra naturam reliquisset puram ac integram, et illi similem cum e manibus artificis sui egrederetur, sed scelere vitata est, et ad malitiam pronior facta; infirmitati huic remedia excogitavit insequens ætas, et ceu claustra sunt effudenti se vitio objecta, coercitumque robustius in dies ad mala seculum. Nam adolescente mundo primis illis humani generis incrementis, partim cum casas adhuc et speluncas avorum ruditas incoleret, partim jam extractis domibus, et urbibus constitutis, a primo vir et uxor domum tenebant; nati sunt liberi, erga quos incredibilis flagrat parentum caritas, naturæ facibus accensa; hi adulti uxores sibi asciverunt ad propagandum genus, et liberi succreverunt; per liberos transiit patrum in nurus, et generos, hinc et in nepotes amor; omnesque illa sanguinis caritate connexi, ac conjuncti, intra eosdem parietes remanserunt, participes ejusdem foci et laris, amore complectente universa, et omnia communia reddente, seu unum verius; serpsit longius propinquitas, atque affinitas; et cum jam essent numero permulti, tamen ab eadem re familiari non sustinuerunt abscedere, tum quòd illi jam inde a rudi ætate assuevisent nihilque est illa puerili consuetudine dulcius, tum quòd illic haberent, quos perinde amarent ut semetipsos, nec dirimi possent, nisi et a semetipsis viderentur distrahi divellique; alij, tametsi digressi, et in alias quasi colonias dimissi, tamen ad pri-

primam illam matricem, et originis domum, ceu in metropolin, et antiquam patriam, subinde revertebant, et familiariter versabantur.

Ergo homines aliqui, et ingenio peracuti, ut usu rerum callidi ac periti, viderunt inter adolescentiæ fervorem periclitari pudicitiae bonum, religione aliqua et latis legibus motus in præfervida ætate consurgentes comprimendos esse censuerunt; natura certe, matrum, filiarum, denique progenitorum et minorum suorum nuptias abominata est; quod satis declaravit qui, incorrupta adhuc natura, cum uxorem esset intuitus, dixit: *Ecce nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; propter hanc relinquet homo patrem et matrem: non relicturus, si posset ducere: fratribus sorores necessitas conjunxit, novo etiam num et infrequenti humano genere, cœpit paullatim hoc respuere humanitas, mundo jam frequenti, vetuere apud plerasque gentes hominum leges, prohibuit numinum religio, conjunctissimos sanguine connubiis vinciri; sic illis visum est posse fieri, ut fratres, patruales, consobrini, et qui arctissimo tenerentur propinquitatis jure, minus inter se concubitus expeterent, quos cogitarent incestos nefariosque esse, et superioris jussu ac voluntate prohibitos: nam, sive humana spectarent, legibus vetabantur, hoc est; civium consensu, et patriæ potestate, sive cœlestia, majestate numinis; ita futurum esse, ut tuta esset intra eosdem parietes juvenum propinquorum castitas, nam priscorum seculorum simplicitati atque innocentiae, ut ab aliqua re abstinerent, satis erat, fieri non solere.*

Cui populo Romano tot leges, aliæ super alias latæ, atque sancitæ, et postremæ quæque atrociores prioribus, tot minæ, tot errores, carcer, carnifex, gemoniæ, secures, crux, culeus, et per singulos articulos acerbissimæ mortes, ad arcendum a flagitiis non suffecerunt, horum majoribus satis fuerat edixisse, *Ne quis velit Quirites; in tantum cetera invalidi, adversus modestiam et pudorem fortes atque invicti sumus, nihilque animosius facimus, quàm virtutem contemnere. Simul cum nullum sit animans, cui magis in suo genere concordia ac benevolentia, quàm homini conducatur, et sit necessaria conciliandis ami-*

ci-

citiis, et caritati hominum inter se late diffundendæ, prospectum est, uti præclare M. Tullius, et D. Augustinus, scriptis prodiderunt, ut viri aliunde sibi uxores quærent, filia in alienas domos migrarent, magnam secum amoris conciliationem traducentes, ut iis affinitatis vinculis multi sibi optimè cuperent, qui ex iis viderent consanguinitates, propinquitates, gentilitates nasci, omnia denique humana et divina jura, et tamquam nodos ac conjunctionem pietatis; ita factum est, ut caritas illa, quam parens natura per totum humanum genus cum similitudine sui sparserat, ad paucos, adfectuum vitio, et scelere, contracta, rursum se per connubia, non modo in unum aut alterum proferret ac diffunderet, verum in domos, in civitates, gentesque, quæ multis sæpe, nonnunquam uno matrimonio, ex acerbissimis sunt dissensionibus in dulcissimam concordiam revocatæ: sed quatenus liceat aut non liceat in his progredi, quæ sunt et Romanorum legibus et Pontificum decretis sancita, non est loci hujus disputare, dicetur aliquando a nobis, cum, secundo Christo, de republica commentabimur.

Cum vero, post tantas et in animis hominum tenebras, et in voluntatibus flagitia, et in natura auctam malorum continuatione corruptelam, visum est divino consilio opus suum instaurare, misit illum eundem Filium suum, per quem orbem condiderat, ut et eum ad Patrem haberemus reconciliatorem tanti dissidii, ad nos illustratorem tenebrarum, et vitæ actionibus exemplar: ille, humi abjectum et cœno obrutum humanum genus, velut porrecta manu ad intuendum cœlum, ad luminis usuram, ad captum divinitatis erexit; et quasi classicum cecinisset, ita quotquot cœlestem illam vocem non repugnantibus animis audierunt, ceteris relictis curis, ac pro nihilo habitis, tantæ sibi ac reliquis parandæ beatitudini se accinxerunt: videbant, quicquid mundi artes ac sapientia pulchrum atque expetendum vel armis peterent, vel opibus ostentarent, vel philosophiæ præceptis scholisque loquerentur ac promitterent, id omne purius ac germanius incredibili compendio offerri, ac pæne in manus jam nunc dari; excitatus est incredibilis sequendi ardor, ut eisdem vestigiis, eodem quò dux an-

tesignatus Christus, perveniret, fervente adhuc ejus cruore, et accedente eorum pectora quoscunque attigisset, ut stupore defigerentur omnes, pænes quos erat imperium populorum et gentium, sive Reges, ac Imperatores, et magnorum exercituum domini, sive usu rerum et prudentia callidi, ad quorum consilium ac sententias de maximis deque minimis referebatur, sive professores sapientiæ, qui ceu in fastigio humanitatis collocati, et diis proximi, reliquos omnes sub se despectabant, omnia cernebant ab istis magno cursus impetu esse superata.

Nemo erat qui non admiraretur, unde tanta vis, qua tot millium corda ingenti conspiratione idem peterent, idem profiterentur, idem sonarent, idem assequerentur: non illis pecuniæ, non vitæ cura; non magistratus ambiebant aut ullam potentiam; domibus, familiis, parentibus, propinquitatibus, liberis, ipsis quoque renuntiarent uxoribus, ne quid expeditos, currentesque, moraretur, ne quid impediret certamen, et retardaret victoriam de vitiis, et hinc inauditum illud virtutis præmium: non erant de sarcinis et impedimentis solliciti, qui ex victoria se tam immensa adepturos bona nihil dubitarent: non vacabat, in tanta ævi celeritate, aliis cogitationibus dare operam, ab hac adeo immensa, et sublimi, raptis penitus atque occupatis: sed habet hoc tamen ardor ille pietatis nostræ, quod in eum a Christo manavit tamquam ex augusto quodam fonte, ut tam aliorum sit sollicitus, quàm securus sui; præditusque est ingenti prudentia, sed quo magis incenditur is ardor, hoc magis prudentia foras prominet, et oblita sui, aliis prospicit, si quid modo esse potest in tam effusa et flagranti caritate alienum; sed certe se in tuto collocavit, et fiduciæ plenus exclamat, *Quis nos sejunget a caritate Dei?* ergo pro aliis jam laborat, non pro se; vivit ipse, jam non ipse, vivit autem in eo Christus; itaque viventis in se Christi jussa exequitur, voluntati paret, ut illis, quacunque possit, bene consulat, quibus optimè consultum esse vult Christus, nempe gregi suo, pro quo nihil cunctatus est vitam impendere.

Quocirca, cum magistri illi tam pii cætus, et cooperatores Christi, recordarentur quod ipse idem Dominus de uxoribus

rogatus dixisset: *Esse qui se se ob regnum cælorum exsecuissent; sed non omnes id posse præstare; tantum eos quibus esset munere a cælesti Patre concessum:* ne quis inconsultò sequendi ardore, dum id captat quod ipsi divino beneficio non esset tributum, in plagas illas Satanæ improvidus caderet, quas ille plures occultioresque circa pedes eorum tendit, qui magno gradu ad perfectionem pulcherrimorum operum vadunt, monet atque hortatur Paulus, cautius ingredi, ac agere, et ubi plurimum latere periculi cernunt, ibi adhibent remedia præsentissima; eam potissimum partem muniunt, quam validissimis intelligunt machinis ab hoste peti: ille idem Paulus, magnus ordinum ductator, qui exemplo sui omnes provocat ut, universis pro quisquillis habitis, Christum nudum nudi ipsi, et crucifixum crucifixi, sequamur, consulit tamen, satius esse ad conjugium descendere, quàm in incendium decidere; scilicet, ne quis alienam pacem quietemque per injuriam et periculum conturbet, neve se se spurcis cogitationibus et actibus contamine, satius est uxorem accipere, quàm uri: ergo quemadmodum herba, vel radix, vel legumen aliquod, aliis cibus est, et quotidianum obsonium, aliis medicinæ loco exhibetur, ita conjugium, quod a principio naturæ fuerat, et procreandæ soboli a Deo repertum, incontinentibus et libidinis indomitæ pro remedio est tanti morbi: sit igitur nobis hoc positum, *Conjugium esse unius viri et unius femine, ad convictus communionemque vitæ totius, legitimam conjunctionem.*

Conjugium
quid.

DE ELIGENDA UXORE.

C A P. I.

ANTEQUAM de eligenda uxore verba facio, submovendus est mihi e mentibus eorum quos doceo, illorum furor, qui uxores non eligunt, sed invadunt, non ducunt, sed rapiunt, intervertunt, fallunt, denique invitas ad se adtrahunt: si esset mercimonium aliquod uxor, aut vestis, fortasse non adeo videretur absonum, illam quacunque ratione et arte nancisci, nam

quomodocunque parata, eundem usum præstaret; nunc cum sit futura individua socia, et nisi amet, quantumcunque vel opibus onusta, vel formæ elegantia, molestiam allatura, quæ dementia est, ab odio auspicari mysterium maximæ caritatis? Elicitur amor amore, probitate, fide, non extorquetur violentia; frueris fortasse tu quidem ad tempus opibus, forma, genere uxoris, uxore nunquam; illa demum sunt rectissima et optima, quæ naturæ suæ maximè consentanea; non rapuit Adamus Evam, sed a Deo Patre ejus in manus traditam accepit; non illam viro Deus obtrusit, sed ad eos invicem conciliandos alterum ex altero eduxit; similem formam et naturam dedit, ut unum etiam jam tum ante conjugium videri possent, non duo: rector humanæ vitæ est mentis iudicium, quod si in omni nostra actione non antecedit, in magna incidimus discrimina; cuiusmodi inter mortales quotidie contingunt; quippe qui, quod esuri aut bibitori sunt, multis antè rationibus ac modis explorant, quos ascituri sunt ad amicitiam, et vitæ communionem, tanto quàm cibus aut potio sæpenumero vel utiliores vel damnosiores, non explorant, sed præposterè amant priusquam iudicent; qui error, dici non potest quanta in vitam nostram mala invehat; unde tot amicitia per atroces simultates diffringuntur, et fœdè dirumpit affectus, quos affectus calidè atque imprudenter copularat, videlicet tales, quos nullum poterat vinculum diutinè continere; atqui prius est, et naturâ et ratione, iudicare; hinc sequitur, ut commodo tuo, vel amore complectaris, vel odio vites.

Quòd si faciendum est in deligendis amicitiiis, quanto accuratius in uxore, principe amicitiarum, ut prima inter omnia cara nomina? Epictetus Stoicæ sectæ philosophus ait: *Unamquamque rem habere ansam suam, qua si apprehendas, optimè ac dexterrimè uteris*: eaque est vera et absoluta prudentia, scire quorsum quæque res spectet, et quis ejus sit a natura illi tributus usus; si in uxore ducenda de sobole modo et convictu cogites, haud facile in ea deligenda a recto aberrabis, quæ maximum est momentum ad viri felicitatem aut miseriam, quemadmodum scite est a Xenophonte in Oeconomico scriptum, nam ut

quid-

quidque homini est conjunctissimum, ita validissimum est vel ad juvandum, si sit bonum, vel ad nocendum, si malum; graviora sunt corporis damna, quàm externa; et animi, quàm corporis; eundem in modum in eorum utilitate, quæ bona nuncupamus. Videbitur id fortasse nonnullis haud perinde in universonum pronuntiandum, quippe sunt complures, quibus gravior est pecuniæ quàm valetudinis jactura; id vero non ex pecunia, sed eo quod sibi animus persuadet rem esse atrocem, atque intolerabilem, amitti pecuniam: itaque non pecunia vincit valetudinem, sed affectus: quo fit, ut sint qui levius ferant regno deturbari, quàm multi si exigua patrimonii portio adimatur; alii verbulum atrocissimè ulciscuntur, alii et alapas et fustuarium negligunt; hæc omnia ex animo, qui in homine plus potest polletque, quàm corpus, nempe interior et conjunctior homini, atque adeo homo ipse, sicut Platoni videtur.

¶ Ergo si amicum, tantum refert ad bene aut secus vivendum, qualem habeas, qui tamen non eodem tecum, vel lecto, vel cubiculo, vel etiam tecto, habitaturus sit, certe licet relinquere, quanto est id magis censendum de uxore, quæ tecum est perpetuo versatura, ad mensam, in conclavi, in lecto, in arcanis, denique in ipso tuo pectore? Domo si abis, huic domum, huic familiam, rem familiarem, liberos rem omnium carissimam, et jucundissimam, committis ac concredis; hæc ultima dimittit discedentem, hæc recipit prima redeuntem, ex hujus complexibus atque osculis dimitteris, hujus complexibus atque osculis reciparis; huic si quid gaudes aperiendum est, huic si quid dolet; cœlitum vita est, versari cum quibus libeat, et quos ames, inferorum ea est præcipua calamitas, quòd omnes mutuo oderunt, et coguntur videre ac versari cum quibus minimè vellent, nec tamen discedere, aut separari datur. Hinc videmus tam graves in quibusdam conjugiiis casus, et fœda facinora, mutilationes, cædes, neces, per homines desperatos, quum retinere piget, quod rejicere non licet: gemina igitur est via, et anceps, in connubio, quarum altera ad miseriam ducit, altera ad felicitatem; in earum capite anxius tibi et sollicitius deliberandum est, quàm fecisse Herculem illum inter

Voluptatem et Virtutem sophista Prodicus fingit apud Xenophontem in primo volumine Commentariorum; et quando res tanti est momenti, ne gravetur Lector legere, nam ego non gravabor rem aliquanto fusius explicare.

De electio-
ne.

Electio quum aliud non sit, quàm assumptio eorum quæ congrua videntur fini præstituto, quisquis electurus est, hunc oportet finem primum spectasse, hinc quæ fini convenient non ignorare; prudentem ejuscemodi hominem esse necessum est; neque enim alius, et finem probe destinabit, et quæ fini accommoda sint, nisi prudens, perspiciet: porro, nemo prudens est, nisi rerum notitiam usu et experientia consecutus, tum qui affectionum motibus minimè concitatur, quâ efficitur ut iudicio minus valeamus: hæ duæ res, imperitia et animi perturbatio, in causa sunt, cur juvenes non perinde de rebus bene statuunt, ac senes; ignorant enim vitæ negotia, et novi ad omnia, facile capiuntur, hinc affectus conciti, quid in quaque consultatione rectum sit, quemadmodum oportet, offusâ menti nebulâ, non dispiciunt; quapropter ita expedit fieri, ut juvenes curam uxoris deligendæ ad parentes referant, qui cum plus vident quàm juvenes, et animorum tempestatibus carent, tum, quod in dando consilio potissimum est, non minus liberos suos amant, nec illis vellent aliter consultum, quàm sibi, parenti enim fere carior se ipso est sua soboles, quod non semel magnis est exemplis demonstratum: cavendum est juveni, ne dum ipse, aliquod perturbati animi iudicium secutus, eligit, brevissimam voluptatem sempiterna pœnitentia commutet; magno ac perpetuo rerum usu atque experimentis deprehensum est, rarâ esse fortunata connubia, quæ clanculum inter juvenem et puellam coierunt, contrâ, perpauca infelicia, quæ sunt parentibus auctoribus confecta et confirmata.

Vetera omnia conjugia gentilium ac Judæorum ita coierunt: parentes auctoritate sua utrinque rem transigebant; liberis nefas erat ab eo discedere, quodcunque visum esset parentibus de ipsis statuere: illud sunt tamen senes admonendi, videant etiam atque etiam, ne quid in liberis suis conjugandis spectent aliud, quàm illorum quietem, facillimamque, et quoad ejus

præs-

præstari poterit, jucundissimam agendæ vitæ rationem; habeant ante oculos, non vanos aut stultos honores, non invidiosam et male tutam potentiam, non inquietas factiones, non id quo maximè ætas illa (ad alia satis cauta ac perspicax) fallitur ac tenetur, aviditatem opum; hoc est enim liberis miseram vitam et onus intolerandum imponere, dum ipsi suis obsequuntur affectibus: quòd si tu vel claritudinem, vel opes, vel potentiam, vel dignitatem paras filio, ut aliquid inde ad te derives, quid aliud hoc est, quàm filio abuti ceu administro cupiditatis tuæ, ut dum tu quod concupisti assequare, nihil dubites filium in tantam malorum voraginem detrudere, quam ipse non perferret sine tacita tui execratione, sæpe etiam aperta, et alta? Si quis, sive senex, sive juvenis, ipse per se, non satis quid in re sit, perspicit, adhibeat in consilium super tanti momenti negotio, quos et prudentes esse arbitretur, et sibi bene cupere; et, cum in reliqua omni vita, tum vero in hac cura et deliberatione, quæ est ceu vitæ totius cardo, minimè omnium popularibus est opinionibus assentiendum; an est aliquid magis absonum, inconditum, incompositum, quàm multitudo, bellua (ut prudentissimè dixit ille) multorum capitum, quam si quis sequatur, fieri aliter nequit, quo minus eisdem involvatur malis, quibus illa, et quemadmodum ipsa vivit sic et is vivat, nempe miserrimè?

Quæ tandem esse potest prudentia, ubi affectus sunt incitatissimi, præsto semper jussis ignorantia? quale vero est, ut hic aut ille domi ob male delectam uxorem infelicissimus, postulet et contendat a me, ut eundem in modum ego eligam, quo ipse elegerit? quorsum id? an ut eisdem ipse miseriis intricer, et ille ex querimoniis meis vel culpam suam tueatur societate eventus, vel solatium aliquod fortunæ suæ capter, quam sibi cum aliis videat communem? Eligat prior, ostendat se suavissimè ætatem agere, nec iudicii sui pœnitere, tum me ad vitæ similitudinem, et eandem viam ineundam exemplo suo vocet; nam si ipse pœnas dat quòd male elegerit, vocet potius ad diversam eligendi rationem, et naufragus scopulos ac pericula demonstrat evitanda. Si quod bonum, vitæ profuturum,

pre-

precibus a Deo et votis petitur, maximè petenda est uxor bona, redditura et res prosperas lætiores, et leviores adversas, contrà vero, mala et secundis insolescet, et tristibus despondebit animum, ut in neutrâ sit fortunâ tolerabilis; ut non injuria Galli proverbio lingua sua jactent: *Non potest vocari bene natus, qui non est bene conjugatus*: Socrates, apud Xenophonem, eos qui a diis vel uxorem, vel opes, vel potentiam rogarent, perinde dicebat facere, ac si peterent ut aleam sibi ludere, vel prælium committere liceret, quarum rerum exitus sunt incerti; bonam mulierem si quis roget, exitus est certus, et beneficio quodam summo ac singulari a Deo tribuitur, sicut testatur in Proverbiis Salomon: *Domum et divitias hereditate liberis relinqui a parentibus, uxorem vero prudentem proprium esse munus Domini*: et Jesus filius Sirach: *Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis*. Ceterum ut quisque quantum sit a femina expectaturus sciat priusquam eligat, paucis verbis statui muliebri ingenium explicare, ne quum ea expetierit quæ non multum absunt ab impossibilibus, non esse se consecutum gravissimè ferat, velut deceptus, et debito fraudatus.

Hominis ingenium.

Homo ex corpore constat et animo, in animo tamquam duæ sunt partes, superior, in qua judicium, consilium, ratio, quæ mens dicitur, inferior vero, in qua motus illi et æstus perturbationum, quæ Græce *πάθη* nominantur; affectus ex opinionibus nascuntur; opiniones vero aliæ in aliis plus aut minus valent, pro constitutione ac ratione corporis, pro moribus atque assuefactione; ætas, valetudo, victus, tempora, loci, multum ad eam rem faciunt, quæ omnibus corpus afficitur ac mutatur, et proinde ea quoque animi pars quæ corpori est adjuncta, quam inferiorem nominavimus: ergo affectus omni sexui, ut omni ætati, sunt communes, quemadmodum persuasiones de rebus; sed alii tamen validiores, aut crebriores in mare, quàm in femina, aut contrà; natura, quum humanum semen in maternis locis tamquam pinsit, et corporat, si satis nata est calor, marem edit, sin minus, feminam: itaque, quando ei deest præstantissima qualitas, et in primis actiosa ac vivida, est animal femina imbecillum, non modo in humano

Femine ingenium.

ge-

genere, sed in alio quocunque, proportionem generis ac notionis suæ, tum inter homines infeliciore valetudine, auctu recrementorum, quibus discutiendis calor non sufficit, unde statimenses, quoties non fert uterum; est etiam meticulosa, quandoquidem calor animosos facit; avara, metu ne desit, et tacito naturæ admonitu infirmam atque invalidam se esse, cuique multæ res sint opus; occupata in cura rerum minutissimarum, tamquam caducum ædificium fulciendum sit multis bacillis; suspicax ex metu, querula, invida, variis cogitationibus agitata, et concita, unde in longo et multiformi negotio imprudentia; tum occultâ suæ imbecillitatis conscientiam despici se suspicatur; hinc in debili materia, et quasi stupa, continuo inflammatur ira, ultionis cupidine accensa; amatrix ornatus, quo se contemptui eximat; et ut debilis, et casui obnoxia, undique quò innitatur, quærit: ergo videas nonnullas, trahentes ad decus res minimas, ac levissimas, ut quòd vicinum habeant potentem, aut quod sint comiter a principibus salutatæ, vel appellatæ; ut illa præteream, quæ plerisque eorum qui robustiores credi volunt, videntur maxima, genus, opes, formam, necessarios: ex eodem metu nascitur superstitio, nam ut religionem suadet sapientia, ita superstitionem vanus quidam terror; loquacitas illis, partim ex varietate cogitationum affectionumque, proficiscitur, quarum ut aliæ aliis subinde succedunt, ita alia ex aliis veniunt in mentem, et inde in buccam, partim ex suspitione, et metu, ne si taceant, vel in reprehensione aut jurgio existimentur ex conscientia facere, vel in colloquio ex imperitia quod quid locuturæ sint nesciant.

Hæc quæ diximus omnia naturæ sunt, non sexus, idcirco nec in solis sunt feminis, sed in multis etiam virorum, qui muliebri sunt ingenio, vel natura sua, et prima illa constitutione corporum, quæ mutari in totum nequit, vel fiunt ætate, sicut pueri et senes, vel casu aliquo, ut qui diuturnis ægritudinibus corporis aut animi tenentur; neque in omnibus feminis sunt hæc omnia, neque in iis, quæ habent, ad eundem semper modum; fuerunt enim, et sunt non paucæ, robustiore ac virili magis pectore, quàm virorum plerique, cujusmodi apud

Tom. IV.

Ss

gen-

gentiles memorantur permultæ: Cleobulina, Hipparchia, Diotima, Lucretia, Cornelia Gracchorum, Porcia Bruti, Clœlia, Sulpicia, sed apud nos Martyres innumeræ, quibus nec loquaces Athenæ comparari valeant, neque bellatrix Roma: nec ætati nostræ voluit Christus deesse exemplum, multum etiam ad posterum manaturum, quod præbet Catharina Hispana Britannicæ Regina, Henrici Octavi uxore, de qua verius dici posset quàm quod de Lucretia Valerius inquit, *Virilem ejus animum errore naturæ muliebri corpus sortitum esse*: pudet me mei ipsius, et virorum qui tam multa legerunt, quum feminam illam conspicio, tantâ inter res adversissimas ac tristissimas tamque robustâ virilitate pectoris, ut nunquam quos de fortitudine, ac animorum robore, vetustas famosa memoriæ posterorum commendavit, tanta animi constantia, tamque invicto tenore probitatis, et sævientem fortunam pertulerint, et rexerint blandientem; si tam incredibilis virtus in illa incidisset tempora, quum honos erat propositus magnis virtutibus, jam olim hæc, et heroinarum splendorem obscurasset, et in templis tamquam Numen cœlitus demissum adoraretur; tametsi nec illi templa desunt; neque enim amplius illi aut magnificentius potest erigi templum, quàm quod ei per gentes omnes unusquisque in adyto pectoris sui ex virtutum admiratione construxit; sed hæc, omnibus nunc cognita, dicentur aliquando a multis cum merita cura et dignitate.

Verùm superiora illa hunc in finem sunt a nobis dicta, ut quemadmodum mutari non potest vir, neque affectibus prorsus exui, sic nec speret quisquam feminam se a ratione naturæ suæ, quam secum ab utero eduxit, in aliam quandam traducturum; melior poterit fieri, et affectus rediget in suam potestatem institutione ac usu, abjicere et tollere penitus tam poterit, quàm non esse femina, immo vero quàm non esse homo: summa hæc est; hominem semper futurum hominem, hoc est, animal imbecillum, invalidum, mutabile, morbis expositum, affectibus subditum, proclivitate malum, quod disciplina emendatur, prava autem assuetudine fit pessimum: ferendi sunt affectus hi in femina, sicut in amicis viris eos ferimus, quos habent, nisi humanum omne refugientes consortium, in silvis ac

Catharina
Regina Angliæ.

Homo semper homo.

so-

solitudinibus edere vitam animum inducamus: et hoc æquius muliebres sunt ferendi, quod viriles ferociam quandam habent, nec facile domantur, aut regi se sinunt, falsaque libertatis specie, quam superbia genus hominum edocuit, frenos indignabundi respuunt, ac excutiunt, feminei vero ut infirmiores, ita et demissiores sunt: ergo tu illos in potestatem tuam rediges, et eis, seu virili robore, seu ingenii acumine, seu prudentia ac rerum usu, dominabere, longeque est gravius herum malum perferre, quàm servum.

Dubitandum non est, quin talem conveniebat esse feminam, ut quæ esset in viri manu ac potestate victura, divinamque illam sapientiam attigisse a fine usque ad finem fortiter, et disposuisse omnia suaviter; admiranda sunt Dei opera, et adoranda; nemo illa reprehenderit, quod est abominandum nefas; nemo ita ad disquisitionem vocarit ut sententiam de illis ferat, quod non fit sine insigni quadam temeritate inconsiderantiæ, vel sine impietate malitiæ; nos inscrutabilem illam et immensam divini consilii rationem non assequimur; quædam tamen procul, ac velut in tenebris, et sicut Paulus inquit, *Per speculum in enigmate, conspiciamus quantum sat est huic peregrinationi transigende, ex quibus hanc licet sumere conjecturam: etiamsi mutari animorum affectationes possent, et pro muliebribus viriles reponi, tamen esset viro recusandum*: principiò, si robusto femina esset corpore et animo, quomodo pati posset viro se esse subditam non potentiori se? an non, viribus et audaciâ freta, insolesceret, regnumque domus et familiæ deposceret, vel viribus et certamine decernendum? audacem quis domi contineret, aut a turba frequentiaque arceret? profusa nunquam conservaret a viro parta, quo nihil est in re domestica magis necessarium; si res minutas negligeret, quomodo domesticum instrumentum, quod ex tam multis et exiguis rebus constare est necesse, coli et conservari posset? quomodo suppellex præstari sarta tecta, in qua sunt tot scruta, vilia, detrita, confracta, fila interdum, et leves flocci? quis obiret munia illa domestica, aut rem culinariam tractaret? quis enutrirer et curaret filios? quæ crux virili esset pectori, ista exequi? abjiceret citius omnia, et domui re-

Ingenium
femine congruere illi
sexui.

Ss 2.

nun-

nuntiaret, malletque in silvis degere, quàm in tali pistrino; loquacitas lenimentum interdum est virili animo, publicis aut privatis curis defesso, ac confecto, dum adsit modus, et pueros docet tum loqui, tum ea quibus ætas illa capitur, ad quæ ægre se se virilis sublimitas demitteret; jam ornatus, munditiam parit rei familiaris, rem non tantum commoditati vitæ, et refectioni animorum perutilem, verumetiam sanitati, quæ dici non potest quantum sordibus atque immunditia lædatur, nec ingenium satis videtur mihi mundum, in squallore ac sordibus; invidia vero atque æmulatio inter eas, quum in rabiem non exit, multas earum virtutes artesque exacuit; diligentiam domesticam, custodiam decoris, ne quid faciant aut dicant in quo possit ulla probri aut vituperii suspicio adhærere; nec superstitio est in femina intolerabilis, caveatur tantum ne ejusmodi anxietas veram germanamque religionem vel extinguat penitus, vel opprimat; nec mihi satis probatur mulier, quæ non aliquantum ad superstitionem vergit, ex ingenti quadam religionis cura, nisi forte sit aliqua ex absoluto illo perfectoque matronarum genere: ergo hæ sunt ingenii muliebris pronitates, quæ reflecti ad rectum poterunt, sicut et viriles, quemadmodum in sequentibus declarabitur: interea nulla est cum hoc ingenio repudianda, nisi nullam velis, atque adeo solus malis vivere, cujuscunque societatis expers.

Connubii finis.

Soboles.

Jam vero connubii finis soboles est, et convictus; in utroque horum multi flagitiosè delinquant; nam alii nihil pensi habent ex qua sibi liberos progignant, quum contrà, deceat quo ipsi vel fortunæ muneribus, vel naturæ sunt dotibus præstantiores, hoc diligentius accurare ne tam generosum semen in arvum projiciant aut malignum, aut quod optimum semen prava quapiam qualitate corrumpat; etenim id videmus navos atque industrios agricolas in primis providere, ut solum sibi deligant semini par, ne opera atque impensa pereat si ager vitio aliquo inquinatus malignam ac degenerem frugem emiserit, hocque impensius voto se dejectos ac frustratos dolent, quo spem uberiores bonitas seminis fecerat: accedit huc, quod parens quo tenerius filium diligit, eo acrius uritur vitia illum ex matre pro-

prope incurabilia duxisse; et de sobolis ob matrem dedecore non parum mœroris ad patrem redit. ; Jam convictus quanti est Convictus. momenti ad vitam! quum nihil sit in ea acerbius, quàm socium habere longi itineris, vel contubernalem, malum, aut stultum, aut stupidum, satiusque sit, solum omnino vivere quàm cum malo, et cum canicula lusitare quàm cum fatuo sociare colloquia; ; quæ dementia est, nihil arbitrari ad rem facere, quo ingenio, quibus sit moribus, mulier, cum qua semper de die, de nocte victurus es, immo vero moriturus, si molesta contigerit, et contra animi tui sententiam? ad sobolem Ad sobolem quæ spectanda. spectanda sunt duo, corpus, et animus uxoris; illud, ne nimis sit deforme; Ephori apud Lacedæmonios mulctam dixerunt Regi Archidamo, qui uxorem brevi corpore duxisset, unde qui nascerentur, regiam personam ac dignitatem non satis honore corporis tueri ac sustinere possent: quanquam hoc non tantum est, ut si reliqua abunde adsint, recusanda sit ea de causa uxor; nam speciosissimos vidimus juvenes, matribus genitos et statura pumilis, et corporibus distortissimis: magis illud providendum, ne quo laborent morbo ex iis quos Medici hereditarios vocant, qui a parentibus in liberos transfunduntur, inter quos sunt fœdi nonnulli, et qui officia vitæ impediunt; ab his est diligentius cavendum, quàm ab aliis vel levibus, vel non perinde retris, atque abominandis; quin ipse, si quo laboras horrendo atque aversando, vellem, eum ad modum, vitæ tuæ rationes constitueres, ut vivere cœlebs posses sine delicto.

Quàm enim dulcissimum est genuisse, tam est acerbissimum videre liberos gravi morbo afflictos, quem sæpe optemus, fieri si posset, in nos translatum potius, quàm in illis tanto cum dolore nostro aspicere: hinc animus contemplandus, ut natura sit sanus, ne parentis insania, vel contagio corporum proli adhærascit, vel educatione, ac moribus: idem sit mihi de viro dictum: hoc enim est boni et sapientis hominis, nolle ut infortunium suum ad multos pervadat, sed se uno concludatur; quòd si in amicos viros ea sumus caritate præditi, ut accuratè demus operam ne ad illos mala nostra velut contagione quadam serpent, ; quanto decet magis in liberos nostros ad eum

eum nos esse modum affectos? hoc vero consilium putent patres datum esse et sibi, in eis conjugandis, ne tales videant nepotes, et successionem gentis, nam ipsis juvenibus sine mente, sine sensu, frustra canitur carmen; et quo dementiores sunt, hoc se alios omnes ingenio ac rerum usu antecellere opinantur; illud est enim insanix caput, sanissimum se existimare: adde his, ne animus sit educatione ac moribus malus, pravusque, quod cum propter mares periculosum est, tum vero propter filias pestiferum, quippe quæ apud matres educantur, et earum consiliis obtemperant, et facta dictaque student effingere, ad quæ velut ad optimum quoddam exemplar se componunt: de genere non perinde oportet esse in hac de liberis consultatione sollicitum, te enim soboles sequetur, non matrem: hæc de prole.

In convictu
quæ obser-
vanda.

Jam de convictu: in quo expendenda sunt bona et mala, commoda et incommoda; amor enim, unde amicitia nomen ducit, ex opinione boni et pulchri oritur; hoc idem est amicitix vinculum; quod ubi primum sublatum est, amicitia quoque dissolvitur; idcirco inter solos bonos est vera et duratura amicitia, in quibus is vitæ ac animorum tenor constans est et perpetuus, mali vero, qui prava sunt cupidine aliqua conciliati, non diutius sunt amici quam ejusmodi cupiditas hortatur ac impellit, quæ simul vel copia expleta, vel tempore flaccescens elanguit, amicitix vis penitus diluitur, videlicet, coagulo quo continebatur sublato: quocirca bona et mala sunt consideranda, quibus homo vel intus in animo, vel foris in corpore est præditus, quæque hominum judiciis a rebus, quæ penitus extra hominem sunt, accesserunt, sive ea bona et mala nominentur, ut Peripateticis et usui loquentium placuit, sive commoda tantum atque incommoda, ut Stoicis, de quo nihil laboro: sunt ergo hæc in animo, acumen hebetudo, celeritas tarditas, vafricia simplicitas, malignitas candor, sanitas insania, pronitas ad vitia aut virtutes, aliorum ad alias; et quæ sita usu, artes, peritia, inertia, ruditas, prudentia, imprudentia, virtutes omnes, et his contraria vitia: in corpore, ætas, sexus, valetudo, statura, habitus, vires, forma: exterius adduntur, genus,
fa-

Bona et mala
hominis
quomodo
consideran-
da.

fama, opes, dignitas, gratia, conditio: hæc sint a me velut exempli causa dicta, neque enim hic locus est exactius de his disserendi, tantum hæc commemoravimus quantum præsentibus videtur instituto sufficere. Verum enim vero ex his omnibus, ea quæ posita sunt et constituta in ipso corpore, facile a quovis possunt intelligi; illa sunt remotiora atque obscuriora, quæ in cujusque latente pectore, tot involucris intecta, atque occulta, quæ non aliter quam externis actibus utcumque possunt cognosci ac deprehendi, tenuiter alia et obscure, alia paullo dilucidius, ut sunt actionum aliarum interioris animi indicia nonnihil evidentia atque expressa, aliarum maligna et confusa. Præterea illa quæ de Physiognomia sunt contemplatoribus naturæ tradita, nos aptius hic ad vitam loquemur, et ad communem prudentiam congruentius: illa sunt leviter impressa signa, incessus, sessio, quies, vultus, et in eo oculi, gestus totius corporis, sonus vocis, quæ tamen animum nonnihil, tametsi procul, demonstrant; certiora atque expressiora sunt, mores, in quibus præcipuum locum sermo obtinet, qui non modo ingenium declarat, sed etiam affectus, utpote qui ex utrisque nascitur: *Qualis vir*, inquit vetus verbum, *talis oratio*: et Socrates, quum ad eum adolescens quidam esset a patre studiorum gratia deductus: *Adolescens*, inquit, *loquere, ut te videam*: scilicet, vir sapiens acutius erat juvenis animum per sermonem inspecturus, quam ex gestu et filo totius corporis; in sermone acumen sententiarum spectatur quod ab ingenio proficiscitur, tum orationis mores, et quasi educatio quædam, quod ex affectionibus, quam sit casta, verecunda, gravis, sobria, moderata, facilis, aut contraria, obscœna, impudens, levis, insolens, arrogans, morosa, talis est etiam fons unde hic rivus emanat.

Interiora
quo pacto
cognoscantur.

Sermo.

In reliquis vitæ actibus sunt, qui extemplò animum foras proferunt, et aspiciendum vel rudissimis ac tardissimis hominibus exponunt, ut crebro incendi, iracundam; rixosam, contendere, et subinde occasionem captare contradicendi; pertinacem, nolle credere, aut maligno et Sardonio (quod ajunt) risu, pravoque quodam silentio, non decedere de sententia; apud extraneos non posse affectum cohibere, impotentiorum arguit

guit quàm ut regi valeat, aut laxum dissolutumque esse animum, nec velle sibi moderari, neque ullum habere respectum arbitratorum: illa vero, non minus certa, sed aliquanto magis recondita, conjectura, quæ ex amore atque odio sumitur, id est, iis quibus quisque capitur, delectatur, tenetur, aut contrà, quæ aversatur, quæ fugit, quæ odit; iis demum delectatur quisque, quæ libenter facit, quæque cupit sibi multo esse familiarissima et conjunctissima, ea odit, quæ vellet esse procul, et alienissima; præclare ac sapienter Plato, diligentiam omnem, curamque legum conditorum, in eo collocari oportere censebat, ut cives assuescerent bonis delectari, aversari et odisse mala; id si assequerentur, non multis esse opus legibus in civitate, quippe unusquisque intra se legem sibi æquissimam circumferret, moderatum animum, ac bene constitutum.

Delectationes aliæ se proferunt sensibus corporis, aliæ consuetudine, ac familiaritate, in usum vitæ aliquem, et finem animo cujusque propositum ac præstitutum; contemplandum quæ velit quisque audire, quæ videre, tangere, olfacere, gustare; quibus capiatur verbis, sermonibus, colloquiis, libris, congressibus, lussionibus, epulis, cultu, ac ornatu; nihil tam expetit cujusque rei natura, quàm sibi simile, nihil tam abominatur æque ac devitat, quàm dissimile: ergo qualiacunque ea fuerint, quibus quisque delectatur, similem intus animum sciamus habitare: hinc amor et odium, hinc amicitia omnes, usus et consuetudines, et quæ sunt iis adversa, inimicitia, aversiones, fugæ, nascuntur, vel natæ coalescunt, ac confirmantur; primo enim, vel tacita quædam occultaque naturæ consensio, ac similitudo, aliquos conciliat, et inter se conjungit, vel solus respectus utilitatum, vel fortuita quædam et temeraria applicatio, ut qui eundem in ludum ventitant pueri, qui eadem navi aut rheda vehuntur, quos iter, quos militia, quos officium, quos convivium conjungit, quos præsens rei alicujus necessitas ac usus; primi illi, fere stabiles et sempiterni sunt amici; proximi, quamdiu utilitatem ratio suadet; tertii, vel magis uniuntur, si eisdem studiis teneantur, et alter in altero, quo capiatur, inveniat, vel resiliunt, quum diversis ac disparibus

stu-

studiis dediti, nihil in altero vident, quo oblectentur: ex his omnibus spectare quadantenus licet cæcas illas ambages nostri cordis; nam asciscit quisque sibi, et avidè retinet suum simile, aut ipse, contagio quoddam, ac consuetudine, et illo ceu affricu, evadit similis: de quo est illud in Sacro Carmine: *Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris, et cum electo electus eris, et cum perverso perverseris.*

Itaque intuendum est, quibus sodalibus utatur quam es ducturus; quibus diutinè sit usa; ipsa vel se adjunxit illis naturæ instinctu atque impulsu, quia talis, vel conversatione, facta est talis: famulæ multum etiam ingenium heræ suæ patefaciunt, ac declarant, sicut prisca sententia perhibetur: *Quales heræ, tales ancillæ*: atque etiam, *tales*, ut inquit Plato, *canicula*: nam et illam, in cujus manu est asciscere quas velit, eas demum credibile est eligere, ad quas nutu quodam similitudinis feratur naturæ, et quæ diu inter eas versetur, vel ad ipsam contactu illarum vitia aut virtutes transeant, vel sui ad illas mores, quod est pronius, ut quisque fingit se ad illius ingenium, cui vehementer studet placere: itaque, ex famulabus non cæspectandæ sunt, quæ mutantur crebro, et prius abeunt domo, quàm illarum possit animus cognosci, aut quàm aliquid de suo potuerint in proximos transmittere; nec illæ, quæ procul a domina in remotis domus ministeriis occupantur; sed illæ tantum, quæ dominabus suis diutinè a manu inservierunt. Quorum hominum consuetudo in usum aliquem sumitur, horum sunt qui nihil habent vitii utique læsuri candorem pudicitia, alii habent, in his non simpliciter censendum; aut enim credibile est, eam id vitium ignorare, aut scire, tum posse scire, debere scrutari: si sciat; quæmodi sit rei usus? quæ prætermitti non possit, an quæ possit commodè? sintne alii, qui idem æque possint præstare, malit tamen illum? ita cum eo versetur, ut se tantum ostendat adduci necessitate, an familiarius se det illi? Hæc omnia facile docebunt, quid sequatur, quid spectet, quid velit, qua demum re delectetur: femina quæ cum crassis, et bene habitis viris, cujuscunque bonæ artis quæ ad sexum illum pertineant expertibus, libenter versatur, et cum illis avidè ser-

Sodalitas si-
ve conver-
satio.

Famulæ.

Vita antea-
ta.Pietatis ex-
ploratio.

mones miscet, ad mensam et convivia arcessit, quid poterit dicere se in illis quærere ac spectare, quo oblectetur, nisi flagitium? Ex anteaacta vita de sequenti sumetur iudicium, magnæ sunt enim vires assuefactionis; quemadmodum se cum sodalibus, cum amicis puellis, cum ancillis, cum ministris gesserit: quomodo utramque tulerit fortunam, si sit experta res prosperas mansuetè, æquabiliter, an ferociter, atque impotenter, adversas fortiter, et moderatè, an demissè, desperatè, abjectè. Pietas res est maximè recondita, et quæ solius Dei oculis est aperta ac exposita, nempe, iudicis sui, et expensoris præmii ac supplicii; difficile est, de ea humanis sensibus statuere; nec illam sinit Christus sub alienam censuram venire, de qua apud illud tantum supremum tribunal cognoscitur; sed illius non leve est ad nos quidem iudicium, libenter de Deo, et rebus sacris, loqui, et audire, non ad arrogantem aliquam ostentationem vel probitatis vel ingenii, nec ut alii erga se utantur iustitia et sanctitate morum ac vitæ, sed reverenter ac demissè, ut ex præceptis illis, et ipsa, et alii, vitam instituant.

Nec tantum religionem testatur crebra collocutio de externis, et iis quorum actionem corpore magis quàm mente exequimur, quantum de rebus intimis, et illis quæ animum ad Deum erigunt ac sustollunt; priora illa sunt, de jejuniis disserere, de precum numero ac modo, de votivis ac sacris peregrinationibus; nam jejunia et preces tametsi sunt bona, et quæ sæpenumero usurpari velim a proba femina, tamen quia possunt a malis præstari, non usque adeo veram sinceramque pietatem arguunt; illa sunt evidentia magis testimonia, de iudice illo vivorum et mortuorum, spectatore actuum et cogitatum humani cordis; de fugacitate vitæ, de vanitate eorum quæ hinc expetuntur; de contemptu honorum, opum, dignitatum; de cura quam agit Deus tuendi, sustendandi, conservandi nostri; de amore Christi erga nos; de amore nostro mutuo; de ope egenis ferenda; de amore et cultu mariti; de liberorum et domus disciplina; de morte; de suppliciis malorum; de sempiterna bonorum felicitate: hæc sint a nobis summatim de his omnibus dicta: fictio in his, et simulatio, vel statim ab acuto spec-

spectatore deprehenditur, vel certe non invalescit tempore, sed se plerunque de repentè prodit, quum intentio animi, in simulationem composita parumper se remittit, et suoapte nutu ad naturam suam relabitur. Jam ergo ad institutum revertamur, dicamusque de singulis illorum quæ in animo, quæ in corpore, quæque in externis posuimus, quorum gratia parumper sumus ad hæc, quæ modo disseruimus, digressi.

Caput omnium est Pietas; vere pia nihil unquam malefacit, nihil committet ob quod jure possit reprehendi; hæc est enim vera et nativa iustitia, de qua est vetus elogium, *Quod virtutem amplectitur omnem*; impia nihil recti faciet, nisi, quum expedire sibi arbitrabitur, fictum et simulatum; ita præcepta nostra eam modo spectabunt, quæ nec impia est, necdum ad pietatem perfectam profecit; nullus quidem est perfectè pius; nam Paulus currere se ac laborare dicit, si quo modo possit assequi, et comprehendere; sed ingentem quandam, et bene audentiam pietatem, pro plena atque absoluta habere solent. Intolerabiles sunt penitus, primum impudica; quis talem prudens ducat, nisi forte insanit? *Qui expellit mulierem bonam, inquit Salomon, expellit bonum; qui autem tenet adulteram, stultus est, et insipiens*: quis potest esse amor adulteræ cum marito, de qua Dominus noster pronuntiavit, quòd matrimonii mysterium scelere suo polluerit, et vinculum dissolverit arctissimæ illius societatis, maximique amoris? Sunt tamen, quæ prius turpis ac probrosæ vitæ, nonnunquam se se ad meliorem frugem recipiunt; hæc jam non sunt reponendæ in malarum numero, quas vitæ prioris tædetque pigetque, mutata penitus vivendi sententia: proxima, nec impudicæ dissimilis est, in malum prona, quæ habet naturam nutum in malum deprimentem, quem ipsa non modo non conatur erigere, verum adjuvat, et detrudit, usu ac moribus ingenio indulgens, idque augens, dum blandè tractat ac fovet, itaque fit, ut illi in dies dulcescat, quum, contrà, conveniret monitis et exercitationibus virtutum cohiberi, ac in melius flecti; de qua non immerito Ovidius: *Quæ quia non licuit, non dedit, illa dedit*: hæc pejor multo habenda est, quàm ex professo meretrix; nam inter has non desunt, quæ pro-

Pietas.

Intolerabi-
les quæ.
Impudica.In malum
prona.

probiore sint ingenio, et studioso magis honestatis, quæque ad flagitium fortassis impelluntur, nulla quidem necessitate, (neque enim malefaciendi necessitas potest esse ulla) sed certe specie necessitatis aliqua, qua si carerent, non paucæ illarum vitam honestius instituerent: nec potest jucundè quis, aut quietè, cum ea vivere, quæ probroso rumore hominum laborat; nec cum ea, quæ natura est mentis imminutæ, potest esse amicitia aut concordia; quid enim viro, dumtaxat nec socordi, nec stulto, acerbius, quàm dementem socium perferre? in aliis vero (quandoquidem non in solo colloquio situs est convictus, sed in iis omnibus quæ ad vitam degendam pertinent) considerandum ac expendendum est, quis sit ducturus? quo ingenio? acuto, an segni? quibus moribus? placidus, iracundus, vehemens, remissus, impetuosus, cunctantior, vinosus, abstemius, parcus, profusus? viduus, an nunquam antea maritus? cum liberis, an sine liberis? tum qua arte vitæ sustentet se, annuis agrorum fructibus, an aliis proventibus? otiosus, an opifex? eruditus, rudis, magistratus, privatus? hinc, qua ætate, qua valetudine, qua firmitate corporis, qua statura? Hisce omnibus conferenda sunt ab uxore commoda et incommoda.

Hebes uxor hebeti marito minimè conducit, nec imprudenti imprudens; quis prospiciet rei familiari? quis educabit liberos? quis instituet? immo vero, qui ex eo pari nascentur? meri asini; aut si pueri festivi, et scituli, ex educatione et domestica disciplina obtorpescent; tametsi facilius inter hujusmodi conveniet, quàm inter virum prudentem, et uxorem torpenti corde ac segni. Si stupidam ducis tantum propter formam, quod faciunt quidam, quid refert, statuanne habeas aliquam Phidiæ elegantem, an talem conjugem? miser, cui erit hæc usui ad vitam? ubi exatiatus fueris spurca voluptate, quis reget domum? cum qua miscebis sermones? quis ministrabit ægro? quis colloquio fessum et jacentem allevabit? quam habebis in adversis sociam, in lætis congratulantem? Quid, quòd ex tarditate cordis transeunt in curas et cogitationes abjectas, degeneres, indignas eo qui ratione sit præditus; et hæc ad mores suos non parvam maritalis mentis partem traducunt, adeo

ut

ut cum illis obbrutescat: olim ante diluvium, quemadmodum ex Sacra Historia didicimus, *Videntes filii Dei filias hominum, quòd pulchræ essent, sumserunt sibi ex eis uxores, quascunque animo esset collibitum*: quæ res ultionem Domini exasperavit, ut hominum genus aquarum eluvione tolleret; illud scilicet vindicabat Deus, quod homines sapientes, et propter virtutes, filii Dei, hoc est, imitatores illius, non conformes suæ virtuti delegerant sibi conjuges, sed filias hominum, carnales, quæ spiritus illos cœlestes, fractos et debilitatos in cogitationes terrenas et sordidas detruderent, ut ex spiritu verterent in carnem, ex quiete rationis in commotionem affectuum, ut ex cœlestibus fierent terreni; ideoque de illis dicit Deus: *Non permanebit in eis spiritus meus in æternum, quia caro sunt*: adde, quod quæ propter opes aut genus ducitur, insolentior atque intolerabilior erit, quominus habebit cordis; astutia ignis est, imprudenter tractantem urit, et prudenti exhibet negotii non parum; tenui viro opus est ea quæ vel opes mediocres adferat, vel artem aliquam tuendæ vitæ; diviti, aut mediocri, denique illi, cui non deest unde se ac familiam toleret, satis est venire non indocilem; ipse eam arbitrio et moribus suis formabit. Inter illos, quasi animi morbos, præcipuè vitanda est superbia, monstrum quieti inimicum, quod amorem, benevolentiam, concordiam, conjunctionem omnem, impotentia sua diffringit, et suavitatem illam amarissimo pharmaco diluit, quam esse in connubio maximam par est.

Quæ ex superbia nascuntur vitia, arrogantia, ferocia, ira, fastus, fastidium, contemptus, omnia sunt tyrannica, et perpessu gravissima; in hujus tamen vitii significatione facile esset quemvis capi, ni attentius introspiceret; siquidem sunt quædam alienis feroces, suis mansuetissimæ; has tantum abest ut velim rejici, ut nullas censeam expetendas magis esse, ac retinendas; tales existimo fuisse præcipuas atque insignes illas heroinas, Penelopen, Lucretiam, Corneliã, Porciam, quæ maritorum ancillæ, erga ceteros dignitatem et majestatem suam etiam feroculè conservabant, leoninis pectoribus laudem pudicitæ custodientes, paratæ vel cuncto sanguine quamlibet exiguam illius

ma-

Infamis.
Demens.In ducturo
uxorem quæ
observanda.Formosa sed
stupidã.

Astutia.

Superbia.

maculam abluere: sed si adversus maritum superbiam hanc exerceat, permagna consequitur interturbatio quietis; hæc ad hunc fere modum cognoscetur: quum ex zelo quodam vel pudicitiae, vel decoris, intractabilem se aliis præbet, nihil vel generis memor, vel formæ, vel opum, hæc uxor erit, qualem quærimus, optima, et matronalis decoris servantissima; sin vero ex genere, aut forma, aut cultu, aut opibus, animos illos sustulit, gravis et intoleranda erit: quæ, virtutis tantum respectu, congressus virorum refugit, nec libenter cum eis sermones consociat, non secus candori suo labem expavescens, quàm ferunt armillinum in cœnoso loco, hæc tam nobiles, quàm ignobiles, formosos, deformes, inopes, divites vitat, ad viros omnes, præterquàm ad suum, *linea est*, quod dicitur, *alba in lapide albo*: sin vanitas rerum fortuitarum vanos ei spiritus subdit, illos demum despiciet, qui ea non habent quibus ipsa extollitur, qui vero habent, hos reverebitur, et his dabit se comem, atque affabilem: immitis et aspera, novercam aget sævam et atrocem: rixosa, contentiosa, pertinax, iracundo minimè adjungenda; scilicet, ne stupa igni: quid agent domi aliud quàm ardebit maritus, mulier faces subjiciet? Liberalis, munifica, atque etiam profusa, non est repudianda Principi, quoniam nulla est virtus, quæ Principem magis deceat, quàm benignitas, nec alia æque animos popularium conciliat, ac proinde firma atque stabilia reddit magna fastigia; utique, si rapacitati non sit admixta, nec (quod veteres de L. Sylla scribunt) alios per aliorum injuriam locupletare studeat; rapacitas feminæ fugienda est ei, qui cum liberis venit ad matrimonium, sed potissimum Principi, et rectori civitatis; illac enim solent irrepere improbi ad expugnandam integritatem virorum, multosque olim repetundarum damnatos, legimus, provinciis præfectos, ob ea furta, non quæ ipsi, sed quæ uxores eorum fecissent; itaque actum est in Senatu, Tiberio Principe, ne ii, qui in provincias cum potestate mitterentur, uxores illuc secum ducerent.

Negligens.

Negligens, inutilis est ei, cui ipsi versari in re familiari non licet: parca, et frugi, non solum tenui est apta, sed illi quoque, in cujus facultates magnas vices ac mutationes solita

Frugi.

est

est fortuna ostendere, non quin ea jus habeat in illa omnia quæ idcirco fortuita nominantur, sed de iis loquor, quæ fortuna majore casuum varietate versare consuevit; patrimonia enim mercatorum magis fortunæ instabilitatem sentiunt, quàm agricolarum, aut Principum, aut eorum qui certos habent et constitutos annuos proventus, quibus se sustentent: illa est ergo ei, qui sub ictu collocatus est vertentis fortunæ, deligenda, quæ parvo assueta, in angustis rebus et prudenter quæ adsint norit dispensare, et non concidat animo: ejusmodi sunt quæ bono genere ortæ, frugi ac sobriæ sunt, sub honestis parentibus aut propinquis educatæ, quibus magna fuit cura honestatis, edoc-tæ dedecus metuere, et necessitates omnes domesticis cohibere parietibus ne se foras proferant, duro se et secundario pane, tum potu frigidam paratæ tolerare, ut inopiam tegant; nam illa sordidè nata, et indulgenter educata ac pravè, decus, laudem, atque existimationem omnem, ventri posthabet, ac deliciis semel gustatis.

Facunda, et ad dicendum instructa, tristi ac severo ad remissionem animorum apta, præsertim si sit dicax sine acerbitate, et faceta, dum ne nimium alienis viris comis videri, atque urbana affectet, suspicaci et zelotypo mera crux: loquax, et futilis mulier, noxia est ei qui res arcanas tractat, et quæ evulgari sine præsentis periculo non possent, ut Principum librarii, et quos sub Græcis Imperatoribus primicerios nominabant; an nunc cancellarios? Fabio Maximo causa mortis fuit, quod is Posthumum Agrippam conventum ab avo Augusto uxori suæ narrasset, hæc Liviæ Augustæ; grave est, et in familiari colloquio, et ad mensam, et inter conjugales complexus, semper se circumspicere, ac velut suimetipsius custodem agere, tamquam inter insidias; tum gestus et vultus comprimere, et chartas ac schedas omnes semovere, ne qua illa ad conscientiam, vel ad conjecturam perveniat ejus, quod tanto cum periculo enuntiaret: forma, opes, genus, insolentes ac arrogantes reddunt; (1)

Facunda.

Garrula.

Insolens formosa.

Sequitur, inquit Ovidius, *superbia formam*:

(1) Fast. lib. 1. v. 419.

et

et Juvenalis: (1)

Dives.

Intolerabilius nihil est, quàm femina dives?

Martialis festivè, ut solet: (2)

*Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? Uxori nubere nolo meæ:*

et Plautus Asinaria: (3)

Argentum accepi, dote imperium vendidi:

vir pauper, qui uxorem habet locupletem, non sæpenumero tam vivit in molestia, quòd uxor sit gravis, quàm quòd semper suspicatur se illi esse contemptui; de genere autem Juvenalis: (4)

Nobilis.

*Malo Venusinam, quàm te, Cornelia, mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus adfers
Grande supercilium, et numeras in dote triumphos:*

tametsi permultum, atque adeo totum fere, in institutione situm est.

M. Cato.

Sunt inopes, deformes, obscuræ, decuplo elatiores quàm illis rebus insignes; M. Cato Censorius senex jam, et Princeps in republica, uxorem sibi postulavit viduus Salonii cujusdam clientis sui filiam; irrideri se Salonius est suspicatus, quòd vir tantus affinitatem secum vellet jungere; quid multa? ducit vir senex adolescentulam, dives inopem, clarus obscuram, Princeps vilem, ea tamen (ut est apud D. Hieronymum) contumaciter se in maritum gessit, minusque obsequentem se in dies præbuit; ita vir ille, qui quicquid sive in senatu, sive in foro, sive ad populum diceret, oraculi loco accipiebatur, tantæ civitatis facile sapientissimus, et cui domi, et foris, in bello, in pace, in otio, in negotio, parem non haberet ætas illa, domi auctoritate carebat, apud rudem et imprudentem puellam, renuem, humilem, honoratam tamen, et fere principem matronarum, mariti causa; de hospite quodam meo Lovanii, natione Phry-

(1) Sat. 6. v. 438.

(2) Epig. lib. 8. Epig. 12. v. 1.

(3) Asinaria act. 1. v. 74.

(4) Sat. 6. v. 66.

Phrysiò, sæpe audivi, quum narraret mihi, fuisse in sua civitate virum, genere et divitiis facile primum, qui rarus facilem se ac jucundam acturum vitam, si uxorem accepisset multo inferiorem quàm ipse esset, duxit pauperem, ignobilem, et forma minus, ut in gente illa, quàm mediocri, sunt enim in illis regionibus formosissima hominum corpora; hæc tamen, sordidè atque impudenter sub sordidis parentibus instituta, munia omnia domestica aversabatur, etiam mariti tuniculas vel attingere, vel aspicere dedignans; ea mortua, pertæsus morum spurcæ ac turpis educationis, parem sibi adjunxit, adolescentulam bene natam, divitem, et insigni forma faciei; hæc non secus marito ministravit, quàm si empta in domum venisset; non coacta, non fictè, sed libens, et alacris, bona fide; illa maritum induere, illa exuere, calciare, excalciare, extergere, mundare; et in frequenti familia neminem patiebatur curare quæ ad mariti corpus pertinerent, præter se unam; illa vestes resarcire solita, lavare, complicare, componere, et reliqua animo agere prompto ac lætissimo, quæ famulæ interdum gravarentur: quocirca externa hæc perinde sunt, ut cujusque est animus institutus, et assuefactus.

Equidem haud abnuerim, si pravo sit mulier ingenio, et ei relinquatur, magnos spiritus opibus, forma, et genere, at tolli, tamquam flamma in arida et levi materia; itaque ducenda non est, nisi quum minimum, a pari, et auscultandum Pittaci consilio, qui vir sapiens, unus e septem, rogatus ab adolescente, quæ utram duceret, opibus se et genere potiolem, an parem? responderit: *Tu tibi sume parem*, de quo extat vetustissimum Callimachi epigramma, quod citat Laertius. De forma, ludebant olim dilemmatis veteres: *Pulchram si duxeris, habebis communem; sin deformem, molestam*: et dissolvebant: *Si deformem, habebis propriam; si formosam, oblectabere*: tum illud: *Deformem ferre, grave; formosam servare, difficile*: ergo definiebant: *Su-* mendam esse mediocri quadam et stata forma, quam formam ea de causa uxori nominabant: indubiè insolescit pulchritudo immodica, vel eo uno, quòd quum omnium in se oculos videt conversos, et esse omnibus admirationi, aliquid in se credit rarum

Forma.

Uxoriam forma.

inesse ac insuetum, et humanitate majus, quum ipsa quale sit bonum illud formæ, tantum ad speculum corporeis oculis cernit, et extemplò obliviscitur, nec reputat mentis oculis quàm leve et momentaneum sit vel ex aliis facta de se conjectura. Accedit huc, quòd difficilis est ejus rei custodia quam multi expetunt; hac de causa Poeta quidam ait: (1)

Lis est cum formæ sæpe pudicitia.

Itaque sæpenumero sub istis formosissimis faciebus, velut in
 Deformis. pulchris hospitibus, habitat hospes deformis; nimis vero deformis, ut tenerrimè adametur, non tamen putat amari se, velut amore indignam, et zelotypa est in omnes quascunque maritum videt blandius aspexisse, vel appellasse; nec inter istas desunt, in quas illud Declamatoris competat: *Quæ malam habent faciem, sæpe pudicæ sunt, non quod animus illis deest, sed corruptor:* sunt hic tamen suæ quoque utilitates, pro viri ingenio, ut voluptarius et fastidiosus habeat quo satietatem reparat, suspicax, autem, paratam conjecturis suis securim: non sunt hæc quidem
 Universalis. catholica, sed ita solet usu evenire; omnia vero sunt, prout in quaque est animus natura propensus, sed potissimum, formatus educatione puerili, et moribus confirmatus. Vires necessariæ sunt, si futura est uxor ejus, qui manuum opera, et corporis labore, victum sibi quærit, ut consors sit operum mariti, sicut in agro colendo; valetudinaria gravis est, si ea sit valetudo, quæ et uteri gestationem impediatur, et munia domestica: ætatem definiunt Hesiodus, Plato, Aristoteles, in viro circiter quartum et tricesimum annum, in femina ad duodevicesimum, quòd vir, multo minor, non tantum ad procreandam sobolem habet virium, quantum oportet, filiique invalidi nascuntur, et ipse danda liberis opera, justo corporis, viriumque incremento fraudatur; tum inexpertus rerum, non satis rei familiari consulit, in qua regenda parum habet auctoritatis per ætatem; nec adolescentes liberi patrem, haud multo quàm se majorem natu, reverentur, magisque ille fratrem eis quàm pa-
 robusta.
 valetudinaria.
 ætas conjungendi.

(1) Ovid. in Heroides Epist. 16. v. 288.

rentem refert; senior vero, nec adjuvare parvos liberos potest, nec ab eis adjuvari, quum utrique, auxilii, ac opis alienæ, sint indigui, et e vita prius decedit quàm possit illis vitæ rationem aliquam prospicere.

At feminæ, multo ante annum duodevicesimum, impares sunt laboribus gerendi uteri, et discrimini enitendi; nec expedit tam teneram Veneri assuescere; incenditur libido, et sistunt a progressu corpora; nec ad regendam domum satis puella est reverentiâ sui in ætate illa instructa, rudis fere rerum omnium, neque longè provector præbet se viro tractabilem, inveteratis jam moribus, ut mutari non possint; denique ætates definitæ multum inter se congruunt, et ad usum convictumque in conubio, et procreandis foetibus; ut ea facultas per idem tempus utrunque destituat, ne parum suavis sit in conjugio vita, si alterutro foetificandi adhuc valido, alter jam sit senecta debilitatus, ac effoetus: hæc quidem ex illorum sententia, et potissimum Aristotelis in libris de Republica: sed in his spectandæ sunt magis causæ, ob quas ita definierunt, quàm definitio; et quodocunque causæ similes, aut hæc potius (nam indubiè prudentissimæ sunt) suaserint, definitum a natura censeamus, quæ, varia artifex, humana corpora pro locis, temporibus, et occultis qualitatibus variat: sed prima habenda est mentis ratio, et illius, quod unicum est mentis bonum, pietas.

Dandum est operam, ut dum cœlibes sumus, eo utamur victus more ac modo, ut carnis ariete ante justam procreandi ætatem, quàm rarissimè et quàm levissimè feriamur: laudabilis cum primis fuit mos ille Germanorum veterum, quem Cæsar tradit; *Qui diutissimè, inquit, impuberes permanserunt, maximam inter suos ferunt laudem: hoc ali staturam, ali vires, nervosque confirmari putant; intra annum vero vicesimum, feminae notitiam habuisse, in turpissimis habent rebus: quòd si hanc continentiam præstare non valemus, omnia postponenda sunt religioni, et consilio Pauli obtemperandum, Melius esse jungi conubio, quàm uri:* exigua est, atque adeo nulla fere, diversorii habenda ratio, domus, maxima, seu tota potius; peregrinatio est vita hæc, altera illa, patria et domus sempiterna; Dominus noster,

id est, vox divinæ sapientiæ, hominum genus docet: *Nihil prodesse homini, si mundum universum lucretur, cum dispendio animæ suæ*: quæ vero natu grandior nubit, eam oportet non solum naturæ vitiis carere, sed educationis quoque, quando enim formabitur, jam dura, et moribus confirmatis? nam puella mollior est, ac cerea in quidvis fingi, in genere, meminerimus veteris proverbii: *Ex bona matre bonam nasci filiam*: nostrates id gemina sententia enuntiant: *Ex bona vite decerpe tibi malleolum, quem pangas*: *Ex bona matre, sume tibi filiam*; tum sic: *Deambulans per urbem, de matre prius percontator, hinc de filia*: sed major est vis in iis quæ educarunt; non enim raro videmus malis prognatas, quod a bonis institutæ sunt et inter eas versatæ, evadere educatricum, quàm parentum, similiores; contra, bonis ortas, ex contagio pessimas: æmulatur aptissimè ætas illa, et expressius, mala: scrutandi hoc loco affines, an nimium potentes, et longè te prægravantes; nescio an satis in potestate sis uxorem habiturus, fretam tantis suorum viribus.

Genus.

Educatio.

Affines.

Tiberius
Casar.

Cæsar Tiberius in matrimonio Juliam habuit, Augusti filiam, probris oppletam, et manifestis adulteriis infamem; hanc, quum nec maritali severitate castigare ac cohibere, nec domo ejicere auderet, tanti patris filiam, nec ad patrem compertam adulteram deferre incertus quo animo ille eam generis labem acciperet, retinere autem, et cum ea intra eosdem penates vivere, gravissimum censeret, coactus est specie quadam otii Rhodum secedere, ac ibi vitam agere, primum ignominie expositam, deinde etiam periculo, quum et exul appellaretur, et non deessent qui in gratiam Caji Cæsaris privigni mortem illi minarentur: virum novi, qui nactus illustrissimas nuptias, quibus ipse longe erat impar, postquam illa primorum dierum lætitia subsidisset, execrabatur diem illum ceu fatalem sibi, quo illa primum uxor sibi esset dicta; se, si parem duxisset, futurum fuisse longe fortunatissimum, quum abundaret opibus, nec poenitendum esset ei genus; nunc ultro invexisse in animum suum tantum molestiarum, et tam sævum malorum agmen, a quo nunquam nisi vel sua liberari posset morte, vel conjugis: considerandum deinceps, quibus sint affines moribus, quo ins-

Affines mo-
ribus.

ti-

tituto vitæ, an odiosi, asperi, intractabiles, litigiosi, rixosi, feroces; perpetuum esset tibi cum illis et molestissimum negotium; quin etiam, an seditiosi, et factiosi, in iis præsertim regionibus, ubi omnes solent volentes nolentes involvi partibus; inquieti quoque contagio inficiunt, et turbulentum reddit ingenium, usus, et familiaris contrectatio cum tumultuosis et turbulentis; hinc an pauperes, petaces, inverecundi, immodesti; sunt qui ejusmodi odium nequeant devorare, nisi procul sit forte demigrandum. Jam de opibus illud dicunt: *Grave est, sive ferre divitem, sive alere pauperem*: consideret quisque se, et rationes suæ vitæ; si habet unde se ac uxorem toleret, quid vel gratius Deo, vel ad homines pulchrius, vel domi jucundius, quàm accipere tenuem, modo recte institutam? Genus est eleemosynæ, paupertati subvenire, et habes non solum uxorem, sed etiam ancillam, duxistisque quæ exprobrare non possit se hoc aut illud attulisse, quæ in prosperis fruatur tecum tuis, et sciat te omnium esse dominum, tibi que referat cuncta accepta, in adversis æquo, immo forti animo, perferat reflantem fortunam, memor quàm parum ipsa in domum intulerit, et misereatur non se, quæ pauper huc venerit, sed te fortunis tuis exutum.

Opes.

Tenuis, sed
recte insti-
tuta.

Verùm iterum atque iterum sumus admonendi, me de bene institutis loqui, nam illæ mendicorum filie, pravè ac sordidè educatæ, indulgenter tamen (ut in illa fortuna) habitæ, intolerabiles sunt in re et tristi et læta; sin tuæ facultates minores sunt, quàm ut sufficiant tuæ mediocritati, eligenda est quæ non nihil subsidii adferat, nam locupletissimam arripere, ut tu illius opibus per otium fruaris, cum delictum est in legem Dei, quæ hominem labori subjecit, tum concordie inimicum; quo tandem animo putas illam diu laturam, te velut fucum in suis demum fortunis hære, operis vacuum, et cujuscunque bonæ frugis? itaque non deest hujusmodi sua poena, etiam in hac vita, quam animo illi et cogitatione suavem sibi et mollem finxerant; rixæ, convicia, et mutuuum odium; ut panis ille citra laborem et sudorem quæsitus, amarissimum secum obsonium adferat: quanto esset satius, atrum et secundarium esse panem, cum exiguo et vili obsonio, in tranquilla concordia

Locuples
sed molesta:

ac

ac quiete, quàm in vita illa amarissima atque insuavissima sigilligineum ac perdiculas? et Sapientis consilio obedire, qui ait: *Melior est bucella panis cum gaudio, quàm domus plena victimarum cum jurgio?* De illa placidissima laboris vita canit Vergilius fuisse Tarenti senem agricolam in re tenui, qui (1)

*Regum æquabat opes animis: serâque revertens
Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis:*

M. Antonius Philo-
sophus.

M. Antonius Philosophus, quum Faustina duxisset Antonini Pii filiam, et ea causa videretur adoptatus, factusque successor imperii, non ausus est adulterii manifestam repudiare, ne de dote veniret in controversiam: citius multo consulero feminæ ut potiori se his rebus omnibus nubat, quàm viro ut præstantiorem ducat; est enim virilis animus generosior, nec adduci potest ut se ad comparationem sui et uxoris demittat, feminarum pleræque his se se armis in jurgio tuentur, ilico generis et opum collatio est audienda. Post hæc, considerandi sunt casus, vidua sit, an innupta; virgo, an corrupta; adamata, an integra ab amoribus: in vidua, cogitanda ætas; de puella non multo secus statuendum, ac si veniret integra, quanquam non parum interest, ab alio esse delibatum florem illum ætatis, nec te primos amores abstulisse, ut est apud Vergilium, nec abs re nostri homines pervulgato verbo dicunt: *In amoribus, quemadmodum in offis, initia esse suavissima.*

Casus con-
siderandi.

Vidua puel-
la.

Grandior
natu.

In natu grandiore, quæ diu apud priorem maritum fuerit, videndum, quod a viris sapientibus præcipi de amicis solet, quemadmodum se apud conjugem illum gesserit; reputandum quoque, qualis maritus fuerit; si vir probus, et ægre eum ferebat, ex illo fac de te conjecturam, neque enim censebit aliter sibi esse apud te vivendum; sin vero malus vir ac importunus fuit, eum tamen illa moderatè tulit, idem et tu spera: sed si malus ille eam ad suos mores traduxit, dispicias quàm tibi ejusmodi mores probentur; quin etiam maritum illum ac te compara; si ille te longè virtute superat, semper apud te erit

mœs-

(1) Georg. lib. 4. v. 132.

mœsta, ac querula, collatione præteritorum cum præsentibus, et eo magis, quòd semper hesternus dies melior, quàm præsens esse videatur, nimirum ætate in pejus vergente; sin genere aut opibus erat potior, te contemnet, ut quæ aliàs tali sit marito usa, cui tu non sis comparandus, et hoc vel fastidiosius te despiciet, vel acrius oderit, quo ab illo indulgentius fuerit et commodius habita; quæ venit liberis onusta, rapax erit e re familiari, ut illis congerat, nec tuos, ac ne communes quidem vestros, æque amabit, nam augebit caritatem miseratio in orphanos, paterno præsidio destitutos; in corrupta, respicienda est vita prior; omnino duo sunt earum genera periculosa; et quæ corpus multis vulgavere, istis difficile persuadetur continentia, et quæ consuetudinem habuere cum potentibus, eodem modo, quas potentes adamarunt; grave est ei, quæ solebat esse potentis domina, si jam illi serviat, qui tanto est inferior suo mancipio; molesta est etiam, ac insolens, quam multi sunt precati; quicquid in te offendat, non putat futuros fuisse tales alios, et deflet, te sibi potissimum, irato fato, contigisse.

Liberis onus
ta.

Corrupta.

Nollem duceres eam, cui te in amoribus nimium demissisti, cui abblanditus es, cui assentatus, cui servivisti, quam vocasti heram, vitam, oculos, lumen, et alia quæ stultus et ineptus amor suadet, etiam interdum quum invalescit impietas in Deum, et summum ac finem votorum ac bonorum omnium; facit enim ejusmodi demissio, ut ei sordeas ac vilescas, et velit deinceps tibi dominari, graviterque ac indignè ferat ministrare illi, cujus quandoque dominam se esse sibi persuaserat, videlicet, cui quidvis imperabat, etiam cum præsentissimo fortunarum et vitæ periculo, majusque et promptius in eo reperiebat obsequium, quàm in Æthiope aliquo sale empto; hinc ex impotentia, iræ, ceu vero res tentetur indignissima, servum heræ imperare; contumacia; et verba contumaciæ respondentia; jurgia et lites acerbissimæ; quippe amor, odium, reverentia, contemptus, timor, actus sunt, qui in iis animis, quos aliquando occuparunt, relinquunt sui diuturna quædam vestigia, quæ philosophi Græcè vocant *ἔξεις*, latinè ad verbum, habitus: magni Reges pædagogos atque educatores suos ex illa puerili ins-

Adamata
prius.

ti-

titutione semper deinceps reverentur et timent, quamvis sibi subditos, et in quos vitæ ac necis habere se potestatem non nesciunt; hæc ergo est veteris illius et sapientis verbi causa: *Quos amores conjungunt, dolores exercent*: malim ut ea flamma, quæ ante matrimonium ardet, et prope jam cum ad conjugium venit deflagravit, in conjugio candeat, pertinax, pura, vivida.

Vides quanta opus sit prudentia ad hæc omnia judicanda, et quemadmodum asciscere aliquem in consilium necesse sit, cui quieti sint sedatique motus animorum, ne fallantur; non est speranda uxor, quæ incommodi nihil habeat, aut vitii; pauciora, vel minora mala, pro majoribus, et pluribus erunt bonis; prudens quidem ex re præsentis sumet consilium, nam quum media sint prope infinita, non queunt certe de illis dari in universum formulæ; idcirco prudentia præsto est, quæ præceptis adjuvatur, non traditur; et ad eam commonefaciendam hæc mihi velut exemplorum gratia sunt dicta: illud oportet sit, in deliberatione omni de conjugio, positum ac fixum, ne in uxore deligenda sensus ullum iudicium sequamur; non oculos, qui capiuntur venustate et forma; non aures, quæ facundia; non animorum incitatos impetus, quibus vel ad genus, vel ad pecuniam rapimur; hæc omnia, vel instabilitate sua vel copia et satietate, celerem secum adducunt poenitentiam: omnia sunt ad mentem iudiciumque illud supremum exactumque revocanda: cavebis ne tua ex parte fallatur puella, vel in fortunis, vel in corpore; nunquam commoda et ex animi tui sententia uteris ea, quam tu ad te fraude pellexeris, natura enim eum, a quo sumus falsi, ut hostem odimus, nihilque humano ingenio invisius quam frustrari spe, atque expectatione, tamquam debito; satius est, ei quam accepturus es, si quo morbo aut vitio laboras, patefacere, tum etiam natalium et fortunæ tuæ mediocritatem declarare, cum periculo sisne assequuturus, quam assequi cum certa et fraude, et proinde discordia: prudenter ac pro viro bono fecisse memoratur Sergius Galba, pater ejus qui imperavit; is enim appetitus a Livia Ocellina, dite admodum femina, et pulchra, posita veste, vitium corporis (erat enim

Sensus iudicium in uxore ducenda cavendum.

Fraude parata.

Sergius Galba.

enim gibber) secreto ostendit, qua animi generosa simplicitate delectata mulier, nihil fœditate corporis offensa, magis eum deinceps et adamavit, et coluit: solent multi dicere, se recturos uxores, qualescunque quocunque modo sint nacti; in mariti manu esse, qualis sit uxor.

Multum quidem in marito est situm, modo is sentiat, quemadmodum oportet, supremam quandam amicitiae rationem esse conjugium, quod omnium nominum caritatem antecedit, amicitiamque multum a tyrannide distare, in qua coguntur, qui parent; cogitur quidem corpus, animus vero in quo uno sita est amicitia, cogi non potest; et si quò tentes invitum pertrahere, magis reluctatur, atque in alteram partem reflectitur, ut de palma tradunt naturæ scrutatores; ne putes esse vel connubium, vel concordiam, animis dissidentibus; hic est fons, hæc origo, hæc sedes amicitiae; et isti qui se uxores posse regere vel jactant, vel arbitrantur, in rem paullo altius progressi, intelligunt longè se sententia atque opinione sua fuisse falsos, nam durum atque intractabile deprehendunt, quod illi molle ac flexibile esse erant rati; alii asperitate morum et dura tractatione hoc consequuntur ut ancillas habeant, non uxores; homines stulti, qui dominium connubium esse existimant, et qui se timeri voluerunt, postmodum dolent et conqueruntur nihil se amoris invenire in illis, a quibus ipsi importunitate ac odio suo amorem sui omnem excusserunt ac abegerunt; itaque dum illà velut tyrannicâ potestate initio delectantur, et tamquam gloriantur, et jactant dominos se uxorum suarum esse, miseram sibi et lamentabilem in posterum vitam fabricantur, expulso amore, suavitate, convictu omni jucundo, et levamento curarum, quæ omnia sunt in vero conjugio, metu, suspicionibus, odio, malevolentia, curis, et sollicitudinibus circumsepti: certe si, ut natura, et ratio, et divina perhibent oracula, vir est mulieris animus, caput, pater, Christus, talis erit inter illos societas, qualis inter patrem et filium, non cujusmodi inter mancipium et herum.

Palmae arboris ingenium.

DE ACCESSU AD CONJUGIUM.

CAP. II.

Ubi certum jam est uxorem ducere, et quod humanæ fuit diligentiae præstitisti, rursus votis est successus ab illo rogandus, in cujus est manu; quem indubiè largietur, et quidem prolixè (sic enim solet) si illius est tibi respectus ante omnia ob oculos versatus; nam si tu, postquam cupiditati, vel affectibus tuis, effuse indulxisti, ad eum accurris postulans ut ex animi sententia liceat re concupita perfrui, quid aliud quàm Deum vis esse velut lenonem quendam, et tuarum voluptatum administrum? ut in ejusmodi votis, ac comprecationibus, tacita quædam insit blasphemia, quid enim refert, nomines Deum lenonem, an optes? Nec veniendum est ad conjugium ut ad rem quampiam profanam, animo soluto, et securo, sed ut ad rem sacratissimam, composito et perpurgato; neque enim sola est illa conjunctio corporum, conjugium, aut strepitus ille inconditus saltantium et potantium, quæ sunt cum aliis rebus permultis ex gentilium moribus ad nos usque deducta ut est ingenium vulgi pejorum tenax, quum, contra, tum demum conveniret votis, ac supplicationibus ad Divos omnes, dare operam ut res tanti momenti feliciter utrique conjugum cederet.

Ceterum res ipsa est a Deo pronubo sanctificata, quæ efficit ut casti sint amplexus, torus immaculatus, progenies munda; et est, quemadmodum Paulus testificatur, magni illius mysterii symbolum, quo Christus ecclesiæ indissolubili nodo conjungitur: quocirca, quantum erit virium tuarum, altius te attolles, et cogitabis quantæ et quàm adorandæ rei imaginem sustineas; uxorem tuam esse tibi pro ecclesia, te illi pro Christo; ut tu ad eundem te modum adversus illam geras, quo Christus erga suam ecclesiam: incredibilis est Christi ad ecclesiam caritas, et tuam erga uxorem oportet esse, quàm fieri abs te poterit, maximam: in hominum, atque adeo animantium omnium natura, efficacissima est ad amorem conciliandum societas, et communio victus; quæ porro potest major esse societas, quàm inter

Christi et
Ecclesiæ
connubium.

Conjugum
communitas.

con-

conjuges? habent communem domum, commune cubiculum, communem torum, communem quamcunque fortunam, sive lætam, sive tristem, communes liberos; quæ societas aut consuetudo satis erit ad eliciendam benevolentiam ejus qui uxorem non amat? aut quis se ab illo amari credet, cui uxorem odio esse videat? Sunt qui utilitates in amicitis spectant, ut Epicurei, despicabiles ac sordidi homines, et amore indigni, ut qui amicum non ament, sed se ipsos; verum si quis est commodorum respectus, nulla ex re tanta existere emolumenta possunt, quanta existunt ab uxore, non ab equo, aut bove, non a villico, non a procuratore.

Uxor is usus.

Uxor est curarum levamen ac socia, et ministra diligentior quàm ancilla quæcunque, aut administer, qui omnes vel metu præstant operam, vel spe mercedis, uxor solo amore adducitur, ideoque omnia facit rectius, quàm ceteri; declaravit Deus, qui dixit: *Faciamus Adamo adjutorium ipsi simile*: nam in adjutorio utilitas ministerii significata est, in similitudine amor; servus enim, aut mercenarius, dissimiles sunt hero, ac prope non sunt illi pro hominibus, servus est domino, ceu pro equo, aut bove quodam suo, quem plagis admonet officii, mercenarius vero, pro equo meritorio, usus opera, repræsentat precium, illico, quæcunque consociationis fuit copula, discinditur; filii pars sunt patris, idcirco utrosque conciliat naturalis pietas; uxor conjunctior est adhuc viro suo; parens labores subit pro filiis, hi raro pro parente, et in alias domos mittuntur tamquam in colonias, ut quodammodo disjungi videatur arcta illa consociatio; uxor marito refert gratiam laboris, et quidem eodem tempore, nec illi domum, aut etiam lectum mutare, fas est. Quòd si commoda atque utilitates spectantur, quæ potest esse major illa, quod si ames uxorem, jucundissimam acturus es vitam, miserrimam, ni ames? Nihil est enim tristius, aut acerbius, quàm odisse, etiam si ameris; nihil felicius, quàm amare, vel invisam: quid prodest mihi aliorum in me benevolentia, si ipse intrinsecus meo ipsius odio corrodor? quid nocet aliorum in me odium, si animum meum placidissimum et dulcissimum occupavit affectus, amor? Intus est fons felicitatis, intus miseris;

Qui amat fe-
lix.
Qui odit
tristis.

Xx 2

ni-

nihil, aut perparum, efficiunt externa ad tristem aut jucundam vitam; sunt qui Angelos oderint, ipsos tamen felicissimos reddit amor suus; non desunt qui diabolos ament, infelicissimos tamen suo ipsorum odio; quid, quod fieri non poterit, quin redameris, si ames? potentissimum est pharmacum, amare, quo redameris: tum demum vitam coelestem deges, si mutua sit inter vos caritas, qualis est inter Angelos, et divas illas animas, corpore hoc terreno exutas, vestitas numine: quantum oporteat esse conjugii amorem, declarat ipsa connubii lex et natura, quam Adam, seu verius Deus per Adamum, pronuntiavit, ad quem quum esset Eva post primum illum dulcissimum soporem allata, futura conjux, et socia totius vitæ: *Ecce*, inquit Adam, *os ex ossibus meis, et caro de carne mea; propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suæ, et erunt duo homo unus*: hoc est summum amicitiarum, hic finis, ita cum re cara conjungi, ut unum fias cum illa: Vulcanum, ferunt in fabulis, fabrum illum deorum, conspicatum duos, qui magna inter se amoris signa ostenderent; Deum benevolentia illa et caritate delectatum (neque enim est aliud quicquam cœlitibus gratius, quàm amor) rogasse; quæquid esset, in quo vellent sibi ab ipso benefactum? O Vulcane, inquit illi, ut tuis istis divinis instrumentis nos rursus confles, ac refingas, unumque facias ex duobus! videlicet, ea est summa votorum omnium in amore, hoc album collimare cupit amor, assecuturus quicquid optat, si id effecerit; quod in illa demum cœlesti caritate est futurum, quum exuti carne peccati, omnes qui per Christum renovati erimus, unum et cum Deo fitemus et inter nos; quod a Christo edocti sumus.

Quid vero est, ab homine patrem et matrem relinquere, et hæere illum uxori suæ, nisi caritatem hanc reliquas debere omnes superare, etiam illas, quibus a natura sunt filii parentibus conciliati, quas oportet esse maximas? Hector apud Homerum, id est, homo solo naturæ hujus nostræ tam imbecillæ magisterio institutus, scire se ait futurum aliquando tempus quum Troja Græcorum viribus excindatur, et tamen nec sui, nec parentum, nec fratrum ita angi sollicitudine et cura, ut uxoris unius,

Amoris lex
in connubio.

unius, sic enim facit illum loquentem: dicam enim latinè, ut potero: (1)

*Haud equidem dubito quin concidit Ilion ingens,
Et Priamus, Priamique ruet plebs armipotentis;
Sed mihi nec populi, nec caræ cura parentis,
Nec Priami Regis tantum præcordia rodit,
Nec Germanorum, quamvis multique probique
Ense sub hostili vitas in pulvere ponent,
Quàm me cura tui, conjux carissima, vexat:*

habet virilis hic amor præsens continuo suum præmium; nam et in pectus uxoris transit ea flamma, ut ea quoque maritum flagrantissimè amet: sic Hector Andromachæ suæ unus erat instar omnium carissimorum nominum: Tigranes, apud Xenophontem, Regis Armeniæ filius, quum esset in Cyri potestate ipse et uxor, vita se redempturum professus est, ne uxor serviret; illa paullo post, quum Cyrus laudaretur, et ex ea, quæquid ei Cyrus esset visus, quæreretur? Sibi vero Cyrum negavit aspectum; a qua quum vir suus rogaret, quid ergo spectasti, si illum non es intuita? quem, inquit illa, alium, quàm illum, qui vita sua redempturum se confirmavit, ne ego servirem? ita mariti ardor uxorem accendit: sed tamen quænam futura sit amoris in connubio ratio, quibus potius præceptis atque auctoritate tradendum censeamus, quàm illius, quem Deus magistrum dedit gentibus per fidem et veritatem? Hic in epistola quam Ephesiis scripsit, sic ait: *Caput mulieris est vir, quemadmodum ecclesiæ caput est Christus, caput Christi Deus*: nihil humile hominibus proponit, aut de terrena sapientia, hoc est, de fæce haustum, quæ corrumpitur, quæ stultitia est apud Deum, quæque etiam in vita hac sæpenumero diluta, vim omnem et gratiam amittit; ad exemplum nos et imaginem attollit æternæ illius sapientiæ, per quam omnipotens Pater mundum hunc condidit; addit, caput illud ecclesiæ salutem esse corporis sui tam

Mariti amor
etiam uxorem
accendit.

Amoris in
connubio
ratio.

(1) Vives, ipse.

tam serio et bona fide, ut nihil cunctatus sit se ipsum pro illo impendere.

Ad hujus amoris imitationem vocat suos Apostolus, ut quemadmodum Christus universum sanguinem profudit, ut ecclesiam servaret, ita tu nihil dubites, non pro tuis aut uxoris affectibus, sed pro salute illius, mortem ingenti ac præsentissimo pectore oppetere; quid enim te animosum faciet, si amor non facit, qui etiam cervis, et leporibus, et imbellissimis animalculis, vires atque audaciam suppeditat? in salute vero, vita, sanitas, virtus, pudicitia, et pudor continetur, reliqua non salutis, sed stultitiæ nomine concluduntur, cujusmodi sunt divitiæ, cultus, deliciæ, inanis gloria, voluptates; neque enim ideo mortuus est Christus, ut ecclesiam auro et gemmis locupletaret, non ut affluerent voluptatibus et deliciis sui, hæc enim ipse contempsit, et suos docuit per illorum contemptum ad se venturos; affixus est autem cruci, ut ecclesiam sanctificaret, purgatam lavacro aquæ per verbum, quo illam sisteret sibi gloriosam, non habentem rugam ullam, aut maculam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta, et inculpabilis; sic oportet viros conjuges suas, ut sua ipsorum corpora, diligere: Dominus noster ecclesiam per mortem suam quotidie sanctificat, ut purgata purissimo sanguine sponsi sui, omni virtutum genere ornetur, deposito vetere illo Adam cum actibus suis, induta sponso suo Christo, qui factus est a Deo in similitudinem prioris Adam, sed cælestis, sub imagine terreni; tanta virtutum excellentia promicat foras, et in admirationem sui spectantes convertit; unde nascitur gloria ecclesiæ, ut per illam se attollant ad fontem tam immensi boni, qui hosce rivulos suscipiunt et admirantur; idcirco jubemur esse bonus odos in omni loco, sed Domino; et ipse Præceptor noster vult cognosci ab hominibus opera nostra bona, sed ut glorificent Patrem nostrum cælestem, a quo illa accepimus; astitit sponsa ad dexteram sponsi, in aurea veste variegata, et exulta, sed in tam precioso ornatu omnis gloria ejus non ex vestibus, sed intrinsicis; non ex iis quæ oculis corporeis cernuntur ab hominibus, sed ex iis quæ spiritu videt atque approbat sponsus, cui se or-

nat,

nat, et componit uni. Quis potest humile quicquam aut sordidum in matrimonio cogitare, imagine sublimium rerum ac divinarum? Ergo vita, virtus, et fama uxoris, cariora cuicque erunt sua ipsius vita, sicut Christus animam suam per incredibiles cruciatus posuit, ut ecclesiam suam servaret, sanctificaret, cohonestaret; nec aspiciendum, qua forma, quo genere, quo censu, qua valetudine sit uxor, quantum te redamet; omnis est amanda, et quamcunque sortitus sis, eo eris in illam affectu, quo Christus in ecclesiam, qui non detrectavit quin gravissimum subiret, pro filiis scelerum et flagitiorum, pro inimicis suis, supplicium, et ex eis ecclesiam suam institueret, id est, eos sibi adjungeret, haud aliter quam caput membra; ille vero quotidie docet rudem, fulcit labantem, illustrat obscuram, mundat, emendat, corrigit mira patientia et mansuetudine; denique, qualemcunque complectitur maximo amore, et fovet etiam ingratham, ac frigide respondentem tam ardenti sponsi caritati erga se.

Uxor est, et eo nomine jam unum tecum; ita, ut te ipsum ames, illa est amanda: Epaminondæ Thebano, principi bello et pace viro, rerum scriptores tradunt, factione inimicorum mandatum in civitate munus humile ac pudendum; ille vero magno se animo dixit accipere, atque ita administraturum, ut deinceps pro honestissimo populi magistratu haberetur; quod et perfecit: ille hoc potuit apud tantam, et tam variam, dissentientemque inter se civitatem, inter tot occurrentes invidos, tot inimicis illius conatus impredientibus, efficere, ut vile officium contemptui eximeret, pulchrum atque expetendum redderet, tu apud te ipsum præstare non poteris, ut carnem tuam ab ignominia et contemptu animi tui vindices? carnem vero? immo te ipsum? *Qui uxorem, inquit Paulus, diligit, se ipsum diligit; nemo enim unquam carnem suam oderit, sed nutrit et fovet eam, quemadmodum Dominus ecclesiam: amicum Aristoteles ex sententia Pythagoricorum definivit esse cuique alterum ipsum; conjugem definivit Deus esse cuique eundem ipsum: ad conciliandas conservandasque inter inæquales amicitias, hoc consilium præbet M. Tullius, ut minor se attollat,*

ma-

Id est homines labantes. Homines obscuros. Ingratos qui sunt in ecclesia.

Epaminondas.

Amicus alter ipse. Conjux idem ipse.

major demittat, ita rem ad æqualitatem posse redigi; in conjugio nihil opus est demissione, aut sublacione, sed ita se conjuges gerant invicem, ut uterque intelligat, et sentiat, se partem esse corporis et animi alterius; quocirca jam nec deformitas aut speciositas, nec inopia aut divitiæ, nec nobilitas aut ignobilitas, nec sanitas aut morbus, nec prudentia aut imprudentia alterutrius, illius est solum, sed utriusque, omnia enim fecit communia qui ambos fecit unum; nec unquam verus ac perpetuus erit amor, nisi in iis rebus collocetur, quæ etiam sepulcro sunt superstites; quippe forma, divitiæ, genus, ac hujusmodi, habent sua tempora, alia a natura statuta et definita, alia a fortuna, et humanis casibus; habent et suas societates; tum oblivionem quandam sui pro locis ac negotiis; neque enim cogitare semper de Fabiis, aut Corneliis, de Cerdis, aut Mendozis, de Luxenburgiis, aut Valesiis, possumus; aut grandem esse numeratam dotem; flaccescit affectus tempore, et quod primo cupidè expetebatur, usu et copia sui satietatem, atque inde fastidium in aviditatis locum relinquit. Hæc omnia amorem minuunt, atque adeo ex eis quædam penitus delent, qui si in animo ac virtute sit situs, diuturnus, seu sempiternus potius erit; virtus omni loco, omni tempore præsto est, nunquam otiosa et segnis, nunquam inutilis aut supervacanea, semper in actu, semper in officio; humanus animus ne morte quidem extinguitur; ita et illos credibile est post fata eos etiamnum amare, quos habuerant in hac luce caros; et qui animos illos amabant, liberatos quoque corpore eodem amore prosequuntur, tamquam amicos absentes, non vita functos.

Itaque videmus multos fidem et amorem conjugii etiam post conjugum mortem præstitisse, ut illa Demotionis Arcopagitæ filia, de qua scribit adversus Jovinianum D. Hieronymus, quæ, Leosthene sponso mortuo, negavit se alteri nupturam, quòd adulterum acciperet, non maritum, illum enim vita functum, sibi tamen adhuc vivum maritum esse: et Romana illa, quæ verba facientibus de nuptiis, *Sibi vero maritum vivere*, respondit; quàm acutè, ut cetera, Lucanus Corneliam Metelli Scipionis filiam, Magni Pompeji ultimam uxorem, inducit,

pel-

Demotion
Arcopagita.

Leosthenes.

pellicem se Juliae vocantem! quasi etiam tum, inter viventem et manes duraret copula tantæ caritatis: quid, quòd naturâ cupit se quisque esse carum, et captat aliorum favorem et gratiam? idcirco ea studet conservare ac augere, per quæ intelligit se esse favorabilem et gratiosum; uxor, si te forma sua videt captum, velitque abs te amari, unicam omni diligentia curabit formam; si loquacitate, nunquam tacebit; sin virtute, hoc potissimum studebit quemadmodum se quotidie probitate et recte factis superet: Biantis, unius ex septem illis, quos Græcia Sapientium nomine donavit, ajunt præceptum de amicitia fuisse, ut *sic quisque amaret, tamquam esset osurus, sic odisse, tamquam aliquando amaturus*: nescio an in hoc homo ingeniosus adductus sit magis schemate verborum, quàm veritate sententiæ; quorsum enim consilium illud spectat, nisi ne quis cuiusquam sit bona fide vel amicus vel inimicus? non immerito subverti omnem amicitiam ait Cicero, si quis ut osurus amet, quid enim fidet, ac credet? quomodo se amico totum patefaciet? quomodo vere, et toto quod dicitur pectore, illum diliget, quum illa subibit cogitatio, futurum eum aliquando inimicum, aut esse posse? nimirum contrahet se, et prospiciet iis casibus qui possent accidere; itaque in usum vitæ sic sententia illa convertetur verius, et naturæ atque humanitati congruentius: *Ama, tamquam nunquam osurus; oderis, tamquam aliquando amaturus*: simpliciter est cum amicus omnis diligendus, tum vel in primis conjux, et quando amor, quemadmodum etiam reliqui affectus ex eo sunt genere, quos a Philosophis nominari habitus diximus, habitus vero crebris actionibus et tempore invalescunt, danda est opera, ut initio omnis ultro ac citro offensio devitetur, ne, quemadmodum Plutarchus inquit, *Tenera adhuc, et mollis conglutinatio, quamlibet levi impactione diffringatur*; alenda, et vegetanda est nova illa animorum compactio officiis, et suavitate convictus, donec ita coaluerit, ut ne gravibus quidem concussionibus possit dissilire.

Ergo et suspiciones omnes procul arcendæ, cum omni tempore, tum potissimum inter exordia matrimonii, ne prius odisse incipias, quàm amare: eas vide ne ipse levibus tibi de causis

Tom. IV.

Yy

et

Biantis de
amicitia præ
ceptum.

Habitus.

Amoris con-
jugii initia.Suspiciones
vitandæ.

et conjecturis confingas, quas ne tum quidem oportet pronis auribus accipi, quando majoribus forsitan de causis erunt delata: nulli cujusquam hominum mores tam esse undique numeris omnibus consummati possunt, ut unicuique satisfaciant; et cui fuit in manu culpam præstare, huic non fuit suspensiones, propterea quòd judicia hominum sunt libera, atque adeo licentiosa, et ea quæ vident, atque audiunt, interpretantur non ex vero, sed vel pro affectu, vel pro conjectura quam sibi quisque gaudet comminisci, et alii aliis conjecturis plus aut minus tribuunt. Jam vero Pausanias, in Symposio Platonis, geminam Venerem, geminum etiam Amorem ponit, cœlestem, et terrenum; terrestris amor cæcus est, abjectus, obscœnus, circa vilia et spurca, nam præstantiora illa nunquam intuetur; cœlestis vero amor, oculatus, virtutis, rerumque vere pulcherrimarum, et cœlestibus similium cognatarumque affectator; mariti, qui uxoris, vel formam, vel pecuniam amant, terrestri amori sunt subditi, et excæcati, nec in amando rationem, neque modum ullum norunt; qui vere mariti sunt, et animas ac virtutes diligunt, ii non carent iudicio in amore, et cœlestis illius amoris vi et spiritu quodam afflati, prudentissimè amant, amorque ille purus et sanctus, non impellit eos, aut præcipitat, quod facit terrenus, violentiâ, sed sapienter persuasos, molliter quò oportet adducit.

Amat sapiens maritus uxorem, et quidem validissimè, sed ut parens filium, ut caput corpus, ut animus carnem, ut Christus ecclesiam, sic enim se invicem habere debent vir et uxor, ut hæc ista: hoc natura ipsa nos edocet, hoc litteris prodidere magni viri, rerum divinarum, id est, auctoris naturæ conscii: prius creatus atque eductus est Adam ad imaginem et similitudinem sui conditoris; huic, quum non videretur convenire solum illum vivere, datum est adiutorium ipsi simile, et de ejus latere productum, ut sit Adam Evæ, quod pater filio; dictumque est Evæ: *Sub viri potestate eris, et ipse dominabitur tibi*: ita est, non in homine solum, sed in omni animantium genere ac natura; femina est in manu et potestate maris sui, idcirco mari major attributa est vis, et vigor animi ac corporis, quàm fe-

Amor duplex.

Femina sub viri potestate.

feminae; quæ enim sunt regendi instrumenta, ea potiora ac præstantiora est in quaque specie mas sortitus; acumen ingenii, diligentiam, sagacitatem, robur, audaciam, generositatem, ac sublimitatem animi: quapropter Romani naturæ vocem secuti, nunquam mulieres virili auctoritati in totum exemere: *Majores nostri*, inquit Livius Catonis verbis, *nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, virorum*. Conjugium nominatur, et comparati dicuntur; sed non sunt pares, nisi impar sit viro femina, quemadmodum festivè lusit Martialis epigrammate: (1)

Conjugium, Compares.

*Inferior matrona suo sit, Sexte, marito;
Non aliter fiunt femina virque pares:*

ergo marito adversus uxorem suam unus sufficit affectus, amor, sed videns; uxori in virum duo sunt opus, amor, ac veneratio.

Non coguntur affectus, sed persuasi eliciuntur; nec amorem, nec venerationem violentiâ extorquebis, impetrabis facilius, postquam ea præstiteris, quibus illæ animi affectiones invitantur atque educuntur; duo sunt velut magnetes amoris, et reverentiæ; amore amor attrahitur, nec ulla sunt philtrea his validiora: (2)

Amor et reverentia.

Hoc non fit verbis, inquit ille, Marce, ut ameris, ama:

non arte, non casu aliquo, putant naturæ rerum periti hoc accidere, sed arcano mundi artificio; Plato enim sapientiæ studiosus ait, mundum universum quibusdam quasi nexibus compactum et colligatum esse ab opifice illo suo Deo, ut alia aliis ita adhæreant, ut si quis ullum illorum ceperit, alterum etiam occulta illa connexionem trahat, velut annulos in torque; sed præcipuè conjuncta esse similia, et conformia, unde nascantur contagia morborum, et benevolentia in naturæ similitudine atque ingeniorum, et amantes redamari: ceterum amorem hunc oportet verum ac germanum esse, alioqui nihil habiturum virium ac efficaciam; pictus in pariete ignis non urit; falsus magnes fer-

Yy 2

(1) Lib. 8. Epig. 12. v. 3.

(2) Martialis Epig. lib. 6. Epig. 9. v. 10.

ferrum non attrahit: mirantur quidam non redamari se, quum ipsi tot signa amoris ostendant; amoris signa non sunt amor; ideo nec idem efficiunt, quod amor ipse: immo vero, ficta hæc et simulata, in contrarium, deprehensa, proficiunt, ut odiosus sit, qui cum non amaret, tam expressas ederet caritatis significationes: conciliatur etiam amor opinione probitatis; nihil est enim virtute, ut est apud Ciceronem, amabilius, nihil quod magis omnium mentes animosque ad se amandum pelliat; videlicet, amor est affectio erga pulchrum, nihil vero est virtute formosius, quæ si oculis corporis cerni posset, mirabiles amores excitaret sui, ea mentis oculis spectatur, trahitque aspicientes ad sui benevolentiam: venerationem parit opinio præstantiæ, quæ sita est in potentia vel corporis vel animi; ad corpus pertinent vires, opes, amici, clientelæ, servi, ministri, subditi, favor, gratia, dignitas, honor; in animo sunt, iudicium, prudentia, ingenii acumen, sagacitas, vigilantia, fortitudo, et audacia, quibus magnæ et præclaræ res geruntur; ex his nascitur majestas, qua omnia reguntur inter homines; hac Reges et magistratus magnos populos atque provincias tuentur, et unius hominis arbitrio tot hominum millia obtemperant; hac duces atque Imperatores armatos exercitus quocunque libitum est agunt; hac eget herus in famulos, hac pater in liberos, hac maritus adversus conjugem, ut illa et bonum virum amet, et prudenti obsequatur; prudentia enim, remotâ probitate, vafricies est, et res formidabilis; bonitas, semotâ prudentia, diligitur quidem, sed nullum velut jure suo obsequium adipiscitur: in eadem majestate, justitiæ vis inest permagna, nempe, et ad remunerandum, et ad puniendum, viribus, æquitate, voluntate.

Quibus ex rebus marito tantum sufficit, quantum ad regendam domum continendamque in officio conjugem ac familiam est satis, aliis enim opus est viribus, ac majestate, ad gubernandam civitatem, tam variam, et tot familiis constantem, quàm domum: caput horum omnium est fides quæ certissima atque expeditissima per scientiam paratur, proxima vero, qualicunque persuasione; *M. Cato*, sicut *Sallustius* scribit, *esse, quam videri bonus, malebat; ideo quo minus gloriam petebat, hoc eam magis*

as-

assequebatur: qui vero deauratum habet anulum, huic vel conservanda est diligenter bracteola, vel resarcienda, ut solida credantur omnia, vel certe convertendus annulus, aut procul a conspectu submovendus, ne oculis admoveri propius possit, illinc vero minimè convenit eradi ac detegi, unde fœdissimus appareat contemplanti annulus; quod quidem judicandum est non simpliciter, sed prout cujusque ingenium res alias pluris aut minoris æstimat, nempe, vel venam, vel precium, vel pondus, vel materiam, vel artificium; obryzum oportet existimare nactum se, quisquis habeat.

Quæ opiniones primis statim congressibus novos adhuc animos occupant, firmissimæ esse in posterum solent; sicut quæ a pueris vidimus, tenacissimè hærent memoriæ, et primi illi lanarum colores nunquam eluuntur, infectumque in lana pannum vulgo dicunt, quem significant nunquam colorem amisurum; idcirco non eæ modo affectiones continuo sunt a primo inducendæ, sed tota etiam vitæ est ratio ac ordo instituendus ut toleratu sit facilior, et consuetudine dulcescat, qualem tibi maximè putes expedire spectato ingenio tuo, ac uxoris, opibus, facultatibus, non præsentibus tantum, sed quas verisimile est deinceps adfuturas, quin etiam ratione aliqua habita casuum humanorum, ne gravis sit mutatio, et fere intolerabilis delicato uxoris animo, nempe femina, tametsi casus sunt propè infiniti, nec illorum iniri ratio potest ulla, atque eorum plerique ad curam sunt illius remittendi cui nos omnes cum universo mundo sumus curæ, quique nos futurarum atque incertarum rerum cogitationem ac sollicitudinem jubet ponere, sui unius esse illa muneris, humanam sedulitatem non ea posse magis præstare, quàm ingenium nosse. Sed ut revertar ad id quod proposueram, cavendum est ne quum procaris, dicta jam uxore ac pacta, ineptis illis amoribus indulgeas, id est, adulatoribus voluptatis, in quibus multa homines coguntur et dicere et facere putida ac puerilia; de quo amandi genere est *Mimus* ille: *Amare et sapere vix Deo conceditur*: amor et vinum in tua potestate sunt, antequam bibas; postquam biberis, tu es illorum possessionis ac mancipii; hinc illa opinione de te im-

bue-

Ænigma.

Amor quid?

Veneratio.

Majestas.

Fides.

buetur, et quidem prima, vanum te, ineptum, futilem, stultum esse; nec in ejusmodi amoribus retinere majestatem poteris:

*Non bene conveniunt, inquit Ovidius, nec in una sede morantur
Majestas et amor:*

de terrestri illo et cæco amore Poëtam locutum, res ipsa testatur, nam alter ille oculatus, et cordatus, majestatem non imminuit: nec ferre potest mulier, ut quem sibi aliquando subditum vidit, patiatur jam dominum; et quanto imbecillior est mulieris animus, hoc est magis anxius potentiæ; et semel dominationem nactus, injuriam se putat accipere, nisi semper deinde dominetur: nec ullum est imperium violentius aut gravius, quàm eorum quos ratio ac natura subditos esse jussit, ut servorum, turbæ opificum, puerorum, mulierum. Sed quemadmodum virum, quum amat, meminisse volumus majestatis, ita amoris non oblivisci, quum regit, hoc enim oportet esse in virili pectore amoris et majestatis temperamentum; nam quum cogitat se esse caput et animum, illam velut corpus et carnem, simul venire illi in mentem convenit, esse illam filiam, et sociam laborum ac fortunarum, communem esse inter eos sobolem, os ex ossibus, et carnem de carne viri; ita erit in conjugio dulcèdo illa et suavitas convictus, quæ si absit, non jam est conjugium, sed carcer, et odium, et carnificina animorum perpetua.

Sentiat uxor amari se simpliciter, ac bona fide, sed hac de causa quòd optimam de illa habeas existimationem, non ullâ utilitatum, aut voluptatis gratiâ; nam qui se non propter se amari intelligit, haud facile in amando facit paria, tedamat enim, quod amatur; pecunia quum diligitur, aut nobilitas, hæ amoris responderent, si quem haberent amandi sensum; animus quum amatur, is quia et amare potest, refundit quem acceperat amorem, et qua est parte attractus, respondet, et ut sentiet amari, ita virilem amorem sapientemque agnoscet; arulatori, qui rudium equorum gradus format, in duro et contumaci pullo hærendum est, strato et stapedis insistendum, et arte regendæ habenæ, et calcaribus quum est opus urgendum, in

Viri amor et
majestas.

in obsequentiore multum remittit de diligentia et cura; aspera uxor, et amore est lenienda, et regenda majestate; miti, et probæ, quo te blandiorem præbueris, hoc eam mansuetiorem experire; generosa, et excelsò animo, plus reverebitur virum, quanto ille negligentius reverentiam asseret; sed nec ita se unquam prudens maritus in amorem effundet, ut se virum esse obliviscatur, et rectorem domus ac uxoris, et positum se velut in statione illa, ut vigilet, ut attendat quid domi suæ fiat, quid ingrediatur, quid egrediatur; industria, arte, diligentia opus est pecudum rectori; quanto magis hominum, animantis adeo varii, atque intractabilis? Si hoc consecutus sit vir ut verè et ex animo ab uxore ametur, nihil jam opus est præceptis, aut legibus; amor eam, et plura, et efficacius, quàm ulla philosophorum monita, docebit; et quum affectibus posita sit lex, non rationi, quæ ipsa est lex, affectus omnes rectius in officio amor continebit, affectuum omnium potentissimus tyrannus, quàm leges ullæ, quamlibet vel scitè ac prudenter, vel imperiosè ac minaciter, latæ et constitutæ; amanti non est posita lex; quid enim ponat homo legem ubi natura ingenuit? Patri adversus filium nemo legem unquam statuit, filio in patrem statuit, propterea quod in patre ardet semper animus caritate erga filium, hic nonnunquam in patre amando cessat; uxor si amat virum, is est ei pater, mater, fratres, opes unicæ, et quidquid optari potest; felicem illam domum, quam conjungit eadem copula, quæ mundum, quæ cœlos, et cœlestes illas mentes, nempe mutua caritas! et quid est in universa vita, quod possit vel cum uno tam beati convictus die comparari! Habuerat Calenus in matrimonio annos quindecim Sulpiciam, feminam inter matronas Romanas doctissimam, et pudicissimam; de hoc connubio Martialis sic scripsit: (1)

*O molles tibi quindecim, Calene,
Quos cum Sulpicia tua jugales
Indulsit Deus, et peregit annos!*

O

(1) Epig. lib. 10. Epig. 36.

Lex affecti-
bus non ra-
tioni posita.

O nox omnis, et hora, quæ notata est
 Caris littoris Indici lapillis!
 Vixisti tribus, ô Calene, lustris;
 Ætas hæc tibi tota computatur,
 Et solos numeras dies mariti;
 Ex illis, tibi si diu rogatam
 Lucem redderet Atropos, vel unam
 Malles, quàm Pyliam quater senectam.

Tum demum est inter conjuges idem concentus, atque eadem harmonia, quæ inter cælum et terram, qua constat officium naturæ, et per quam tanta animantium stirpiumque varietas et pulchritudo producit. Itaque perscrutandum, an simpliciter et vere amet, ejusque ingenium pernoscendum, et quemadmodum ignis igne accenditur et crescit, ita amore amor, ut ab uxore redamatus, non modo illam amet ardentius, sed sibi quoque ipsi fiat ea causa commendatior; ita flamma et aliam flammam auget, et ab ipsa invicem augetur: *Habet in se*, inquit Seneca, *non mediocre res ista gaudium, et mercedem; quid enim jucundius, quàm uxori tam gratum esse, ut propter hoc tibi carior fias?* Si qua est res in istis fortuitis alia, qua confidat, aut fiat ferocior, vel quam amet, atque admiretur, unde vel maritum despiciat, quia non habet, vel se marito æquet, aut etiam anteponat, quia ipsa habet, hujus contemptus est ostendendus, et precium elevandum, ut revera nulla est hujusmodi res, quæ verum solidumque habeat, et a natura, ceu ædile quodam, positum et taxatum precium; tantum ex stultitia humanarum opinionum accepit; *Formam*, quàm fragile existimes munus, quàm fugax, et aliis quàm possidenti utilius, quippe fruitur eo aspectu spectator, formosus vero nec se potest frui, nisi leviter ad speculum, continuo ejus quod viderit, immemor, et est utrique incitamentum ad malum; qui habet, insolescit, ac superbit animo, qui intuetur fit amator formæ, et subjicitur fædo illi amoris ac spurco; in mente, unde homo censetur, esse vera pulchritudinis lineamenta, quæ sui amores conciliant præstantes ac cœlestes, in quibus nihil sit tetrum, nihil dictu

aut

Uxorem ferocem redentia, elevanda.

Forma.

aut factu pudendum, quocirca nullum esse, modò mentem ac judicium habeat hominis, qui non multo malit probam deformem, quàm insigni specie improbam: *Divitias* declarabis te non magni facere; tibi, quod habeas, sufficere; nec artem deesse quærendi; nec grave futurum tibi, parvo te tolerare, si nequeas vivere in re lauta; finem pecuniæ esse, satisfacere naturæ contentæ exiguis, quum opinio vasta atque infinita sit: *Facundiam* te non probare in femina, hoc est, loquacitatem esse tibi suspectam, quam magis silentium et taciturnitas deceat, etiam fere usque ad vitium, neque enim nimis posse feminam in tacendo progredi: *Genus tuum* non esse prorsus pernitendum, et qualecunque sit, generosior semper maritum esse, quàm feminam; nec solere spectari quis parens, sed quis maritus fuerit; hunc nobilitatem aut ignobilitatem conferre uxori ac natis; ceterum neminem debere aliena virtute fidere, quam omnes eisdem elementis constemus, unumque esse universorum Patrem Deum; impiumque esse, christianos exuto vestito Adam, et baptizatos per sanguinem Christi, post innovatam illius morte creaturam, genus adhuc corporum spectare, quos jam spiritu oportebat vivere si christiani essent nominandi; unum esse nostrum omnium patrem, caput, et proavertorem generis, Christum, per quem redditi sumus naturæ natalibus, a quibus propter primum illud scelus exciderat tota gens hominum; hanc unam esse nostram nobilitatem, in qua nec sit Græcus, de litteris et ingenio gloriabundus, nec Judæus, de repromissione terrestris Canaan, et circumcissione Abrahamæ, nec Romanus, de triumphis, et imperio subacti orbis, sed christianus, id est, spiritalis homo, atque cœlestis.

Quid dicam vel viris ipsis turpe esse, laudem ad se ex genere trahere, quanto feminis turpius? quippe, gloria generis jam non præclara aliqua virtute comparatur, sed vel coacervatione opum, quas colligit ampliores iniquus ac avarus quispiam, vel bello, cædibus, latrocinis, crudelitate, quale est genus tam per Hispaniam celebre Gotthorum; quæ, quum viro sint pudenda atque abominanda, quanto erunt feminæ terriora, cui sunt arma et bella a natura negata? Sed de forma;

Tom. IV.

Zz

di-

Affines.

divitiis, facundia, genere, multa dici possent, quæ ego in pauca contuli, ne in communi loco Lectorem proximo sermone onerarem, præsertim quum ea quæ hisce de rebus dici soleant, in medio fere sint posita. Cum *affinibus* ita te geres, ut uxor intelligat tam honestam esse illis vestram conjunctionem, quàm tibi, nec minus bene cum illis actum, quòd tu ipsis affinis contigeris, quàm quòd illi tibi; solent affinium quidam graves esse, et existimare nihil sibi in affinem non licere; qui si tales sint, ut eam de te præbeant significationem te sine sua ope domum et familiam sustentare non posse, etiam si eis plurimum egeas, remitte illis opem ac beneficium omne; præstat enim, juxta Sapientis consilium, ut *domi tuæ pane atro et salsamentis vescare, quam delicatissimè et opiparè conviveris cum rixâ et jurgio*: sed nec illi, si sapiunt, ostendent uxori tuæ, tam parvi te ab ipsis æstimari; propinquæ concordiam tecum inani suæ jactantiæ anteponent; quin et in omni tua lite cum uxore tibi aderunt, uti par est: quòd si non fecerint, dementes se ac stolidos esse declarabunt, et tibi ejusmodi affinibus minimè erit opus: si utiles illi erant tibi, quære aliunde subsidium tuis rebus: denique, quomodo, possis, cunque, te tolera citius quàm ut ejusmodi affinium malefico beneficio utaris.

DE DISCIPLINA FEMINAE.

CAP. III.

Legum præcipuus usus.

Prima deberet esse legibus ea cura, mea quidem sententia, ut civium mores rectè constituerent, darentque operam ut de rebus incorruptè sentirent; nam si bene educatam moratamque habuerint civitatem, exiguus supererit in jubendo aut vetando labor, neque admodum erit opus aut ad deterrendum pœnis, aut præmiis ad allicefaciendum: caro nostra, peccati cœno infecta, quum individua sit mentis comes, pravissimas illi de rebus omnibus opiniones offert primum, hinc, quoad potest, inculeat atque infigit; quæ calamitas utrique sexui est communis: ad extirpanda ejusmodi depravata judicia, disciplina in-

Disciplinæ necessitas.

di-

digemus, quæ cognitione litterarum velut compendio quodam paratur; video venisse in quæstionem, an expediat feminam litteras nosse? de qua multi ambigunt, alii pro comperto habent, non esse consultum: de ea paucis disputavi in volumine primo de Femina, quantum res eo loci postulabat; neque hic multis morabor Lectorem; tantum ea dicam, quæ satis esse videbuntur ad confutandam eam sententiam, quæ nobis non probatur; in quam existimo delapsos nonnullos, dum alias litteras ex aliis censent: quòd si litterarum rationes ac genera explicentur, et designetur quæ sit cognitio quam nos feminæ profuturam dicimus, puto non fore multos, qui diversam potius sententiam sequantur, quàm nostram. Sunt litteræ, quæ ad expoliendum locupletandumque sermonem spectant; sunt aliæ, quæ ad voluptates sensuum, aut astum, ac vafriciem; aliæ, quæ ad cognitionem naturæ; aliæ, quæ ad animos componendos: voluptates titillant pleraque Poëtarum opera, et Milesiæ fabulæ, ut Asinus Apuleji, et fere Luciani omnia, quales crebræ sunt in linguis vernaculis scriptæ Tristani, Lanciloti, Ogerii, Amadisii, Arturi, et his similes; qui libri omnes ab otiosis hominibus, et chartarum abundantibus, per ignorantiam meliorum sunt conscripti: hi non feminis modo, verumetiam viris officiant, quemadmodum ea omnia, quibus nutus iste noster ad pejora detruditur, ut quibus armatur astutia, accenditur habendi sitis, inflammatur ira, aut cujuscunque rei turpis atque illicita cupiditas.

An erudire expediat feminam?

Litterarum diversitas ac usus in femina quis?

Exigua quædam naturæ cognitio, quantum opus est communi huic vitæ rationi tuendæ, utilis est feminæ; exactior illa, simul cum eloquentia et ornatu verborum, viris magis congruit; illa vero qua mentes meliores redduntur, utrique est sexui maximè necessaria: ex se homo neque bonus, neque malus nascitur, pronior tamen ad vitium momento illo primæ noxiæ; incitatur eò exemplis multorum, et ceu conspiratione quadam peccantium, nusquam enim convertit oculos, quin videat quod cum scelere aut flagitio imitetur; impellitur eodem exhortationibus illorum, qui videntur velle bene consultum; primum Poëtarum, et quasi publicæ vocis, quæ enim isti componunt,

Zz 2

ad-

adlubescunt animis, recipiuntur, cantillantur, et sine sensu ullo admittuntur in animos, ut hæsisse prius sentias quàm applicari; jam magistri primæ illius ætatis, qui non multum a populari sensu atque opinionibus distant, eadem illa admirantur, quæ rude vulgus, genus, divitias, potentiam, honores, ultionem, ad hæc hortantur, et fingunt teneros animos.

Parentes, et propinqui, inane virtutis nomen esse rentur, ad ista formant suum puerum quæ sunt sensibus blanda, non ad durum ac rigidum honestum, dum vel ipsi altius se non attollunt, quippe sunt ex turba vulgi, vel ita vivunt, et se pro exemplis actionum omnium haberi postulant; nec desunt parentes, quod magis mirère, viri graves, atque eruditi, qui virilem illam et severam virtutem filius tamquam comitem adjungi exhorreant; et immodicus ille, atque inconsultus amor, pravam quandam ad delicias indulgentiam suadet, ut quum probitas adeo sit naturæ nostræ congruens, merito Quintilianus miretur, tam paucos esse bonos, sed eundem mirari oportebat, quum institutio sit tam prava, bonum esse ullum. Quòd si a proclivitate quadam pæne naturæ, si exemplis, si hortatibus, et consiliis magnarum auctoritatum, ad malum impellimur, non revocamur, ac retrahimur disciplina ulla, quæ est reliqua bonitatis spes? omnia ruent in nefas, et venietur per consuetudinem peccandi ad fastidium honesti, et contemptum bonæ mentis, et odium virtutis; excitanda est rationis vis, ut aliquid in animo possit; instillandus amor virtutis; tradenda sunt adversus corruptelas opinionum præcepta sapientiæ; usu atque assuefactione proclivitati resistendum; et quasi continenter cum ea de mentis et animi totius possessione decertandum: animal est femina ratione præditum ut vir, et ingenium habet ambiguum ad utrunque usu et consiliis flexile; si sunt nonnullæ malæ, id non arguit naturæ malitiam, non magis quàm in viris, ut magis ridiculi sint, qui in cunctum sexum sint invecti propter aliquas parum probatas, et non eandem rabiem in totum humanum genus exercuerint propter latrones aut veneficos: quæ vero est dementia, existimare ignorantiam bonorum quenquam meliorem fieri? ceu vero in humanis animis non ex se magnæ ac den-

Femina non magis natura malæ quam viri.

densissimæ sint ad bonum contuendum tenebræ, mala ultro se ingerant, quibus nihil sit doctore opus; nec unquam in nullo sistunt, quemadmodum erant ingressa; gliscunt sensim, et foras se effundunt, ut cujusque vitium etiam alios lædat: quòd si non expedit bona legere, nec audire expediet, nec videre; neque enim sunt ipsæ litterarum formulæ, de quibus est controversia, sed ea sensa, quæ litteris sunt conclusa, et consignata: ergo uxor, aut filia tua, discet quemadmodum se comet, et pectet, et fucabit, et insolabit capillos, et subfumigabit chirothecas, et acu supparos pinget, et qua pompa incedet, et quibus verbis erit vel ad lasciviam vel ad superbiam instructa, non audiet quomodo hæc nugamenta contemnet? quomodo ornabit mentem? quomodo placebit Christo? huius tu es sententiæ homo christianus, qua nunquam fuisset stolidissimus gentilis! excludetur igitur mulier ab omni bonarum rerum cognitione, et quo erit imperitior, tanto melior credetur?

Sunt quidam in eam torpedinem adducti, ut meliores credant rudes, etiam viros; quibus ego consuluerim, ut asinos potius gignant, quàm homines, aut, ut dent operam ut quicquid est in filiis ad res pulchras et præclaras igniculi, sedulo extinguendum curent, eosque bestiis reddant, quàm hominibus similiores, ita demum optimos, et quales optant habituri. Quòd si eruditio probitati obest, oberit educatio inter doctos: melior ergo et commodior inter imperitos; et hac de causa satius erit ruri, quàm in urbe educari; multo etiam consultius in saltu aliquo, et solitudine, quàm ruri inter homines; nam in contrarium recurrendo invenietur quo excultiore sunt doctrina homines, et experimentis ac usu rerum, hoc magis convenire inter illos educari pueritiam: atqui ut de feminis, quemadmodum cœperam, loquar, ego, contra usu evenire, comperi, malas omnes, rudes ac ignaras prorsus esse litterarum; doctas vero, probas et laudis ac decoris amantissimas; nec ullam memini vidisse me impudicam, doctam: an non quidvis facilius hebeti ac imperitæ calidus et callidus amator persuadebit, quàm ingenio et eruditione septæ ac munitæ? Immo vero hæc sola est causa, cur pleræque omnes feminæ sunt dif-

Feminae doctæ rudibus meliores.

faciles, morosæ, studiosæ cultus, admiratrices nugarum, in prosperis insolentes, in adversis abjectæ ad mœrorem, denique intolerabiles, quòd nulla meliorum rerum cognitione imbutæ, aliud nec amare possunt, nec odisse, quàm quod sub indocta didicerunt matre, aut malorum exemplis, et quòd vergit invalescens corporis pondus, nullis sapientiæ monitis fultum: nec viri ipsi, id est, hominum genus, a pecudum ingenio et ritu abesset, si naturæ huic suæ relinqueretur, infectæ jam et corruptæ sordibus delicti; an esset fera ulla tam immanis, tamque a conditione ac natura hominum aliena, quàm homo ipse, semota institutione? Socrates, hoc est, (ut Valerius inquit) *humane sapientiæ quasi quoddam terrestre oraculum*, in Symposio Xenophontis sic loquitur: *Cùm ex aliis, inquit, permultis, tum ex iis quæ puellam hanc videtis facere, manifesto licet colligere muliebri ingenium nihil esse quamcunque ad rem ineptius virili; tantum opus est consilio, et viribus; quocirca adhortor vos omnes, quotquot estis mariti, ut uxores vestras intrepidè doceatis quicquid eas velit, si sciant usu præstare, ac exequi: sic ille: et Seneca: Mulier, inquit, non refert quàm locuples, aut honorata sit, eque impudens animal est, et nisi scientia accessit, ac multa eruditio, fere cupiditatum incontinens: quid idem ad matrem suam Albinam? Utinam quidem virorum optimus, pater meus, nimis majorum consuetudini deditus, voluisset te sapientum præceptis erudiri potius, quam imbui; non parandum tibi nunc contra fortunam esset auxilium, sed proferendum; propter istas quæ litteris non ad sapientiam utuntur, sed ad luxuriam construunt, minus est indulgere studiis passus. Sed nihil auctoritatibus indigemus, ubi clara exaudiri naturæ vox ac diserta potest, hoc ipsum jubentis, contra quam etiam si philosophi omnes conspirarent, non magis efficerent, quàm si soli conarentur luminibus obstruere: habemus naturæ conjunctum cœleste testimonium.*

Quid majus aut excelsius est in omni genere sapientiæ, quàm religio? Atqui Dominus noster ad mysteria suæ pietatis, præ quibus humana omnis sapientia mera est stultitia, feminas quoque admisit, ostendens sexum illum maximarum etiam rerum esse capacem, et eidem conditum esse felicitati, cui viros:

præ-

Institutio
quantum ho-
mini confe-
rat.

Feminæ ma-
ximarum et-
iam rerum
capaces.

præceptis esse illas excolendas, condocendæ usu, quemadmodum et nos; quòd meliores non sint, nostram esse culpam, qui doctrinam subtrahimus; nostrum enim est hoc munus, nostra quasi provincia, illas instituere: si est vir uxoris caput, si mens, si pater, si Christus, horum omnium munere, ac officio, docendam habet uxorem; quippe Christus non tantum servator atque instaurator est suæ ecclesiæ, sed etiam magister; patris est, filium recte educare atque instituere; nam de mente, ac capite, quid attinet loqui? in mente est hominis ingenium, consilium, ratio; in capite sensus omnes, quibus ad vitam hanc utimur tamquam ducibus; itaque in officio turpiter ac flagitiose cessat, quisquis feminam suam non instituit: idem Socrates dicebat: *Viros a publicis civitatis legibus debere regi, feminas vero a virorum cohabitantium disciplina: sed Paulus, quum ita edicit: Mulieres in ecclesia loqui non placere, tantum si quid dubitent, viros suos domi interrogare: aperte necessitatem viris imposuit erudiendi; quorsum enim virum femina sciscitabitur, qui docere vel nolit, vel non possit? tot bella feminarum causæ sunt suscepta, tantum laborum adimus ne quid eis domi in cultu, in victu, in nugis desit, ne dos filiabus ampla ad conditionem parandam; levem operam, qua meliores fiant, defugimus; quales si essent, nec illarum flagitia nostras armarent manus, nec quicquam deesset paucissima requirentibus, et ad conditionem plurimos pulchritudine virtutum allicerent.*

Jam quæ feminam existimem oportere cognoscere, hæc ferre sunt: primum, ut se ipsa norit, ex quibus sit primordiis condita, et in quem finem, qui sit rerum ordo et usus; tum, summam christianæ pietatis, sine qua nihil recte fit, et cum qua recte omnia; sed pietatis, non superstitionis, ut discat, quid hæc inter se distent; pietas enim facit simplicissimas, ac optimas, superstitio fucatas, et molestas; ita sciet, quibus in rebus sita est vera religio, quomodo colendus Deus, quomodo amandus proximus; hinc qui amor, qui cultus debetur marito, qui illi debet esse instar numinis, et illius voluntas pro divinis legibus; quid aliud illi erit domus, quàm vice totius Reipublicæ? quæ sint in re familiari suæ partes, quæ viri; duas

es-

Virorum esse,
feminas
docere.

Quæ tradenda
feminæ.

Pietas.
Superstitio.
Religio.

esse feminæ virtutes, ac prope solas, naturæ religionem, sexus castitatem, quanquam virtutes omnes religio, ut superius dixi, comprehendit; sed de castitate separatim et explicatè præcepta tradentur, et cujusmodi velimus esse castitatem, nempe sapientum virginum, non fatuarum; tum, pudicitia pudorem adjunctum, et curam famæ nominisque, ut *sit bonus odor Domino in omni loco*, et ad exemplum, et ad quietem mariti; quanta sit opinionum in vulgo corruptela; quæ sit cura, ratio, modus educandi atque instituendi liberos; simul discat nonnulla de contemnendis fortuitis, ut animo sit aliquantum virili ac robusto, quo utramque fortunam moderatè ferat, ne adversis impar, aliquid cogatur prave aut flagitiose designare, vel certe cogitare.

Hæc, si vel legere nesciat, tardiuscula, aut parum nata ad litteras, sunt enim tales et inter viros, docebitur a marito explicatè ac familiariter, nec semel, ut non intelligat modo, verum etiam memoriæ infigantur, ut parata habeat quum usus poscet: audiet interdum alias legentes, et exponentes, aut colloquentes istis de rebus; sin legere norit, huic primum omnium adimantur libri poëtici, et nugatorii, quos paullo antea commemoravi, tum quòd satis est ad malum proclivis natura nostra, nihil illi opus stimulis, nec stupæ, igni admotæ, oleo, tum quòd, quemadmodum sapienter est apud Senecam, *brevis est ætas, etiam si tota bonæ menti impenderetur*: dandi illi in manus libri pii, qui et sapienter doceant, et ad sanctè vivendum excitent, atque inflamment; in quo magno iudicio est opus, neque enim pueriles, aut superstitiosi, aut vani, atque inepti, concedentur, quales sunt non modo in linguis vernaculis scripti permulti, sed etiam in illa Gotholatina; a curiosis quoque est arcenda, ut a quæstionibus ex intima theologia; minimè decet feminam tantis in rebus percontatricem esse, aut curiosam: de philosophia quoque morum, illi pii sufficiunt, pietate enim optimè mores formantur; sed si quos privatim ea de re placet dare, ii sicut de pietate diximus, doceant, atque hortentur, atque excitent plurimum, minimum rixentur; satis est sexus ille per se ad rixam et altercationem appositus: multa de compo-

nen-

nendis affectibus, et sedanda illa animorum tempestate legat; vehementer hæc parte philosophiæ indiget femina; in qua præcipui sunt Plato, Cicero, Seneca, Plutarchus; faciunt ad hoc etiam ii scriptores, qui exempla eorum persequuntur qui aliquid vel dixerunt vel fecerunt vitæ utile, ac dignum imitatione, quemadmodum Valerius Maximus, et hunc æmulatus Sabellicus; in eundem numerum veniunt acta Sanctorum nostræ religionis; hinc humanæ sapientiæ sectatorum: de re familiari præcipiunt Aristoteles et Xenophon: de educandis liberis multi nominatim scripserunt; olim Plutarchus, nuper Paulus Vergorius, et Franciscus Philelphus: addentur hisce omnibus paucula quædam, de ratione quotidiani victus, et de simplici ac facili medicina, qua est opus in leviculis puerorum aut familiæ morbis, qui tanti non sunt, ut propter illos opera sit medici imploranda; memini me de his alibi præcepisse, sed non ab re fuerit hîc esse a nobis repetita, nam hæc ut fiant, ad virorum curam pertinet. Puto his omnibus abundè excultum fore muliebri ingenium, et ipsam instructam ad vitam commodè ac religiosè transigendam; quòd si omnino numeris delectatur, habeat christianos piis de rebus Vates, Prudentium, Aratum, Sedulium, Juvenum, et his similes, sive latinè scribentes, sive patriæ unicuique lingua; naturæ cognitionem, grammaticæ, dialecticæ, historiæ, et rerum gestarum, reipublicæ administrandæ, et mathematicarum artium, viris relinquat; nec facundia feminæ congruit, etsi multarum linguas antiquitas est mirata, ut Corneliæ Gracchorum, Muciæ, Læliæ, Hortensiæ, sed non tam quòd multa facundè dissererent, quàm quòd pauca pure ac incorrupte; denique non tam didicerant illas artes, quàm eis ex domestica consuetudine erant infectæ, ut sine labore, aut sensu ullo discendi, a patribus eas videantur accepisse.

Educatam nunc, si diis placet, nominant, imprudenter ac impudenter loquaculam, quòd multa effutiendo, neque unquam faciendo finem loquendi, tenere confabulonem in multas horas possit, ne facto utrinque silentio, sit discedendum; quid existimandum est locuturam tamdiu imperitam puellam, cum adolescente non multo sapientiore, nisi vel stulta, vel

Tom. IV.

Aaa

obs-

Quæ legenda feminæ.

Poetæ christiani feminis legendi.

Facundia an feminæ congruat.

Aulica disciplina.

obsœna? et hanc demum vocant disciplinam aulicam; videlicet, illius scholæ, in qua et aliæ discuntur artes, hujus quidem dissimiles, sed ejusdem magistri diaboli: en! quò mores hominum sunt delapsi, quàm inversa omnia, ut tacere feminam turpe existimetur, id est, pulcherrima ejus virtus, fœda videatur, ac deformis! quantam huic rei animis hominum persuadendæ navasse diabolum operam arbitramur! Tu vero inter feminæ tuæ disciplinas silentium numerato, magnum sexus illius ornamentum; et cùm loquitur, simplex sit, minimè affectatus aut comptus sermo, nam fucata oratio magnam animi vanitatem arguit; et laudatæ illæ a verustate tamquam facundæ, nihil in laudibus habuerunt majus, quàm quòd patrium sermonem purum ac germanum conservarent, ut Cicero in libris de Oratore docet; non sine bili Juvenalis, sed nec immeritò, et salsè: (1)

*Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit,
Dicendi genus, aut curtum sermone rotato
Torqueat enthymema, nec historias sciat omnes,
Sed quedam ex libris, et non intelligat; odi
Hanc ego, quæ repetit, versatque Palæmonis artem,
Servata semper lege, et ratione loquendi,
Ignotosque mihi tenet antiquaria versus,
Nec curanda viris opicæ castigat amicæ
Verba.*

Mariti exemplum efficacissimum.

Accedet sinceræ huic et sanctæ institutioni magnum pondus, mariti exemplum, tam efficax ad formandam uxoris et cunctæ familiæ vitam, quàm Principis ad mores publicos civitatis, Rex est enim quisque domi suæ; quocirca quemadmodum Regem decet et judicio populum antecellere, et exemplo vitæ præstare quod jusserit, ita cum qui uxorem accipit, exuere jam puerilem animum, et cogitare quod ille dicit in Comœdia: (1)

Ætas hæc aliam vitam, alios mores postulat:

SU-

(1) Sat. 6. v. 446.

(2) Terent. in Andria. Act. 1. Scen. 2. v. 18.

sumere consilium ac mentem senilem, quæ facile et marito et patrisfamiliâs jus atque auctoritatem tueatur, non solum sermone ac præceptis ostendendo optima, sed vita et actionibus; his enim duabus rebus magnopere opus est ad hominem regendum, sapientia et exemplo sui, ut ipse quæ verbis jusseris, re præstes; *Vita non modo*, ut inquit Fabius, *plurimum persuadet, verumetiam cogit.*

Hoc videmus in bello evenire, ut fortissima sit, ad animos militum, illa Ducis cohortatio: *Facite milites, quæ me facientem videritis*: ita ille mortis contemptus in Duce pervadit continuo totum exercitum, ut nemo sit adeò ignavus, qui non vitam parvifaciat, quàm videt Imperatori suo tam vilem esse; sic Christus, sic ejus Apostoli, et Martyres facilè mundum in suam sententiam pertraxerunt, quòd sic viverent ut loquerentur, sic loquerentur ut viverent: quomodo parebit tibi uxor de temperantia præcipienti, si tu ebrius, et crapulam eructans, ea dicas? quomodo de continentia, si sis ipse adulter, et per alienas feminas vagam libidinem circumducas? (1)

*In commune jubes si quid, (inquit Claudianus)
censesque tenendum,
Primus jussa subi; tunc observantior equi
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Auctorem parère sibi.*

Simul aliena exempla maritus habebit in promptu, minus enim videtur factu difficile, quòd sit jam ab aliis factum; quòd si generosus sit et sublimis animus, credi nequit quantum aliena extimuletur laude, ut Themistocles solitus erat dicere: *Excitari se Miltiadis trophæis*: nec solum adducentur vetera illa nomina, et ævo consecrata, Sara, et Rebecca, tum Penelope, Andromache, Lucretia, Cleobulina, Hipparchia, Porcia, Sulpicia, Cornelia, et nostræ Divæ, Agnetes, Catharina, Agathæ, Margaritæ, Godolinæ, Barbaræ, Monica, A-

Exempla aliena.

Aaa 2

po-

(1) Claud. de IV. Consul. Honorii vers. 296.

poloniæ ; sed recentiores quoque Catharina Angliæ Regina, Clara Cerventa Valdauræ uxor, Blanca Marcha ; tametsi vereor ne matris meæ nomen quibusdam videar ambitiosius usurpare, et pietati nimium indulgere ; multum equidem pietati tribuo, sed multo plus veritati. Nec deerunt in unaquaque gente, ac civitate, probæ et sanctæ matronæ, ad quarum exemplum erit excitanda : sed plurimas habebit vires, si qua habeat domestica exempla, ad quæ possit cum laude revocari, ut matris, aviæ, amitæ, materteræ, sororis, consobrinæ, denique propinquæ alicujus, aut necessariæ ; multum enim iis exemplis movemur, quæ velut de vicino contemplamur ; melius illa effingimus, ad quæ componimur ex proximo : acta etiam malarum, cum insectatione atque execratione, pro exemplo erunt quæ vitet, cum sciet celari ejusmodi flagitia non posse, et paratum esse supplicium, cum minimum, ignominiam atque abominationem publicam civitatis, ut satius multo sit mortem obire, quàm sic vivere. Colloquiis quoque familiaribus eruditio excolenda, et mores confirmandi ; colloquutio sit simplex, tamquam cum carissima, ac familiarissima, ne ullis utare venerationis verbis, nec illa erga te immodicis, quæ ut interdum augeant reverentiam, certè minuunt eam, quam in conjugio maximam et verissimam esse oportet, caritatem ; sed nec augent animi venerationem, tantum fucant quæ simplicia atque aperta esse in primis convenit ; nemo bona fide arrogans, aut vanum reveretur, nec eum, quem videt reverentiam suo quasi jure exigere ; elici venerationis potest, extorqueri non potest ; tu illam eo voca nomine, in quo magna insit amoris significatio, ut filiam, aut sororem, quemadmodum appellat Paulus suam ; illa te, amoris et venerationis nomine, si vult, dominum, ut Sara Abraham, sicut est apud Petrum in epistola, et in Genesi.

Exempla
domestica.

Colloquia.

De quibus
colloquen-
dum.

Colloquendum sæpe, ac multum, de pietate, de moribus, de errore populari, de usu rerum, de fortuitis ferendis ; sæpe de conservatione et regimine rei familiaris, de artibus vitæ, de filiorum, si habeas, sancta institutione, quemadmodum eos efficias, non locupletes, aut civili dignitate honestos,
sed

sed probos ac pios : sed meminerimus infirmum esse sexum illum natura sua, et ut non corpore, sic neque animo posse gravia semper sustinere ; ideo utendum non raro remissionibus ac refectionibus curarum, ut jocis, ut narrationibus eorum quæ vicinis, quæ amicis contigerunt, modò absit curiositas, et studium aliena scrutandi arcana ; in quo sunt reciprocae vices ; si in vitam vicini, aut alterius civis, inquisieris, ille etiam in tuam inquireret, aut alius quispiam ; quo nihil est in civitate vel ad conservandas amicitias, ac mutuam benevolentiam, vel ad bene et quietè vivendum, perniciosius. Gaudet vero humana mens cognitione rerum qualiumcunque, nam suavissimus illius pastus est, cognitio ; et illæ, domo clausæ, exhilarantur auditione eorum quæ foris aguntur ; dum ea sint, quæ bonos mores non corrumpant ; ita enim minus tenentur, prodeundi desiderio ; jocandum quidem nonnumquam, non scurriliter, aut obscenè ; nec plerunque de rebus leviculis colloquendum ; ea res frangit ac debilitat earum animos, ut postea nihil grave et serium possint ferre vel in sermone et consiliis, vel in vita et usu fortunæ ; siquidem assidua illa de nugis commentatio, similes sui reddit mentis ac animi vires, nempe leves ac imbecillas ; Ægyptia sub Pharaone servitus erat, in paleis et luto semper versari, tolli mares, servari feminas ; ea res cujus mysterii fuerit significatio, equidem Eusebii verbis aptissimè videtur mihi posse explicari ; qui in concione de Paschate sic inquit : *Fam primum durissima illa Ægypti tyrannica servitus, et quid aliud præferbat, quam diabolum supra humanum genus peccatorum exercere dominatum ? et quid, inquam, erant illa vilia et horrenda in luto et paleis Pharaonis imperia, nisi fœda atque terrena diabolice voluptatis officia, et vitiorum detestanda contagia ? Siquidem infructuosa et inania vitæ hujus opera, paleæ sunt, paleæ, inquam, nimium flammis amica materia : sed et hoc ipsum, quòd Pharaon in parvulis Hebræorum pueros jubebat interfici, et feminas reservari, diaboli utique speciem præferens, inimicus spiritui, et amicus carni, invidens virtuti, consentiens voluptati, fortitudinem præfocabat, nutriebat concupiscentiam.* Hæc Eusebius Emysenus.

Curiositas
cavenda.

Cognitio
mentis pas-
tus.

Joci.

Ægyptia
servitus.

Nec solum a crebris aut impudicis abstinendum est jocis,
sed

Lusus pa-
rum : iudici.

sed etiam a lusibus et contrectationibus, ne magis amatorem te, quam maritum esse ostendas; *Adulter est*, inquit Xystus, *uxoris suae amator ardentior*: Uxor enim, dignitatis est nomen (sicut ille Romanus princeps dixit) non voluptatis; tu vero qui uxorem habere pudicam et castam cupis, (nemo enim maritus non cupit, etiam qui insanit) ne primus libidinem ejus inflames ad cogitationem sceleris; quæ dementia est id corrumpere, quo postea si puro atque integro non utare, gravissimam sis molestiam habiturus? Ne accendas ignem, cui mox restinguendo non sis par; stupei sumus omnes, nec una solum parte incendimur, sed quacunque ignis est admotus, urimur; oculis, auribus, tactu, per singula corporis membra, libido excitatur; prudentes medici morbidum membrum, quod sanari arte non potest, stupefaciunt; primum est, rectè valere, non dolere, proximum; eam curam videmus semper adhibitam a viris sapientibus, ne qua aperiretur fenestra ad obscenos cogitatus; fuerunt olim religiones nonnullæ castitatis, quæ ita custodiebantur, ut et verba, et quidquid quocunque sensu ad libidinem posset sollicitare, magna cura vitaretur; non solum in sancta pietate, ut apud monachos illos, qui in una Cycladum habitantes, animalia usibus vitæ necessaria in altera asservabant, ne ipsi eorum coitus forte aspicerent; Romæ in sacris bonæ deæ, marem ne pictum quidem aspici fas erat; Lacedæmone, et in Delo, canem intrare templum nefas, propter vulgarem et promptam illius animantis libidinem; eadem de causa vetitum est Delio sacerdoti, canem nominare; Augustus spectaculo athletarum mulieres edicto submovit; per dies olympicorum certaminum, feminæ omnes Pisa discedebant: videlicet, si *per aures corrumpimur*, ut habet sententia Menandri, non minus nos per oculos corrumpi censendum est, tam enim hac ad animum penetratur, quam illac; eam tu curam domum tuam transfer, ut omnia sint spurcitæ et obscenitati obstructa; pudicitia pudore, a quo et nomen accepit, conservatur, neque alterum sine altero potest constare; idcirco pudor magno est studio in muliere fovendus, ne ullo pacto aut modo excutiat, ita ut velim novas nuptas statim a virginitate amissa ali-

Religiones
castitatis.

Pudicitiam
pudore ser-
vari.

quan-

quantisper latère, quemadmodum latuisse Elisabetham legimus, Zachariæ uxorem; hæc, quia vetula cum viro cubuisset; illæ, quia virgines cubuerunt. Qui sponsalia ita instituere ne primo statim congressu conjuges jungerentur, pudicitæ maximoperè videntur consuluisse, ne mulier et familiariter versaretur, et rem haberet cum eo, quem forte numquam esset prius allocuta, quod non fieret sine magna pudicitæ ac pudoris jactura, in quibus sita est haud exigua sane pars bonorum in civitate morum, et publicæ quietis per gentes omnes.

Sponsalio-
rum causa.

Sunt nonnulli sponsi impatientes moræ, qui et in sponas et in se ipsos male consulunt; at Jacob, tot annis cum adamata Rachele, dicta jam uxore, et pacta, in communibus pascuis, in solitudine versatus, sanctissime se cum ea semper gessit (quapropter viri illius digamia multorum castitati merito anteponenda est, quemadmodum de avo ejus Abrahamo Augustinus definit) et Rachelem usque ad extremum vitæ constantissime ac unice amavit, et uxore usus est spectatæ probitatis, singularique in conjugem pietate. Ergo si quid uxor tua, vel natura, vel educatione ac moribus, habet pudibundum ac pudicum, id assuefactione et doctrina augendum cura, sin lascivum ac petulans, refrena severitate morum, et disciplina reseca, modo ne obliviscamur non oportere abesse a conjugio suavitatem convictus, castam quidem illam et puram. Paulus jubet *venerabile in omnibus esse matrimonium, et torum immaculatum*; tum ad Corinthios: *Ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione*: quod sive de suo uniuscujusque corpore, sive de uxorio intelligendum sit, utique ad cohibendas voluptates pertinet, et libidinem immodicè se effundentem: Sacramentum est conjugium, et rerum maximarum (ut Paulus inquit) mysterium; non est polluendum spurcis libidinibus: hostis dæmon septem Saræ maritos, qui aspectu formæ incitati, a libidine matrimonium exordiebantur, interfecit; servatus est Thobias, qui angelicis monitis conjugium est ab oratione auspiciatus; operæ precium fuerit verba audire non hominis, sed Angeli: *Audi, inquit, me, et ostendam tibi, qui sunt, quibus prevalere potest demonium; hi namque, qui conjugium ita suscipiunt,*

Conjugium
Sacramen-
tum.

ut

ut Deum a se, et a sua mente excutiant, et suæ libidini ita vacent sicut equus et mulus quibus non est intellectus, habet potestatem demonium super eos: tu autem quum acceperis eam, ingressus cubiculum, per tres dies continens esto ab ea, et nihil aliud nisi orationibus vacabis cum ea; ipsa autem nocte incenso jecore piscis, fugabitur demonium; secunda vero nocte in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris; tertia autem nocte, benedictionem consequeris ut filii ex vobis procreentur incolumes; transacta autem tertia nocte, accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris: hæc Raphael Thobiæ. Si propter sobolem uxor est tibi ducta, huic uni da operam, non libidini, imitatus sanctos illos patres, qui ob eam unam causam videbantur uxoribus conjungi; ideo et ab illis gravidis abstinebant, in quo a bestiis plane superamur, quæ, certis ac statis anni temporibus, veneri quærendis liberis dant operam, ea semel defuncti, in reliquum tempus facile veneri renuntiant, dum filii sint nati. Sin ad motus libidinis comprimendos conjugio medicinæ vice uteris, juxta consilium Apostoli, nec morbus excitandus est ut medicina utaris, nec medicina non est insuavis ac importuna, nisi quum necessitas adhiberi cogit; quis enim compos mentis, medicinam ad delicias sumit quæ medicinæ vires assuetudine amittit?

Exercendum et consuefaciendum est corpus, ut medicina facile, nisi quum res flagitet, possimus carere; quæ si interdum desit, non succumbamus morbo, collecto jam ex consuetudine robore aliquo, ut minus habeat virium morbus in corpore vegetiore; quid, quod voluptates, inquit ille, commendat rarior usus? Uno pharmaco satisfiet huic morbo, aut non mille; facilius est intra unius usum contineri, quam hunc egressos, intra mille; nullum est medium; aut unum, aut infinita; et, quemadmodum Plutarchus inquit in libro de curiositate: Quo verius assuescas justitiæ, conuenit ut interdum justa quoque, et omnibus permissa legibus, prætermittas: ita, ut ab alienis facile abstineas, condisce et a tua abstinere; neque illud oportet ignorari quod traditum est ab Apostolo Dei, *Te, ma-*

ri-

ritum. jam non habere amplius corporis tui potestatem, sed uxorem, uti nec uxor sui habet, sed tu: in alieno est mancipio utrumque corpus, ut jam sine alterius injuria neuter de suo possit statuere; si illa alii communicat corpus suum, te gravissime lædit, sin tu, illam, uterque Deum, pronubum, et velut utriusque pro altero sponsorem: itaque quid humanis legibus liceat, aut quid sibi virorum consensio et quasi conspiratio in civitate sumpserit, non inquirō; certe eam injuriam, uterunque intulerit, severissime in eo Deus puniet, cujus numen est in connubio violatum, apud quem nulla est sexus, generis, gentis, personarum discretio. Maritorum, et raræ debent esse, et sobriæ voluptates, quos meminisse convenit se viros esse, et a natura magnum animi robur accepisse, ut spretis ac repudiatis deliciis, laudem et decus per laborem consecentur, tum etiam, prætergressos jam ætatem illam, in qua teneris atque infirmis adhuc corporibus, deliciarum ac voluptatum nonnullæ concessæ videri possent; hinc cogitet, præfectum se esse regendæ familiæ, id est, impositam necessitatem bene præcipiendi, et ipsam habere necessitatem vivendi juxta sua monita, alioqui gravissimo exemplo peccaturum, nec eam retenturum majestatem, quæ est gubernationi necessaria; postremo christianum esse se, qui mundo et deliciis nuncium miserit: harum omnium rerum causa, oportet in matrimonio pauciores voluptates suscipi, et eas temperatissimas, ut refectio tantum laborum curarumque quæsita esse videatur, non indulgentia cupiditatum; et iisce voluptatibus uxor adhibebitur, ut quæ laborum et solitudinum est particeps, ne submoveatur relaxationibus et recreationibus; quarum lenimentis adjuti ac sublevati, sufficimus gestando oneri. Quem tandem putamus esse animum feminæ, præsertim mollem ex se ac invalidum, quum videt se marito in curis ac molestiis sociam, in levamentis curarum alienam? Concuteretur eo zelo virile robur; quanto magis contrahi et mœrere feminam, et despondere animum existimandum est? Et hæc quidem, quum ab iis oblectamentis arcentur, quæ natura et ratio statuunt conjugibus esse communia: quid quum etiam illas mariti illicitis

Conjugum
in se mu-
tuum jus.Maritorum
voluptates.

tis suis voluptatibus irritant, ac prope in furorem agunt? De quo gravissimus est a quod Isocratem locus in Symmachico, quem non gravabor adscribere uti est a me alias versus; loquitur Nicocles Rex Salaminæ.

*Damnati, præter hæc omnia, flagitiosam illorum prædicitatem, qui quum uxores duxissent in vitæ totius communionem, non iis contenti, quæ cælibes designassent, etiam propriis suis voluptatibus uxores mærore afficerent; a quibus uxoribus si quid illis subasperum contingeret, graviter indignarentur; quumque in reliqua vitæ communi-
one perquam commodas se exhiberent, in uxores tamen essent perincommodi, in quas tanto viros convenit esse leviores ac tractabiliores, quòd illæ in secretissimis vitæ nostræ agunt, plurimum et potiorum rerum nostrarum participes: ita fit, ut frequenter in ipsis intimis aulis seditioes ignari alant, et dissensiones post se relinquunt:* hactenus Isocrates. Si prudenter illi consulunt, qui evectos fortunæ favore hortantur demittere se in planum, quantum possint, ut minus relinquunt invidiæ jaculis objectum, et quanto utilius fuerit consilium maritis, nullam præbere uxoribus suis zelotypiæ ansam, quæ est invidentiæ pars, atque ea atrocissima, et quæ sævissima sit malorum causa? Animus enim cæstro illo percitus, nihil dubitat semetipsum ire perditum, modo per illam, quam cupit, ruinam: credunt se quidem ludere; atqui lusus hic plerunque exit in rabiem. Age vero; quando nulla sunt monita, aut præcepta philosophiæ, quæ nobis exactius sint intelligenda atque observanda, quàm mysticarum litterarum per quas Deus dignatur loqui humano generi, operæ precium fuerit inquirere, quid illud est in epistola Pauli ad Corinthios priore, ubi christianis conjugibus magister ille gentium et doctor ecclesiarum sic præcipit: *Nolite mutuo fraudare, nisi ex conventu, ut vacetis jejuniis, vel precibus; postea redite ad idem quod antea, ne tentet vos satan per incontinentiam vestram:* debet se homo christianus in spiritum crebro erigere, ne vel totam vel maximam vitæ partem exigendam sibi in carnis cogitationibus opinetur, alioqui nec nomini suo satisfacit, nec professioni, nisi et spiritu spiritalis homo vivat; nec promissam illam felicitatem aliter consequetur, quàm per

Defraudatione ex consensu.

vi-

vitam spiritalem, quippe in qua jungendus est Deo, et spiritui, et purissimo, ut illuc nulla arte, nulla via possit pervenire, nisi per spiritus puritatem, qui hoc nitidius ac perfectius purgatur, quo accuratius contagiis subducitur carnis hujus; quamdiu quidem in hac mortalitate corporis, jussu et voluntate cœlestis illius Imperatoris, clauditur, ita eum agere oportet, ut simul et corpori et spiritui prospiciat; huic, ut vivat et vigeat; corpori vero, ne ferendis vitæ laboribus deficiat, ne parum se possit spiritui commodum et obsequens præbere: quod, ut videmus in equo, duabus de causis usu venit; aut quòd maligne nimis est habitus, aut quòd benigne nimis et prolixè; uterque enim onus recusat, et strigosus, ac macie perditus profligatusque equus, et sagina ferox, ac refractarius.

Sed quemadmodum lucernæ oleum est nonnumquam infundendum, ut ardeat, ita sunt tempora, in quibus utrique, et corpori et spiritui, oleum instillamus; corpus sua exigat tempora, in quibus curetur solum; spiritus sua, in quibus et ipse solus; non quòd ullum sit tempus, in quo extinguatur aut intermori alterutrum oporteat quamdiu hic agimus, ceterum quòd his temporibus alterutri datur opera, ne extinguatur; habent tamen hoc inter se diversum ac contrarium, quòd cum corpus curatur, obscurius lucet lumen spiritus, cum spiritus, sublanguidum est corporis lumen, et flaccidus vigor: hoc ergo tempore, quo per jejuniis atque orationem oleo irrigamus spiritum, vult nos Paulus ab eo opere abstinere, quòd obicem adfert oleo in spiritum irroranti, illudque tamquam aqua admista diluit; jejuniis compressio quædam est, et velut subductio corporis, ne objectu sui lucenti spiritui officiat; hinc vigeat ardensque spiritus in orationem se attollit, quæ est rerum altissima meditatio; quæ non unius esse horæ aut alterius debet, sed multorum dierum, ut ascensui mens illi consuescat, quem factura est corpore hoc soluta ac liberata: Dominus noster pauca vult nos loqui, quum nos ad cogitationes Patris erigimus; ideo præcepit: *Quum oratis, nolite multum loqui:* meditari vult et plura, et diu; idcirco *orandum semper*

Jejunium.

Oratio.

Bbb 2

es-

Coitus brutalis.

esse monet : ab hac mentis intentione , et quasi volatu , ne nos pondere suo degravet atque abstrahat corpus , vult Paulus , quum huic sumus dediti , a concubitu nos subducere ; est enim brutalis omnis coitus , mentemque , velut tormento in eam acto , de fastigio suo detrahit , ac deturbat ; unde vir ille sapiens , quando cocundum esset homini rogatus , respondit : *Quum velit se minor fieri , pecudi par* : Totam quidem christianam vitam oportet esse perpetuum quoddam jejunium , nullumque præteriri diem sine oratione , sed tamen christianis conjugibus aliquoties in anno dies continenter aliqui sunt sumendi , qui peculiari abstinentiæ et ardentiori orationi dedicentur ; eo tempore non solum secubent , aut certe parcant maritalibus complexibus , verumetiam a voluptatibus temperent , quibus corpus titillatum dilatatur , et tamquam animi luminibus obstruit ; tum cogitabunt quid ipsi sint , quid vita , quis usus rerum , quò ituri , et quà ; quomodo capti , et emti peccato , quomodo redempti a Christo , et alia , quæ nullum christianorum ignorare fas est ; sed ejusmodi separationem Apostolus ex consensu docet esse faciendam ; amoris et concordie est gratia Christi , non dissidii , non fraternæ contristationis ; præcipuum est in hac , ut proximo extra Dei offensam satisfacias , reliqua Deus boni consulat ; equidem Fulgentii hac de re sententiam non gravabor adscribere : *Verumtamen ut omnia vestra honestè fiant , in redditione conjugalis debiti sic infirmitatem carnis usus excipiat conjugalis , ut non caro libidini serviat , sed animi virtus adjuncta divinitus , carnalis concupiscentiæ frena restinguat ; negotiam namque substituendæ prolis ita debet a conjugibus peragi , ut subserviente verecundia , dum se ad opus fecunditatis animus fidelis inclinatur , modestiam simul naturalis honestatis Deo adjuvante custodiat ; et alibi : Præ omnibus autem meminerint fideles conjugati , semper orationibus et eleemosynis insistendum ; nec velint jugiter in ipsa carnis infirmitate jacere , sed festinent gradum vitæ potioris ascendere ; et ut ad virtutem continentie perveniat animus , magis magisque carnalis concupiscentiæ comprimantur excessus ; ut dum Deo adjuvante illum superaverint gradum in quo conjugalis infirmitas veniam postulat , celsiorem possint laudabiliter obtinere in quo continentie virtus palmam*

vi-

vitæ melioris expectat : hæc quidem ad spiritum ; intermittendi quoque sunt congressus illi genitalis tori , statis mensium diebus , et quum alteruter ægrotat ; utraque res morbos in fœtum transfundit.

Muliebris institutionis fructus præcipuus ad maritum redit : prudentius administratur domus , sanctius instituuntur liberi , minus permittitur affectibus ; quo fit , ut vita tranquillior sit , et ea de causa suavior : quid , quod habebis non solum ministram operum , et sociam fortunarum , verum etiam curarum ac cogitationum tuarum fidissimam consciam , et in rebus dubiis cordatam consultricem ? Ea demum est vera hominum societas , quum non solum in socium derivare licet partem laborum , sed onus quoque affectuum animi et curarum , quibus angimur , quod non minus onus appellandum est , nec minus etiam ipsa premit corpora , nedum animos , quàm arare , aut fodere , aut grave aliquod pondus bajulare ; quòd nisi cor illorum plenum atque æstuans aliqua se aperiret , haud aliter rumperetur , quàm vas aliquod igne sine ullo spiraculo incluso , etenim sunt curæ ipsæ ignes , et ardent , et urunt cor ; a quo etymo nomen acceperunt : itaque videmus multos , curis aut animi commotionibus quasi gravidos , quærere aliquem , in quem onus effundant : *Num quis hic est ? nemo est : (1) ; Num quis hinc me sequitur ? nemo homo est : ; Fanne erumpere hoc licet mihi gaudium ? ; Prò Jupiter ! neminem curiosum intervenire nunc mihi , qui me sequatur : quoquò eam rogitando obtundat , enecet . Quid gestiam , aut quid letus sim : quò pergam , unde emergam ; et alia , quæ adolescens ille Terentianus exultans loquitur , et immodico redundans gaudio , ut continere , amplius non valeret ; obisse mortem multos produnt rerum scriptores , percussos vel subita aliqua et inopinata lætitia , vel meru , vel mœrore : quæ opes illi amico comparari queant , cui non nugas modò et jocos , et hæc quæ foris multis sunt exposita , et obvia , sed in adyta illa tui pectoris possismittere , ad ea , in quæ ipse non sine formidine intueris : (2)*

Muliebris institutionis fructus.

Curarum cum uxore communicatio.

Curæ.

Cui

(1) In Eunuch. act. 3. sc. V. v. 1.

(2) Annal. lib. 7. v. 30.

*Cui res audacter magnas, parvasque, jocumque,
Eloqueret, quæ tincta malis, et quæ bona dictu
Evomeret, si quid vellet, tutoque locaret
Quocum multa volup', ac gaudia clamque palamque;*

ut ait Ennius; et consilium a tali amico poscimus, cum est opus, videlicet cum nos perturbatione animi, velut pulvere ob oculos offuso, non satis quid in re sit, quidque expediat, dispicimus; nullum est in vita condimentum huic par, nec dulcedo his amaroribus, qui in ævi hujus brevitatem intercurrunt; quod si hoc tantum est bonum in amicis, qui non lectis solum, et cubiculis, sed ædibus, et interdum quoque civitatibus, et provinciis separati degunt, quanto erit majus in iis qui individui sunt et domo et lecto? Uxor ergo, si bene edocta sit, et arcanum tacebit, quia gravis matrona, ac fidelis, et consilium præsens expediet, nempe prudens, ingenio, disciplinæ beneficio, ad intelligentiam veri illustrato; nec secus tibi consulat, quam sibi ipsi, ut quem non minus amet, quam se ipsam, hoc enim inter capita est, non christianæ modò, verum et matronalis philosophiæ.

In committendis arcanis quæ spectanda.

In committendis ac credendis arcanis duo spectari solent, amor et prudentia; quorum ille præstat, ut velit celare quod periculosum esset eloqui, hæc vero, ut sciat, et possit, nam taciturnitas, prudentiæ quasi clavo regitur; imprudenti aut garrulæ nihil credito nisi si quid fortè vulgatum cupias, et licebit ea in hoc abuti: stulta extemplò se suis prodit moribus, vel ipsis statim verbis promptum erit deprehendere; *Loquax et futilis, percontatrix est*, sicut Horatius admonet: sunt ejusmodi semper sollicitæ, curiosæ, anxix si quid putant esse maxime arcanum, et ab omnium cognitione consulto remotum: inquietæ, donec eo penetrarint, et prorsus cognoscant: notæ multis, et multos norunt, quod assequi non possunt, nisi multorum teneant secreta, et ea sint multis elocutæ; miscent cum multis sermones, et eos tacitos in aurem: cumque sint otiosæ, immo vero malè feriatæ, videntur tamen occupatissimæ: aliæ vitio hoc laborant futilitatis, quod sunt bo-

na-

narum rerum inanes, ut tintinabulum tunc crebrius et argutius sonat, cum est ab aliis rebus præterquam a pilo inane, quod si qua materia repleatur, tacet: aliæ inciviles sibi esse, et parum amicæ viderentur, nisi in congressionibus, maritorum, parentum, et domus mysteria, diligentissimè occultanda, et ab alienorum oculis submovenda, in sinum amicarum effunderent, hoc velut fœdere perpetuas et sanctas amicitias sanciri existimantes: sunt, quæ se magnorum rumorum, aut reconditorum, aut atrocium, auctores dici et haberi gaudent, quales sunt etiam inter viros non pauci, qui se admirabiles rentur fore, si admirabilia sint ea quæ narrant; tum ostentare gestiunt, quantum apud omnes habeant auctoritatis ac fidei, ut quæ rerum usque adeo arcanarum fiant participes; ejusmodi cum sint pleræque, utique propter ignorantiam rerum meliorum. Fuerunt olim graves quidam viri, qui arcanum committi feminæ vetuerint, non matri, non sorori, non uxori: ex eadem mente Porcius Latro: *Mulier*, inquit, *id solum potest tacere, quod nescit*: Equidem, magna hujusce rei vidi exempla, quæ veteres illas sententias confirmant: quæ tales sunt, aut emenda, aut cave: sed fuerit satius operam impendere ut meliores facias, brevi molestiâ ingentes in vita fructus collecturus: illud inter cetera præcipuè est providendum, ne cui funem dederis, qui tibi ex eo aptaturus sit laqueum: quid enim fieri potest magis hostile! de quo est illud Sapientis in sacris libris: *Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, et confundaris.*

Arcanum quare mulieri credere prohibitum.

Ferunt fuisse Polycedem quendam furem, ad quem non sat erat arcas esse clausas, sed simulari oportebat nihil arcis includi, omnia quæ domi essent, patère illi incustodita: et vulpem olim, narrant, familiam habuisse amplam et locupletem: huic filios fuisse aliquot, qui subinde quid domi et in re familiari agendum censerent, matrem admonebant; illa vero veterana, et multo usu callida, dextram suam aurem vocabat prudentiam, sinistram memoriam; cum catulos videbat sinistram circumstetisse, expenso quid dicerent, sæpè obtemperabat, nonnumquam, ut filiis gratificaretur, cum aliquo dispendiolo; cum ad dex-

Polycedes.

Apologus de vulpe.

dexteram astiterant, numquam ferè obsecundabat, etiamsi, spre-
tis filiorum vocibus, minorem esset prædam domum reporta-
tura, ne modo nimis damnum esset luculentum; cumque illi
matrem accusarent, quòd rejecto suo consilio, minus esset pros-
pera venatione usa: atqui, filii, respondebat illa, aliud quid-
dam domum retuli, prædâ opimius, quietem, quam ope ac au-
xilio majestatis conservo; sin filii parum rectè admonuissent, il-
la tum suaviter ac placidè imperitiam indicabat: ergo et cùm se
nimis ingererent, repulsi, et cùm fallerentur, edocti, majorem
matris venerationem induebant: at quum planè vulpine senti-
rent, et sicut filios erga matrem decebat, ita eorum sensa ma-
ter amplectebatur, non tamquam novum sibi aliquid, aut inau-
ditum, admirata, sed tamquam vulpinam indolem perveterem
sibi ac perfamiliarè videret; et id demum laudaret, quòd cer-
tam suam sobolem agnosceret, et vulpinas artes discerent, et do-
ciles præberent se discipulos, ac modestos filios: tum quo ma-
gis intelligerent rem sibi cum veterana esse vulpe, ostendebat
quæ in consilio vel rectius excogitari potuissent, vel efficacius.

DE DOMO.

CAP. IV.

Et illi quidem, tales se inter se ipsos interioribus animi sensi-
bus præbebunt: nunc de externis in quibus omnibus maritus, si
modo non statuit infeliciter ætatem degere, non inconditas at-
que stultas vulgi sequetur voces, in diversa vocantis, et somnia
rationi ac bono adversa: non protinus bene regitur civitas, quod
vicinam æmulatur: nec domus, quòd se ad proximæ exemplum
componit: nec quisque nostrum, quòd ita vivit ut alii: ille est
exitibilis error in vita, quòd alienis actibus tamquam exemplo
trahimur, ut nihil faciamus, quòd sic fieri oporteat, sed quia
fieri consuevit: ; quanta dementia est, velle tibi malè esse, quia
est vicino, et cum alii pœnas dent erroris quoniam sic agunt,
ad eundem tamen modum agere sine consideratione eventus,
tantumque apud te consensum peccantium habere ponderis, ut

pa-

paratam et certam miseriam non recuses, ne ab illo recedat
Nobis in omni deliberatione de vita, magnæ sunt circum ocu-
los offusæ tenebræ, et via, quâ insistendum est, ignota; ita-
que et luce opus est nobis, et duce. Splendidissima vitæ totius
in omni ejus genere ac ratione lux est Deus, qui unus est sa-
piens, qui solus habet oculos, et lumen, novitque, quâ sit
unicuique ingrediendum, non hominum modo, sed Angelorum,
atque iis omnibus quæcunque mundi universitas continet; Xe-
nophon, in primo libro Commentariorum Socraticorum, in-
quit: *Si quis, Dei jussis neglectis, humana sequatur, perinde eum
facere, ac si pro duce via gnaro, cecum ac ignarum sumat: tum*
etiam reprehendit eos, qui spectantes hominum judicia, divi-
na desererent; nihil tam est, non modo ad æternitatem illam
conducibile, verumetiam ad uniuscujusque instituendam vitam,
quàm lex divina, cujus infimum, ad quæcunque excelsius est
supremo humanæ sapientiæ fastigio; hanc legem accuratè et re-
verenter scrutare, eamque domi tuæ sancias velut rectissimam
tuarum omnium actionum normam: longo quidem intervallo,
sed tamen proximi sunt, qui ingenio, sapientia, virtute, Deum,
quoad ejus fieri potest, sequuntur, et divinam quandam in
mortalitate hac vitam referunt; horum in numero sunt sancti
viri, et sapientiæ studiosi, quales nec gentilibus quidam defue-
runt, excellenti quodam ingeniorum vigore a natura instructi
et præditi: dicat forte aliquis: Grave est, unum se multitudi-
nis consensui tamquam validissimo torrenti opponere: at in gra-
vibus et difficillimis rebus versatur generosa virtus; sed nec eris
unus; quemadmodum enim malum institutum complures sunt
secuti, ita nec deerunt, qui non aspernentur tuum bonum; non
est de humano genere desperandum, præsertim cum nulla sit vir-
tus, quæ juncta non sit utilitati, ut vitium damno est confine.

Legis Divi-
næ cognitio.Honestum
utili junc-
tum.

Videre est in re domestica, in qua labor, parsimonia, fru-
galitas, ; quantas secum adferunt commoditates ad vitam, et
ad multarum magnarumque genera virtutum, velut temperan-
tiæ, continentia, pudicitia, fidei! nam his virtutibus vitia
contraposa, ex desidia, luxu, profusione nascuntur: ; quid,
quòd habemus eorum exempla, qui vulgi stultitia spreta et

Tom. IV.

Cæc

con-

contempta, ad iudicium, rationem, honestatem, laudem se et suas omnes rationes contulerunt, nactique sunt tum laudem atque admirationem etiam ab iis quos contemnebant, tum etiam, qui sequerentur! sic remuneratur virtus, seu verius Deus, caput et parens totius virtutis, eos qui se quàm homines pluris faciunt: cur unus quilibet hominum, vel stolidus, vel nequam, vel et pravis animi cupiditatibus corruptus, improbum morem audebit inducere, vir sapiens non audebit probum? an in genere humano plus licere oportebit malis ac dementibus, quàm viris bonis? et tutior erit ad mala libertas proposita, quàm ad bona et publica emolumenta? at ridebitur, si id faciat, ridet sapientem stultus, sapiens stultum; ab utro te malis irrideri? *Plato*, inquit ille, *instar est mihi totius populi Atheniensis*: et mihi unus sapiens majoris est, quàm infinita opificum barbarorum atque imperitorum hominum turba: unde malis stare? a Deo et sapientia contra stultitiam hominum, an ab hac contra illos? Quamquam nec ita tibi communem esse fugiendum morem consulo, ut in adversum penitus recidas; ut si quis luxuriosus vestitur serico, vel auro textili, ipse ne sis illius similis, vestiaris cannabaceo; si anulum gestat aureum cum gemma mille aureis emta, tu annulo utaris ferreo, aut stanneo, cum pala silicea; si capis, et perdiculis vescitur, tu furfuraceo pani obscœna et noxia addas obsonia; sunt in omnibus vitæ actionibus certi limites, intra quos virtus consistit; in his cognoscendis tenendisque exercet prudentia suum munus, et quasi provinciam; nam, sicut *Horatius* inquit: (1)

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt:

non huc tendunt mea præcepta, ut tollatur ex civitatibus civilitas, et ex hominibus humana educatio, sed ut hæc in pejus prolapsa, quantum quidem ratione ac iudicio consequar, erigantur; quemadmodum nihil esset in civitate æqualitate omnium inæqualius, sic in domo minimè convenit omnes esse pares, non est in ea Republica æqualitas, in qua privatus est par magistratui, plebes

se-

(1) *Satir. lib. 1. sat. 2. v. 24.*

senatori, sed perturbatio et confusio omnium officiorum: Domini domus sunt vir et uxor, quibus a Deo præceptum est: *Domini piscibus maris, et volucris cœli, et omnibus quæ moventur super terram, replete ac subigite illam*: sed de femina dictum est ab eodem rerum opifice, quod sit *adjutorium viri*; quocirca dominus est maritus totius domus, sine provocatione, majore etiam potestate ac jure, quantum quidem ad domesticam rem et familiarem pertinet, quàm sit Regis in regnum; femina est ceu præfecta reliquorum, sed sub viro; sunt nonnulla in domo juris prorsus atque auctoritatis viri, in quæ turpe ac flagitiosum sit feminam viro inconsulto quicquam statuere, sicut in admittendo hospite, in locanda filia; sunt alia, in qua maritus permittit totum suum jus probæ feminæ, ut in famulas, in rem culinariam, in suppellectilem prope totam.

Sunt alia velut media, ut cum vendenda sunt aliqua in domestico instrumento supervacanea, aut emenda necessaria, quæ, prout est feminæ ingenium, ac fides, ita statuuntur; est, quam et consulam, et sinam libens maximas quoque res iudicio atque arbitratu suo disponere, feminam spectatæ probitatis, et magni usus rerum; est, cui vix minima concedam, vel ob stultitiam, vel improbitatem: sunt etiam regionum mores varii, ac perquam dispares; *Mela*, descriptor orbis, memoriæ prodidit, in *Ægypto* mulieres solitas obire munia extra domum, nempe forum, et negotia, viros domi pensa, et curam rei domesticæ; illas humeris onera accipere, viros capitibus: in *Batavia* mulieres multum exercent mercimonia, viri potant: qui mores mihi non probantur, nec sunt ad naturam congruentes, quæ viris omnibus animos attribuit generosos, sublimes, diligentes, actuosos, ut foris versentur, et utilitates comparent quas domum ad uxorem et familiam conferant, ut mulieribus et filiis et famulis imperent; feminis contra, meticulosos, avaros, demissos, ut sint viris subditæ, et quæ ab iis quæsita et parata fuerint, conservent: meminerint mariti se viros esse, idcirco decere illos virile pectus, hoc est, forte ac excelsum, curis non modo par, verum etiam altius; et viros, non solum attributa facultate, ac instrumento majorum curarum, natura ad capes-

Domesticum mariti et uxoris jus

Viri ac feminæ mores natura quales.

Virum quid deceat.

senda ejusmodi munia invitavit, atque adornavit, sed quò eam in rem alacriores incumberent, solutos genuit laboribus et molestiis alterius sexus, fluore menstruo, ferendo utero, nutriendo foetu; quæ cum mulier obit, domi sedens quidem, sed tanto et corporis et animi onere depressa, commovere ut se non valeat; quantum est, virum valentem, atque expeditum, foris quærere quæ uxori et domui conducant! itaque evigila, et bonas omnes ingenii corporisque artes exerce, ne quid uxori et familiæ desit, ita omnes facilius in officio contenturus; quis est ferus adeo, et immani cordis duritia præditus, qui si labore illo queat uxori subvenire, sustinere possit illam rebus ad vitam necessariis carentem aspicere? immo vero recto atque honesto officio non satisfecerit, nisi vel suo ipsius sanguine prospexerit conjugii: hinc licet intelligere, quàm abjectis et despiciatis sint illi animis, qui uxoribus eripiunt quod in aleam perdant, aut in ingluviem profundant; quod exemplum in nullo prorsus animalium genere est deprehendere, ut mas ipse non solum desit suæ feminæ, sed de illius alimento atque utilitatibus quod possit, detrahat; adeo qui hoc faciunt homines, malignitate, et pusillo ac degenero animo, inferiores sunt belluis: sed quantum inter ipsos et belluas interest, qui humani habent nihil præter faciem? Solebant esse olim in Græcia, inter domestica ædificia, Andronitis, membrum ædium, in quo soli agerent viri sine feminis; et Gynæconitis, ubi feminæ sine viris; et Parthenon, ubi virgines; alia erant communia.

Culina.

Ea nos discrimina nulla habemus, tametsi culina magis feminæ convenit, quàm viro, in qua mulier imperet, et quasi regnet sola; sed ita, ut ipsa quoque manus cibus admoveat cum parantur, ne contenta sit in genere præcepisse, ac abesse; domum et suppellectilem crebro revisat, ac recognoscat, ut lacera et fracta resarciat, et marito, si quid desit, in tempore significet; versabitur cum liberis, et famulabus; cum famulis non erit ei multum commercii, ut nec tibi cum ejus puellis; non sines eam domi otiosam sedere: *Mulier*, inquit Publius Syrus, *cùm sola cogitat, male cogitat*: exercebit artem aliquam, non tam deliciosam, quàm utilem rei familiari, licet sis opulentus, nam

Ars.

ni-

nihil est fortuna, etiam amplissima et bene constituta, mutabilius: accedit huc, quòd quæ utilitatem habent aliquam, magis ad se mentem ac cogitationem operantis revocant, nec tam facile per alia divagari permittunt, intentamque in se detinent. Sed in exigendo opere, habenda erit ratio valetudinis, et habitus corporis, nam nec patieris eam desiderare, nec ita exercebis, ut affligas valetudinem, præsertim cum eas muliebribus officiis natura occupat, et abundè satis exercet, nempe in fastidiis menstruis, cum gerunt uterum, et recens enixas; non erit ludibunda, quid enim potest bene cogitare, cum lusitat? et est alioqui mulier animal satis ad voluptates pronum: domus erit ei vice maximæ cujusdam civitatis, ut et raro prodeat, et peregrinationes sibi videatur suscipere, quoties pedem est extra limen positura; ibit solum ad ea loca, quibus excusari non potest, sed nec quærat sibi affines, propinquos, necessarios, id est, occasiones discurrendi: Paulus eas viduas Timotheo ad ignominiam notat, quæ *per domos alienas otiosè circumvagantur*; unde et curiositas nascitur, et garrulitas, et alia permulta vitiorum genera, et ruunt claustris revulsis, quæ bene coercebantur domi sedendo: *Hasce viduas vitari* Paulus jubet. In templis spectetur pietas, non frequentia, et celebritas; magnæ sunt noxiarum remissiones ubi piè oratur; utinam mos ubique esset is qui in hac Belgica, ut omnes domo prodirent tecto capite, non obvoluto ut agnosci etiam a curiosè spectantibus non queant, cum ipsæ nullum non videant, et libere contemplantur; sed sic tamen, ut non sint omnium conspectui expositæ, nec ipsæ alios possint aspicere, quàm ex adverso ad certum spatium occurrentes, nisi turpiter caput contorqueant; nec solam prodire expedit, nec nimis comitatam; damnosa est ea res propter sumtus, et propter fastum, quem illa sic stipata cupit ostentare: eam comitentur qui matronam honestent, quique nulla inficiant labe aut mores, aut conjugii decus.

Lusus.

Domus custodia.

Religio.

Habitus.

Prodeuntis comitatus.

DE

DE OFFICIO
DE EXTERNIS.

CAP. V.

NAM in societate, et convictu hominum, alii alios contaminamus, ut in pomis, aut pecore, contagio ab aliis ad alia sensim serpente primum, mox longe se ac late diffundente, penetrant per sensus omnes ad animam corruptelæ, per aures verbis, per oculos factis, exemplisque actionum, ideo sacer et regius Vates monet, ut *cum sancto et insonte versemur, devitemus impium ac nocentem*: miratur ille in fabula ingenium adolescentis, qui cum perditis sodalibus tamdiu conversatus, nihil tamen vitii ex vicino flagitio contraxisset, sed continuo res indicat, non potuisse illum effugere contagiem: ergo si tibi est liberum, eligenda est ad habitandum civitas bene instituta ac morata, in qua et corruptorum sit quàm minimum, et corruptentium; sin de civitate parum hoc licet, certe sit talis vicinia; tum qui domum adventant, sæpe ut necessarii adducuntur, præstant hostes, et hoc sævius lædunt, quo majorem erga se benevolentiam experiuntur, abutuntur enim simplicitate necessitudinis ad scelus; explorandi sunt prius sodalium aut notorum animi, ut flagitium in domum non inferant, hinc existimatio, ut nec probrum, quò sint ingressi, relinquunt; qualem fuisse Sergium Catilinam, Marcus et Quintus Cicerones significant, ut si quam in domum intrasset, dedecus atque ignominiam in ea impressam relinqueret, etiamsi abesset culpa omnis.

Neque enim Pythagoricum illud in hac conjugii amicitia oportet valere, esse amicorum communia omnia, et amicos ipsos communes; loquimur autem de vulgari hac amicitia, nam altera illa exacta, atque absoluta, raro admodum culta est inter homines, qualis si esset ulla, non sanctius cuique sua custodiretur mater ex qua esset genitus, quàm amici uxor; nec ad contaminationem valeretur amor mutuus, sed ad custodiam pudicitiae ac virtutum omnium; quæ enim amicitia est, conditionem ejus quem diligas, pejorem efficere! neque vero non perspiciendi sunt etiam propinqui, et cognati uxoris, quo sint

Morum contagia quomodo cavenda.

Uxoris cognati.

ingenio, quibus moribus; aures conservandæ sunt puræ; Hiero Syracusanus poëtam magna pecunia multavit, quòd audiente uxore impudicum recitasset carmen; sunt qui obscœnas confabulationes præcipuam rentur esse urbanitatem, et qui his non delectetur, absurdum esse hominem, et rusticè severum; addunt etiam vulgare illud haustum de fæce: *Omnia sana sanis*: atqui Paulus versum Menandri adducturus, scribens Corinthiis, ut huic quorundam perversæ opinioni occurreret, præfatur: *Nolite seduci, corrumpunt mores bonos colloctiones malæ*: inficimur spurcis, ac turpibus sermonibus, per aurem ad animum illapsis, inficimur obscœnis factis, et picturis, per oculos animo sollicitato, ut non immerito pœnam publicam Aristoteles statuatur iis pictoribus, qui ea proponunt oculis multitudinis, quibus libido satis per se ardens, magis tamen inflammetur: quæ dementia est, ejusmodi tabulas, aut signa, ab ipsis quoque maritis emi, et thalamis ac cubiculis dedicari?

Ejusdem notæ sunt illi mariti, qui apud filias et uxores spurcissima verba nihil dubitant evomere; in quo patefaciunt levitatem atque stultitiam suam, et se in pectore olentissimam vomitam pro corde habere unde tantum puris sponte profluat: nec congressus juvenum in domum tuam admittas, unde nascuntur saltationes, lusus, comissiones, et alia fortunis damnosa, nec honori conducentia, quieti inimica, pestes certe pudicitiae, denique, quod est caput, Deo invisæ; hæc neque domi tuæ feras, neque alienæ probes, neque illuc uxorem tuam, aut filias, ducito, id est, stupam ad ignem. Et quoniam, uti diximus, nihil est magis alendum augendumque in muliere, quàm pudor, unde est derivata pudicitia, ideo ibi est potissimum habenda ubi sint quos revereatur, et a quibus male audire timeat; tales sunt primum, quas illa probissimas esse censes, tum necessarii, propinqui, noti, et eæ quibuscum ab inunte ætate consuevit, si modo sint bonæ, ut nihil est perniciosius quàm malæ: discat multum tribuere famæ, et malam expavescere, et gaudere bonâ; *Nulla est satis pudica*, inquit Declamator ille, *de qua queritur*: et alter ex eadem schola: *Quæ potest non timere opinionem adulterii, potest non timere adulterium*:

Pudor.
Pudicitia.

validissima est, ad generosum animum, æstimatio de se, quemadmodum sordidus, abjectusque, flocci famam et opinionem sui non facit, videlicet, non sustinet eò aspirare, quò se perventurum desperat; et adeo laude non extollitur ad res egregias, ut sicunde sit eam forte nactus, illà velut mercede acquiescens et contentus, retro abeat, excelsus vero, more ignis aura illa vires sumit, et quo se meliorem putat credi, hoc magis esse studet quod videtur, vel in acri animo, laudis cupidine, vel in absoluto, virtutis et exempli: ergo aspirandum nonnunquam huic igni et tuo et alieno spiritu, ac sibilo, ut sic ardeat quemadmodum oportet. Conducibile viro fuerit, cognoscere Eubuli gymnastæ morem; quippe ubi ingressus esset gymnasium Acœtis adolescens, illum statim Eubulus ad imitationem componebat Asbyli Crotoniatæ pentathli, qui periodum vicerat; eos vero quos vel in cursu, vel lucta, vel quo agone alio, sive ignavè cecidisse, sive flagitiosè alterum supplantasse, denique prehensione aut aggressu usos illegitimo, vel viderat Acœtes ipse, vel ita audierat dissimulari ut non posset, probris ludimagister insectabatur, ut ab eorum æmulatione adolescentem suum deterreret, atque is non esset ignarus, in eo se ludo consistere, ubi nec commendari turpiter factum posset, vel latère inter tot observantes, paratamque illis ignominiam, quicumque contra præscripta legum gymnasii se se exercerent; reliquos qui eundem ad ludum adventare essent soliti, Eubulus magnis laudibus evehebat, ut juvenis sui strenuitatem exaceret, quò ipse eundem in modum vellet bene audire, et ignaviæ eum pude-ret, spectantibus tot fortium virorum oculis.

Eubulus
gymnastes.

AsbylusCro-
toniata.

Hector.
Themistocles.
Achilles.

Bene, et ex naturæ sensu, Hector ille apud Nævium: *Gau-
deo, mi pater, laudari abs te laudato viro*: Themistoclem Athe-
niensem Miltiadis trophea non sinebant dormire; nec Achilles
tanti gloriam militarem fecisset, si solum esset Thersitem nac-
tus fortitudinis suæ spectatorem, atque arbitrum, sed subde-
bant ei stimulos, Ajaces, Diomedes, Ulysses, Nestor, et filii
Atrei, et Hector hostis, qui non erat occasione defuturus ad
nocendum, si quid ille de viribus et ardore animi remisisset;
quin et illud non segne erat calcar:

Heu

Heu socii! quanto morebit Græcia luctu,
Gaudebitque domus Priami, et Trojana juventus!

Cum aliis circumspectè loquendum est tibi de uxore tua; pri-
mum arcana illi matrimonii oportet esse mysteriorum plena, et
ad quæ nemo admitti abs te potest, quin et tibi stoliditatis
notam contrahas, et inimicitias domi; docuit hoc Candaules,
Rex Lydiæ: in sacris litteris encomium est probæ feminæ, in
quo inter cetera est illud: *Et vir suus laudabit eam*: hoc est,
erit viri affectibus commendata; quæ enim laus bonæ matro-
næ potest amplior aut uberius contingere? illa est ei maxima,
et vice refertissimi cujusdam theatri applaudentis: periculosa est
omnis viri de uxore sua laudatio; nam aut suspicio est susti-
nenda ineptiæ ac levitatis, ut a dicacibus objectetur venalem
illum habere uxorem, quam sic commendat, aut eæ dotes, in
quas zelotypia locum non habet, et quæ aliorum pravas cupi-
ditates magis deberent restinguere quàm incitare, sæpenumero
perversa ingenia ad corrumpendum accendunt, ut Sex. Tarqui-
nium virtutes Lucretiæ; nam sunt quidam adeo pravis ac im-
portunis animi cupidinibus, ut ea demum ardentissimè expe-
tant, a quibus maximè deberent abstinere, et unde jure omni
et æquitate arcentur, ut videantur eo ipso inflammari, quod
minus liceat; itaque acutissimè rem illi animadverterant, qui
tutissimum pronuntiarunt esse, *non nosci feminam*: removendæ
sunt omnes occasiones peccandi, omnes ansæ delictorum: Do-
minus noster hortatur suos, et mares et feminas, ut hoc accu-
ratis precibus a cœlesti omnium Patre postulent, ac contendant,
ne in tentationem adducantur.

Conjugii ar-
cana nemini
prodenda.

Uxor non ni-
mis laudan-
da aliis.

DE CULTU.

CAP. VI.

PRimos omnium mortalium texit Deus Adam et Evam, ad id
submovendum oculis, unde pudefierent, reliquum deinceps cor-
pus variè necessitas velavit, pro qualitate cœli, alibi ad frigus,
Tom. IV. Ddd ali-

alibi ad æstum arcendum; hinc in omnibus civitatibus, atque hominum cœtibus, datum est aliquid spectantium oculis, ut necessitati decor accederet: sed prava hominum natura, in re omni honorem ac decus captavit, in bonis, in malis, in luctu, in ipsa quoque ignominia; nam quod initiò, pudoris aut necessitatis fuerat, in honorem et gloriam convertit: ita luxus nullus finis, præsertim apud eos qui tegumenta sua student honoriora facere quàm se ipsos, quales sunt pleræque feminæ, et virorum non pauci: graviter Philosophus, quisquis fuit, ei qui de vestis bonitate superbiret: *Non desines, inquit, de ovīs virtute gloriari?* Aristoteles magistratum ponit Gynæconomon, cuius sit munus videre ne muliebris mundus aut modum excedat, aut parum sit ætati ac conditioni aptus, congruensque; habebant et Romani suas leges cibarias, ac vestiarias, quibus huic malo succurrebatur; nunc neque leges sunt ullæ, neque magistratus; tantum cuique licet, quantum libet; seu verius, tantum cuique libet, quantum licet, non per leges, aut æquum et bonum, sed per facultates: quare unumquemque decet domi suæ legem et magistratum ad eam rem esse, et ad privatam utilitatem, et ad publicum exemplum. Jam primum reputare illud maritus debet, uxorem nullos habere oculos, quibus se ornent, quàm conjugis sui; *Cæci uxor, inquit vulgare verbum, cui se componit?* Merito legislator Lacedæmoniorum jubebat: *Virgines aperta facie domo prodire, quòd virum quærerent, maritas operata, quòd jam invenissent:* porro insanit maritus, si placere ei non potest uxor, nisi compta admodum, ac exulta; virtutes esse oportet, quibus ille capiatur, non amiculum, aut monile, ac ne cutem quidem nativam, *quòd quanto minus sordes picturæ, et cœnum fœtidissimum?* quibus si delectaris, naturalem faciem quum cernes, fastidies: affectus hic erga amicam est, non in conjugem, nam vis libidinem tuam sensibus excitari, interiora non diligit: quòd si quomodocunque induta uxor est, et placeat, quoniam idem est animus, idem corpus, *quorsum cultus tam anxius, molestus, periculosus, damnosus?* ornatæ enim gestiunt egredi, et spectari se; videlicet, is est fructus illius sumtus, et tantæ curæ; sollicitatur spectator ad expetendam for-

Cultus pericula.

mam

mam ornatus lenocinio auctam et commendatam.

Tu vero sedulo illud cave, ne patiaris uxorem tuam novi esse alicujus ac inusitati in victu aut vestitu auctorem inventi, ne per hoc civitati innotescat; minus animadvertuntur consueta; jam vero domi manum, quibus est opus, non admovent; culinam, aut ea loca, in quibus vel minimum sit sordium, sedulo devitant; nec fere ab uno discedunt loco, maximè terso et nitido, ne vel vestitus maculetur, vel perturbetur aliquid ex iis quæ tanta arte et cura sunt disposita, unde nascitur vanissima occupatio, ut nihil non deceat: itaque ancillæ sunt cultus, totos dies in hunc componendum conservandumque intentæ, aliarum pæne rerum vel oblitæ, vel negligentes: *quid dicam?* *quanta hinc superbia existat?* quum ornatior, alias tamquam melior despicit, et tenuiorum invidentia sensim serpens, cunctamque invidiâ et mutuis odiis civitatem incendens; quæ sæpe res magnis simultatibus populos involvit, ut memoria patrum, Barcinni in Leletanis Hispaniæ, quum negotiatorum uxores, vigentibus illic commerciis Alexandrinis, luxu et profusione cultus nobiles feminas superarent; nec ullus finis aut modus in cultu, irritante se ipsam quotidie luxuriosa dementia, vel ex natura sua, vel ex æmulatione. His accedit, quòd aliud nascitur ex alio, ut in fabulis narrant de Lernæo serpente: preciosa vestis poscit decentes lacinias, et cingula; hæc congruens monile, et torquem, et focale exquisitissimarum pellicum; hæc armillas, et dextrocheria; nec brachia sic vestita patiuntur manus esse nudas, nec tegi quibuslibet chirothecis, sed stymmate illitis, cum clavulis aureis; accedent inaures, et spatthalia, et quum jam multæ eandem habebunt materiam, quæretur ars quæ longe superet materiem, hoc est, causa perdendæ pecuniæ, neque enim aliter putant se fidem divitiarum facturas: planè ita usu venit in cultu, quemadmodum in tabulis et instrumentis contractuum et pactionum, quæ quum simpliciter fierent, et plurimum spectaretur æquitas, ac bona fides, sufficiebant duo verba; ubi cavillis cœptum est occurri, aperuerunt se sexcenta rimarum millia, quibus obstruendis omnibus jam nullum ingenium, nulla verba sufficiunt: ita simplex

Ddd 2

or-

eExemplum
remulatio.

ornatus se ipso constat, et contentus est, curiosi nullus finis, aut modus. Magnopere peccant in civitate locupletes viri, qui uxoribus suis quantum libet permittunt, inducunt enim morem, quem et illæ, quæ minus multo, ac prope nihil, habent, arripere ac tenere non dubitant; ita luxu vinci turpe ducunt; fide, diligentia, pudicitia, non ducunt; neque ulla spectat, quantum possit, sed quantum aliæ fecerint; unde in quibusdam civitatibus, ubi omnia omnibus licent, multæ non timent cupiditati cultus de pudicitia satisfacere; ditiores vero, quum vident ad suam magnitudinem tenuiores aspirare, ut se æqualitati eximant, segregant atque attollunt se magis; ita utræque in hac contentione ostentationis virium rumpuntur, atque ea fortitudo, sicut est in Comædia, (1)

—In nervum erumpit denique.

Sunt apud Livium, in suasionem legis Oppiæ, verba quædam hæc de re, Catonis consulis personæ atque auctoritati attributa, quæ propter gravitatem sententiæ, operæprecium fuerit cognosci: *Atque ego, inquit, nonnullarum cupiditatum ne causam quidem aut rationem inire possum; nam ut quod alii liceat, tibi non licere, aliquid fortasse naturalis aut pudoris aut indignationis habeat, sic æquato omnium cultu, quid unaqueque vestrum veretur ne in se conspiciatur? pessimus quidem est pudor vel parsimoniæ, vel paupertatis; sed utrumque lex vobis demit, quum id quod habere non licet, non habetis: hanc ipsam exæquationem non fero, inquit illa locuples, cur non insignis auro et purpura conspicior? cur paupertas aliarum sub hac legis specie latet, ut quod habere non possunt, habituræ fuisse, si liceret, videantur? vultis hoc certamen uxoribus vestris injicere, Quirites? ut divites id habere velint, quod nulla alia possit, pauperes, ne ob hoc ipsum contemnantur, supra vires se extendant? Ne simul pudere, quod non oportet, cæperit, quod oportet, non pudebit; quæ de suo poterit, parabit; quæ non poterit, virum rogabit; miserum illum virum, et qui exoratus, et qui non exoratus erit, quum quod ipse non dederit, datum ab alio videbit! sic ille. Adde his,*

(1) Terent. in Phormio act. 2. sc. 2. v. 111.

his, quanta sit inter hæc maritorum, et quàm misera necessitas, qui ut tantis sumptibus sit unde suppetat, nihil dubitant varias parandæ rei artes quærere, et tentare alias molestissimas et tædio ac labore, alias invidiæ plenas, nec sine periculo, alias etiam pravas ac scelestas; hi sunt, qui non utuntur uxoribus, sed quod Paulus verat, abutuntur; ipsæ inter ea non alio sunt affectu adversus virum, quàm sedulus paterfamiliâs, et faciendæ rei studiosus, erga procuratorem, aut villicum diligentem et frugi, a quo fortunas ac possessiones suas videt optima fide administrari atque augeri; sic amatur vir a sumtuosa uxore, non propter se ipsum, sed propter utilitates suas ac comoda, ut maritòs se non aliter habere arbitrentur, quàm strenuos quosdam quæsitores, quorum fretæ diligentia ac labore, et partis opibus, ipsæ otiosæ, molliter, ac per fastum, et superbiam in rerum abundantia vitam exigant: quòd si mutetur fortuna, sublato usu, hoc est, nodo amoris, caritas illa vel dissolvitur, vel certe vehementer refrigescit ac diminuitur: tu si sapias, multo aliter statues: memineris non te propter mulierem esse natum, sed illam propter te; itaque eam assuefacies ministrare, et inservire tibi, et in eam rationem vitam componere ac constituere, ut sciat adjutricem se esse tuorum laborum, atque, quantum per te licebit, participem, non otiosam dominam; summam rerum omnium ad te referes, non ad illam; ejus decus, honestas, laus omnis vera ac solida, maximè erit tibi curæ, non secus ac tua ipsius, in quo sine exceptione ulla unum estis; voluptates vero, delicias, vanum et commentitium illius decus, irridebis, ac repudiabis; nec pluris abs te faciendum duces quàm ridicula infantium desideria, quæ fert ætas illa: ita demum sancti Apostoli consilio parueris, præcipientis, nos in tantâ ævi rapacitate sic habere uxores, tamquam non habentes, et sic uti, ut non abutamur.

Ergo te et uxorem ita vesties, ut simul necessitatibus satisfacias naturæ, simul spectantium oculis, conservata dignitate tua; hoc erit discrimen, quòd tu virilius vestiere, id est simplicius, et neglectius; accuratius vero, atque excultius femina; ut enim sumtus neutrum sexum decent, ita mundities, ac nitor,

fe-

feminis congruit; hæc vis est naturæ adferenda, eam mutari posse ut speres; philocosmus est sexus ille, castiganda est immoderata cupiditas luxus, naturalis affectus in totum eximi non poterit, neque erit cum eo luctandum; satis erit, esse bene institutam, ut in cultu non tam precium, aut novitatem, vel immodicas elegantias sequatur, quàm sordes vitet; et ita se gerat, ut nec fastidiri possit, nec improbari; commendatior est omnium oculis ac judiciis moderatus ac parabilis cultus, gravitate ac mundicie decoratus, quàm sumtuosus ille, et prælautus; qui sumtuosè aut eleganter nimis vestitur, hunc ut fortassis divitem nonnulli putent, eundem tamen profusum ac vanum; qui modicè, ut plurimum ac propè totum necessitati videatur tribuisse, hunc virum prudentem ac bonum: et in femina, eximia illa cultus cogitatio ac cura, vanitatem animi arguit, et auctoritatem omnem adimit virtutibus matronæ, neque auget existimationem pulchritudinis, cujus universa gratia cultui assignatur; sed pulchritudinis ad alienos oculos nulla debet jam amplius esse nuptis cura: quantum est pudicitiae et cordis indicium, purus ille, simplexque ornatus! atque hoc evidentius, si non ignorant malle eam prudentia se excolere, quàm auro et argento; gravitate, fide, diligentia domus, institutione liberorum, quàm gemmis, bysso, serico! nec est ullus, qui non magis ejusmodi matrem familiam veneretur, quàm fulgentes istas, et sollicitè compositas, atque excultas: cui non erat plenior majestatis Cornelia, Gracchorum mater, auri et gemmarum inops, quàm femina illa Campana, ejus hospita, hisce abundans rebus? nemo ergo id deinceps objiciat: dandum est aliquid oculis intuentium: videtis, sic dari plurimum.

Simplicis ornatus commoda.

Ornatus ille simplex, parabilis, purus, modestus, gravis, sanctam atque incorruptam domus disciplinam loquitur, tenues commendat frugalitatis specie, et tamquam tenuitatis suæ ac moderationis admonitu, quasi se non ignorent, quod est in re omni turpissimum; aversantur omnes pauperem, sumtuosè vestitam, neque enim nescitur in civitate, quantum fere quisque possideat, quid possit; itaque pauperem illam, superbam et insolentem judicant, et insipientem maritum, qui se administrum præ-

præbeat stultitiæ muliebris: divites laudantur, vel de moderatione, et temperato divitiarum usu, quasi illis non sustollant animos, nec arroganter opes ostentent, vel de exemplo; tum demum et virtutes ornamentum sunt vestitui, et hic homini, et quisque per se honestus est, non per ornatum.

Quid, quòd negotiatoribus et iis quorum fortunæ fide constant, fidem auget, nobilibus, et principibus civitatis gratiam conciliat, demissis ad popularitatem, fastu seposito? neque est aliquid christianius, quàm superfluis illis, quæ in splendidum illum cultum erant profundenda, inopum necessitates sublevari, et non habere in synthesi aut mundo, quantum sat esset multis puellarum conditionibus, cum a Magistro sapientiae, et auctore nostræ salutis, sit auditum: Ut duas tunicas qui habet, alteram det ei qui nullam habet: quòd si cui tam parum est in animo firmitatis ac roboris, ut omnino aliquid datum velit non tam intuentium oculis, quàm suis ipsius, hoc est, stultitiæ suæ opinionis, is saltem ne pecuniam iis emendis consumat, quæ vel corrumpuntur facile, ut vestibus bombycinis, aut byssinis, aut tenuissimæ ac preciosæ lanæ, vel quæ simulac ad emtorem transierunt, maximam precii partem amittunt, ut gemmis, aut auro, vel argento faberrimè facto, ita ut materiam quamlibet magnæ æstimationis opus precio æquet, sæpe etiam antecellat; sit potius aurum, vel argentum, mediocris artis; et id non tam credat se mulier possidere, quàm custodire, futurum subsidium tuarum necessitatum, si usus poscat; hæc et ornant, et minus habent invidiæ, et divitias arguunt, et fidem augent ac conservant, si hac indiges: domi simplicius ac vilis vestiatur, ut sit ad domestica omnia opera expeditior.

DE ABSENTIA MARITI.

CAP. VII.

DEberet unusquisque, quum uxorem accipere animum inducit, ita res et rationes suas constituere, ut quàm minimum sibi re-

relinqueret causæ, cur haberet peregrinandum: vetus verbum est: *Nil magis et saginare equum, et uberare agrum, quam oculum domini*: sic domino præsentem, omnia in ædibus fiunt rectius; et juxta Catonis oraculum, *Frons occipitio prior est*: sed quia non omnia eventura præstari possunt hominum vel consiliis, vel votis, quum abes, da operam ut minimum abesse videare; non fuerit inutile, habere domi aliquem fidum, a quo de singulis domesticis rebus subinde fias certior; qui si desit, ne desit; ut Comici dictum invertas: *Quod nescias, scias*: nullo quidem tempore, sed minimè omnium quum peregrinaris, relinquo domi tuæ, qui decus tuam ignominia aliqua contamineat, ac deturpet; noli quemquam pati, in quo non sit magnus respectus Dei; nullum est facinus, ad quod adduci non queat, vel præsentem mercede, vel spe aliqua, qui Deum non, ut oportet, reveretur: quum abes, relinque domi viros, non multos, sed fidei compertissimæ, et honesto aliquo opere occupatos, non otiosos, non vagabundos, non comptulos, aut cantatorculos; minus virium est legibus, absente magistratu; ex inerti illo otio pessimi cogitatus nascuntur, et segnes isti, ac desides, honestati nominis sunt certa perniciēs: ne puellæ sint domi, nisi castitatis et verecundiæ spectatæ, et quæ paucissimas habeant per civitatem familiaritates: eadem est adhibenda diligentia in iis omnibus, qui domum ventitant, ut cogniti atque explorati sint patrifamiliās: commenda et concrede domum propinquissimo, aut maximè necessario, sive viro, sive matronæ, cujus fidem sis expertus, et in quo id sit auctoritatis ut eum facile reveantur uxor ac familia.

DE REPREHENSIONE ET CASTIGATIONE.

G A P. VIII.

*U*Xoris vitium, inquit M. Varro, aut ferendum, aut tollendum est: quod quum tolli non possit, necessario sit ferendum; sed hoc rarum: itaque præstat non despondere animum, sed omni vi, ac arte, contendere, ac conniti ut emendemus, ac corri-

ga-

gamus, ne sit quod Mimus ait: *Amici vitia ferendo, facis tua*: sciat se paterfamiliās velut in specula quadam esse positum, unde omnia domum adventantia prospiciat, ut occurrat, et avertat ea quæ vel domesticis emolumentis ac utilitatibus, vel famæ uxoris aut suæ officerent; ita tamen, ne ipse sibi de uxoris probitate fingat somnia, et ex inanibus commentis atroces moveat tragœdias; ut ex molossis, quos custodiendæ domus gratia multi alunt, sunt nonnulli, qui in somniis territi, sollicitè latrantes, totam sæpenumero familiam excitant, coguntque per ædes tumultuari, postea falsus index ab indignantibus famulis cæditur; sic fit, ut ipse et internè discrucieris animo iis curis et anxietatibus, quibus nullæ sunt acerbiores, quas ipse tibi manu tua ascivisti, et foris vulgi fias fabula, derisusque, ac contemptus, pœnas des vel levitatis, vel nonnunquam etiam crudelitatis: uxorem ab omni peccandi occasione pro virili parte avertere, utile est; diligentem quoque, ac circumspectum, erga illam esse quæ nondum tibi sit perspecta, haud improbatum; zelotypia vero ad quid valeat, non video equidem, nisi ut discrucieris animo, et te iis tormentis ultro adducas et mancipis, quibus nulla possunt in vita hac comparari: quid? an non scyphum vel ampullam vitream sedulo custodis, et filium accuratè atque anxie educas, atque a vitiis abducis, et citra zelotypiam? cur non idem in tuenda conjugis pudicitia et probitate præstiteris? Neu facile tanta de re aliis fidem habeas, malevolis, suspicacibus, iniquis rerum omnium interpretibus; vel etiam necessariis tuis, sed plus nimio curiosus ac credulus.

Fuit olim Valentia homo nobilis, Carrosus, ni fallor, nomine, qui uxorem habebat castam quidem illam, sed parum secundâ famâ; hanc amici et propinqui sæpe apud maritum criminabantur; is a primo rem non neglexit, sed quum liquido comperisset vanis illos suspicionibus agitari, nec finem tamen calumniandi facerent, et urgendi eum quasi jure suo, ut in eam graviter animadverteret, ille uxoris pudicitiam defendens, exposuit quæ sibi essent comperta atque explorata, quumque illorum aures purgationi videret obstructas, emto equo gene-

Tom. IV.

Eee

ro-

Carrosi nobilis periculum ac dictum elegans.

rosi seminii, rogavit illos ut unà secum extra urbem prodirent, ad faciendum periculum in decursorio, quod est inter regiam et Divæ Trinitatis; ibi quum spatium illud ter aut quater cursu equi confecisset, ceteris attentè spectantibus, rogavit, æcquid eis equus videretur? aliis eum in totum probantibus, aliis in eo nonnihil requirentibus, ferrum, quod ad sinistram gestabat, distinxit: *Per Christum*, inquit, *et Divos omnes juro, me eum confossurum, quisquis vel equum meum, vel uxorem meam accusarit*: ita omnes in præsens cohibuit; mox, re paulatim patefacta, et innocentia uxoris omnibus approbata, habitus est vir magni et cordis et animi. Castigatio, ac reprehensio, vel ad emendationem illius pertinere debent cui adhibentur, vel ad ceterorum exemplum, alioqui ultio est, et crudelitatis species; quod quidam faciunt, in eum sævientes cui sunt irati, occidentes etiam, et dicunt se castigare: egregia castigandi ratio, perdere! recte Seneca, qui, *neminem prudentem ait punire, quia peccatum sit, sed ne peccetur; revocari enim præterita non posse, futura prohiberi*: sunt in conjugio tria peccatorum genera, tria etiam castigationum illis congruentia; primum, et maximum, et quod omne superat scelus, adulterium, quo uxor disjungit se a marito, et vinculum totius caritatis et concordie conjugalæ semel abrumpit, ut Dominus repudiari hanc jus esse pronuntiet, quum retineri velit quocunque alio vitio infectam et probrosam: huic extrema castigatio adhibetur, lege permissa: callidus in re medica chirurgus, ad secandum aut urendum non descendit, nisi impulsus ultima necessitate, aliis omnibus remediis tentatis prius, et nequicquam consumtis; neque id facit, nisi exploratis antea in se instrumentis, pectore, facultate; quæ omnia nisi adsint præsentia, ne significat quidem morbum id postulare; sunt alia peccata levissima; sunt alia media, et quasi interjecta inter hæc duo; his medetur reprehensio et castigatio.

Primum omnium, delecta jam atque approbata uxore, fac ipse reputes tecum, nunquam in ullo mortalium id paucis deprehendi congressibus, quod se paulatim multis experimentis atque usu profert; ne tu de illa magnam opinionem concipias, qua-

Castigatio-
nis finis et
ratio.

quasi undique absoluta, et in qua nihil sis desideraturus, quo fieret, ut tu frustratus voto, non aliter quàm falsus captusque vehementer doleres, ac te ipse affligeres: itaque de conjugæ tua idem cogitato, quod de homine quocunque; minus te procedente tempore inventurum, quàm initio apparebat; ut *si quid majus, id in lucro deputes*, sicut ille dicit: adhæc, considerari par est, muliebrem sexum infirmum ex se esse, atque invalidum, corpore morborum seminibus afflicto, atque infestato, et hinc motibus, ac crebris in animo tempestatibus: quæ molestia per menses singulos, quum velut sentina uteri purgatur! quæ prægnantium fastidia! quàm præsentia enitentium discrimina! quanta enixarum jam et puerperarum! quàm illinc discedunt fractæ! quot casibus et periculis obnoxie, ut mirandum sit sanam ullam illarum unquam vivere! universa autem vita quid aliud, quàm serviunt nobis, sive virgines parentibus, sive nuptæ maritis, sive liberis matres? jam, minus habent in animo nervorum ac virium, minus et judicio assequuntur, et eruditione valent, et rerum usu ac experimentis sunt instructæ; quis adeo est immitis, ut conditionem ejusmodi non miseretur? itaque connivendum illis ad multa, et infirmum naturam animal a fortiori tolerandum: *Decet*, inquit Paulus, *vos qui estis robustiores, imbecillitatem infirmiorum æquis animis perferre*: quod si vir ille in Græcia sapiens, in amicorum delictis, ne gravius succenseret, solitus erat intra se cogitare, atque ita sibi ipse loqui: *Et hic est homo, id est, animal mutabile, et erroribus lapsibusque obnoxium*: quanto est idem causatius cogitandum de femina? hoc et natura et comitas docent ut senibus cedant juvenes, imbecillis fortes, claudis recti: jam, si stultum homo sapiens non perferat, parum nomini atque excellentiæ illi, mentis lumini ac vigori, satisfecerit; hoc idem, præterquam quod exercitâ vocè clamant et præcipiunt mores, ac civilis educatio, natura, ratio, et monita divinæ sapientiæ, suadet etiam pax et quies domestica, cui amplissimæ opes non queant comparari: quantum perfers laborum, ac molestiæ, terrâ, et mari, ut aliquid pecuniæ conquiras! at quem tandem in finem, aut usum? nempe, ut domi placidè jucundeque ex iis

quæ parasti, vitam traducas; quin tu igitur aliquid etiam tanto dumtaxat levius domi dissimulas, et tacitè concoquis, ut quietem conserves, sine qua nec opum est utilitas ulla, nec suavis vita ipsa: æcquam tandem amicitiam aut conjunctionem poteris tu invenire, in qua non multa sint, perferenda, et dissimulanda? quæ vero non placebunt, vide etiam atque etiam, et expendito, ex infirmitatene dicta factave fuerint, an ex malitia; sic rectissimè cujusmodi castigationis modo utendum tibi sit, statues.

At quum reprehensio genus sit medicamenti quoddam ex amaris illis, quæ corpus non sine aversione et horrore quodam curant, atque expurgant, ideo non est exhibenda, nisi necessitas admoneat. Nihil tantas vires reprehensioni addit, atque auctoritas dicentis; quæ et paratur prudentiæ ac benevolentiam opinionione, et eisdem rebus conservatur; sed potissimum atque efficacissimum est vitæ exemplum: *Si id faciat quis quod jubet:* neque enim apertius aut fortius possunt vituperari et carpi mali, quàm bonorum vitæ, ut est a me in superioribus declaratum: si tu ipse tacitâ doctrinâ præmonstres vitia, et ad illa rationem ac viam, cur conquereris si dociles habes discipulos ad quod abs te acceperunt? respondebit tibi, quem arguis, id quod asotus filius in Declamatione apud Cæstium Pium: *Se flagitia sua patri luxurioso imputare; ab eo se didicisse, ob quæ culpantur:* auctoritatem, non oportet ignorari, nimio reprehendendi ac contradicendi usu deteri, ac diminui, minusque crebras reprehensiones habere virium, non ex se, sed quia occalluit quem objurgas, et castigationis sensum assuefactione amisit; levia vitia consultius fuerit dissimulari, et pondus reprehensionis aliis gravioribus, ubi magis erit necessarium, reservare; quod videmus a cautis negotiatoribus, et a versutis aulicis fieri, ut illi fidei suæ vires, hi vero gratiæ et favoris sui Principis, non nisi in amplissimis operæpreciis, aut in maximis difficultatibus periclitentur, cetera se integros servent, ne quid detrahant rebus tanti momenti. Sunt vitia, quæ expediât in totum prætermitti, quum spes est emendationis ex eadem ipsâ honore stimulatâ, vel quod quædam vitia erumpunt, si credantur patere;

sunt

Auctoritas.

sunt qui se ad bonam frugem ultro recipiant, si non putentur mali; Cn. Pompejus bello Sertoriano litteras civium, quas in scriniis Sertorii victi repererat, non lectas, omnes bona fide inspectante exercitu concremavit, ne se, recti ac dissimulati hostes, aperte proderent, ubi viderent arcana sua palam esse; idem C. Cæsar fecit, Pompejo ex acie Pharsalica profligato, et iterum apud Thapsum Africæ, devicto Metello Scipione; sunt vitia quædam, in utroque sexu prope naturalia, quæ si in conjugæ contraria non sunt præcipuo feminarum bono pudicitiam, toleranda sunt, et dissimulanda; atque eo magis, si admonitionibus et reprehensionibus aliquot nihil aliud profeceris quàm uxorem irritare; itaque, si id tuleris, magnum ex tua patientia feres fructum, nam eâ deinceps commo- diore uteris: quid, quod par est, assuefactione non modo facta esse illa tolerabilia, sed etiam jucunda, quid enim non mollit et condit familiaritas? reprehendum est non impetu, sed judicio, nec præfervidè, sed sensim, et subfrigidè; efficacior est ejusmodi reprehensio; quam venerabiliorem reddit species quædam gravitatis, et moderati animi, quum tu non tam concitatione animi tui videris eò impulsus, quàm improbatione delicti, nec in castigando indulges affectui, sed caritati ejus, quem cuperes esse meliorem.

Observari conveniet locum et tempus, ne increpandi ardore actus, fœdè uxorem suggilles, aliquidque inconsultius apud extraneos, aut etiam familiares, effutias, quod mulieris animum in perpetuum perstringat, unde occultæ crescunt inimicitiam, et odia irreconciliabilia; nec tua ira sit diuturna, ne uxor velut in desperationem quandam agatur præceptis: *Viri*, inquit sanctus Apostolus, *diligite uxores vestras, et nolite esse erga illas asperi:* et si Dominus fratri vetat irasci, quanto magis uxori, quæ omnem fratrum et benevolentiam, et conjunctionem debet superare, ut est a nobis non uno in loco dictum! etenim dicendum est sæpe, et inculcandum, si caput mulieris est vir, caput viri Christus, utique congruit ut maritus se in conjugem ita gerat, ut Christus erga nos, clementer videlicet, ac amice: idem Apostolus uxorem vocat corpus viri, ut ecclesiam Christi;

at

Ratio re-
prehensionem
addenda.

at quàm crebra nobis a corpore existunt incommoda? et tamen non illud odimus, nec abjicimus, sed perferimus, alimus, curamus. Brevem oportet esse mariti reprehensionem, et velut ictui præceleri simillimam; nam diutina objurgatio, atque increpatio, non multum ab hostili abest dissidio, quæ amorem illum conjugalem refrigerat, et affectus in longum tempus exasperat, convictusque et consuetudinis suavitate rixis atque acerbitate commutat; addenda est reprehensionem ratio cur tibi non probetur quod vertis vitio; ut ea et persuadeat in præsens, et in posterum cum sit opus, meliorum admoneat; magnæ sunt enim in humanis mentibus vires orationis: nec quidquam magis hæret circa summum animum, minusque altè penetrat, quàm illa: *Sic volo, sic jubeo*: ita objurgabis, ut illa intelligat ex sollicitudine amoris nasci admonitionem, quòd se meliorem esse cupias, et quodcunque ex ipsa sublatum vitium, quo amor sit integrior ac flagrantior; nec ulla se prorsus querimonia intermisceat; ergo continuo, postquam castigaris, et illa se tibi audientem dicto fore vel verbis erit pollicita, vel testata pudibundo silentio atque assensu, redeat pristina serenitas verborum, et vultus, et solita amoris signa.

Sunt in præstantibus feminis, haud aliter quàm in viris, animorum quidam excelsi ac generosi motus, et qui imprudentibus, aut non satis acutè rem animadvertentibus, oriri ex arrogantia vel contumacia videri possint, non sunt illi penitus frangendi, aut opprimendi, sine quibus nulla fere matronarum ad eximium illud et memorabile decus evasit, quod laudem atque admirationem hominum excitaret; sunt hæ animorum affectiones aptissimæ ad decus, et ea de causa ad pudicitiam sedulo, atque adèdè anxie, conservandam; magnæ istæ, et egregiæ, non tam deprimendæ sunt gravi, cum peccaverint, increpatione, quàm a solo, et facibus sustollendæ, vel stimulis æmulationis, vel requisitione solitæ virtutis, aut domestico exemplo, et tamquam speculo admoto: erunt quibus nutus tuus suffecerit, aut significatio ex vultu, te improbare, præsertim apud verecundam atque ingenuè educatam; eo magis, si te revereatur: probæ matronæ nihil opus est majore fuste, quàm

ma-

mariti subaspero verbo, aut contracto ac perturbato vultu: ubi hæc nihil proficiunt, sed veniendum est ad pugnos, et fustem, i væ domui! De illis jam nihil præcipio, in quibus, *Pellitur e medio sapientia*, (sicut vetus dicit Poëta) *Vi geritur res*: nec unquam vir bonus, me auctore, huc descenderit; nam si uxor sæpius monita, reprehensa, objurgata, convicio impetita, durior tamen se exhibet quàm flecti ut possit, modo integrè habeat pudicitiam, feratur, nec rumpendus est arcus, nimium tendendo; sic Socrates Xantippen suam tulit; qui imitandus esset, si cui tantum foret in animo per philosophiæ progressus firmitatis ac virium paratum, aut si persuaderet sibi, per mulierem tamquam instrumentum, exerceri patientiam suam a domino, ad incrementa virtutum, ut Job, et Thobiam, non sine maximo suo bono, et uxoris flagitio, quorum utrumque dominus sit aliquando censura sua ostensurus: tum reputet, eam sibi tamquam sortem obvenisse, haud secus quàm genus, patriam, corpus, animum; ingenium, qua sorte unumquemque sine querela acquiescere fas jusque est, cogitantem, æternum illum atque omnipotentem distributorem sapientissimè omnia ac justissimè dispensare. Postremo fas est, ut cujus auctoritas et numen conciliavit inter se conjuges, ejusdem ipsius respectus et memoria reconciliet dissentientes; nam inter homines quis auderet pacem a Rege factam rumpere? aut quis sustineret, commendatum sibi ab homine carissimo abjicere, ac repudiare? quòd si in his tantum valet vel potentiæ reverentia, vel stimulus amoris, quanto magis valere debet erga Deum, quo nihil est potentius, et nostri amicus, quòd nihil oportet nos æquè tum venerari, tum amare? Revocare etiam in memoriam convenit, quod Paulus dicit: *Uxorem esse carnem viri*; innumera singulis temporis punctis existunt cuique nostrum a corpore suo incommoda; nemo tamen corpus suum odit, aut non diligit, non fovet, non indulget, quantum potest; et si aliquando illi irascitur, continuo post tamen redit cum illo in gratiam: idem omnino affectus præstari debet adversus conjugem, idque ex Apostoli doctrina.

Socrates.

DE

DE OFFICIO
DE PROGRESSU IN CONJUGIO.

CAP. IX.

UBI uxorem magis fueris expertus, tenerius est amanda; huc nos natura inducit, quæ rebus familiaribus ac consuetis dulcedinem quandam indidit, etiam si sint ex se subasperæ ac molestæ, et usus ille, ac diuturna societas, amorem ac benevolentiam firmissimè conciliat, ut etiam canes, et feles, et equos, et reliqua bruta, ea de causa diligamus, illorumque vel morte vel discessu contristemur: quid minus est, non dico sapientis ac bene instituti hominis, sed ne hominis quidem, quàm uxorem, cui aliquandiu assueverit, non amare? Sedebat in cubiculo Meleager, Oenei filius, iratus sibi et suis, Curetes, quibus bellum erat cum Calydonibus, urbem aggressi, ingenti eam oppugnatione vexabant, nec spes erat jam amplius, vel in viris, vel in mulieribus, reliqua: accurrunt ad columen, ac extremam patriæ ancoram, Meleagrum, senes et primores civium, illius vires ac manus implorantes, ut arma induat, et patriæ opituletur nutanti; adsunt cum religione, et deorum cultu, ac cærimoniis, sacerdotes; pollicentur amplissimam operæ mercedem; illis contemptis, ac spretis, accedit venerabilis canitie, venerabilior pietate, senex Oeneus; nec cunctatur, ut duriorum filium flecteret, genua ejus supplex amplecti; accedit mater, ab ira in preces atque obsecrationes versa; sorores, et sodales jucundissimi, quibuscum gratissimam ætatis partem transegerat, orant et obtestantur, ne se in ultimo deserat discrimine; nihil eum movet; perstat in proposito ferox animus, omnibus salutem, quam ita hortatu, monitis, blanditiis, pollicitationibus, precibus, suppliciis petierant, denegans; interea hostes irruptione in urbem facta, occidere, agere, prosternere, incendere: trepida se infert Cleopatra conjux: *Succurre, quæso, mi vir: occidimus*, inquit, *nisi succurris: hostis possidet omnia*: hujus unius vocibus, et periculo, ferreus ille, ac inexorabilis, permotus, mollefactusque, sumit arma, et pulsus hostibus postremo excidio urbem ac cives eripuit: videlicet, heros ille magnanimus quam

Meleagri in uxorem amor.

quam naturæ jussionem ac legem nunquam vel legerat, vel audierat, impressam habebat in pectore, ac infixam præcordiis, qua sciebat uxorem esse se ipsum, alios omnes, etsi magnam ex pietate necessitatem imponentes, extra ipsam tamen esse, conjugem vero ea esse caritate conciliatum conjugi, et eo nexu conjunctum atque aptum, ut multa in conjugis gratiam non refugiat ac recuset, quæ vel sibimet ipse recusaret: *Ante cunctis mortalibus*, exclamat ille Homericorum heroum præstantissimus, *soli Agamemnon et Menelaus uxores diligunt? et non idem facit quisque vir bonus, cui sit aliquid mentis et cordis, ut mihi Briseis mea verè ac toto pectore diligebatur, licet in bello a me manu capta?* Rex ille, apud Salustium, moriens, sic filios ad concordiam hortatur: *Quis amior, quam frater fratri? aut quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris?* immo, *quem alienum fidum invenies, si conjugis hostis fueris?* Quis se diligere abs te poterit credere, cui viderit nec uxorem caram esse, dumtaxat honestam et probam?

Nam quòd interdum vitiis ejus offensus ac irritatus eam odisse videre, hoc magis abs te amicos fugabit, cum nemo se sine vitiis sciat vivere, sed sperat tamen, tolerabiliora usu et assuefactione fore; quæ cum videat, te tam diuturno et tam perpetuo convictu non potuisse in uxore devorare, quid aliud expectabit, quàm te eo minus sibi in dies amicum futurum, quo se penitus noris, et conjunctius fueris secum versatus? potest ullum humanum vitium (loquor non de illis atrocissimis et capitalibus, sed de istis omnium fere communibus) potest, inquam, tale aliquod alienius esse a natura et ingenio cujusquam, quàm sunt inter se mores et ingenia hominum et brutorum? atqui usus et consuetudo huc eos adducit, ut commodè ac suaviter sub eodem tecto vivant, et colludant etiam homo et leo, et uterque alterius sensu, naturâ, actibus tantum abest ut offendatur, ut delectetur quoque, et absens consuetudinem illam requirat; adeo familiaritas, tam diversa conjungit et conciliat, pæne repugnante natura, quia abest malitia, qua admista, non potest simillima, etiam secundissima natura; in tantum efficax et præsentaneum est concordie ve-

Mentæ her-
bæ vis.

nenum, malitia; nec herba menta, sicut rerum naturæ consulti perhibent, tantopere lac in caseum cogi vetat, ut malitia humani cordis benevolentiam coalescere: quid, quod in conjugum discordia, major sustinenda est viro infamia, quàm mulieri, quòd is, tamquam potior et prudentior, uxoris vitium, quod odium et dissidium peperit, *non vel sustulerit*, sicut inquit Varro, *vel certe tulerit?* in omni enim discordia, culpæ maxima pars in potiolem confertur, quòd is moderari rem, ne ad simultatem progredieretur, vel noluerit, vel non potuerit, in quorum altero est manifesta malitia, in altero imbecillitas atque impotentia, quæ omnia procul conveniebat esse ab eo, quem hominum existimatio alteri tamquam præstantiorem anteponebat; ita odio habetur quod nos fefellerit, quodque muneri atque officio suo, cum minimè erat opus, defuerit. Illud vero, ubi uxore ad satietatem fueris potitus, refrigescere amorem, quem ardor (ut videtur) libidinis accenderat, hominum est spurcorum atque abjectissimorum, immo vero, non hominum, sed belluarum, quæ, nihil mente et ratione valent, motibus illis sensuum ad actiones incitantur atque impelluntur, qui simulac consederunt, habitus quoque animorum mutantur: sunt præter familiaritatem aliæ amoris causæ, quæ marito cuicumque, modo non saxo aut stipiti, sunt cogitandæ.

Amoris ma-
riti erga ux-
orem causæ.

Uxorem tot labores et pertulisse, et paratam perferre, ut marito deserviat, ut illi pariat liberos, heredes nominis et fortunarum, propagationem generis; illam omnibus, et parentum, et necessariorum, fortunis renuntiassè, tuas unius secutam, pro sua habituram, quæcunque tibi acciderit, nec minus gavisuram tuis prosperis, aut mæsturam tuis tristibus, quàm te ipsum; jam, se nec patrem, nec propinquos, neque ullos omnino necessarios, agnoscere; in te uno spes omnes et cogitationes suas habere collocatas, et defixas: quid ergo unum faciet, aut satis præsens erit pharmacum ad amorem, si non sufficit hæc tanta communio? Quisquis ergo naturæ, quisquis humanitati, ac sapientiæ, volet auscultare, is uxorem notam jam et consuetam magis amabit in dies, plus illi confidet, et majora edet benevolentia signa, quibus amorem in illam suum

tes-

testetur, sed quem præ se ferat natum et enutritum esse experientia virtutum ejus, et conservari spe futuram eam in posterum sui similem, atque adeo *pulcherrimo se se victoria genere devicturam*, ut est apud Platonem. Nec ipsam solum tanta caritatis significatione prosequeris, sed inde, velut ex copioso quodam fonte, non tenuiter maligne in affines tuos, illius cognatos, derivabitur, ut illi sentiant quantum sibi ejusmodi propinqua prosit, et uxor liquido intelligat, se tam impensè tibi esse caram, ut etiam benevolentia hæc in suos redundet, nec exiguas hinc utilitates domi capies: quòd si consanguineos diligendos propter ipsam volumus, quid faciendum de ejusdem ipsius filiis censemus, qui tibi non poterunt non esse gratissimi, si matrem ames? illa quoque gratiam in tuis refert, si habes; et tuos, et illius, et communes, omnes, amor copulabit mutuus vester tamquam tenacissimum glutinum.

Mariti in af-
fines amor.

Multi in conjugio casus interveniunt, paupertas, ignominia, carcer, exilium, morbi, qui omnes, incertæ quidem sortis, et humanorum casuum, communes sunt omnibus; possunt tamen alterutrum conjugum ferire, altero intacto; ut socerum, ex quo magna expectabatur hereditas, bona amittere, ignominia et dedecore affici, unde filia nota aliqua intingatur, convictum alicujus criminis, sæpe falso, aut immerito, in custodiam includi; aut civitate expelli; in morbum incidere; in his solum id dicam quod natura præscribit, quod Deus non solum in tanta corporum atque animorum conjunctione, sed in universum per totum hominum genus præstari jubet, ut eo sit quisque animo erga alterum, quo illum esse vellet erga se; quemadmodum uxorem casus tuos accipere ac ferre convenit, ita et te illius, præsertim cum amor ille connubii summus ita omnia debeat miscuisse, atque unum effecisse, ut jam dici non possit hoc hujus esse, non illius, sed sint amborum omnia, et utriusque, commoda, incommoda, bona, mala: quod si unus estis homo, non duo, ægrotare illa non potest, quin tu ægrotes, nec illa esse pauper, te divite; quodque inter amicos contingere non potest, quomodo in tanta amoris et animorum copula contingeret? *Amicus certus*, inquit Ennius, *in re incerta:*

Multi casu
in conjugio

Fff 2

quan-

quantum valentem et integram dilexeris, morbus et res afflictæ declarabunt; si secutus et naturæ instinctum, et Dei jussa, uxorem unum existimaris tecum, jam hoc corpus morbis putre, non minus tuum esse duces, quàm illius; non aliter tractabis ac curabis, quàm cum et forma et ætate florens, corporis oculis multo erat gratissimum; nec alia sedulitate et cura ministrabis illi, quàm ipse tibi; et quemadmodum vel in te, vel filiis, ex miseratione cresceret caritas, ita erga uxorem docebit te amor facere, si illam tam verè, quàm te, aut liberos tuos, diligas, ut carior sit tibi ægra, aut concussa et dejecta fortunæ ictu, quàm stans, et florens. Habent mulieres rixulas suas, et invidiolas, et simulatulas varias, crebras, momentaneas, levissimis de causis excitatas, ut sunt teneris animis, et judicio infirmo; his non convenit admiscere se virilem gravitatem: habent item suas ambitiones, in honore verborum, in loco, sive sedeant, sive ambulent; hæc omnia non augebit vir, nec ministrum præbebit se, atque ultorem feminei doloris aut querimonix quod non satis honos sit exhibitus ex sententia; iridebit potius, et contemnet, atque uxorem suam ad curam posteriorum eriget, quantum quidem facere poterit; nam qui his se immiscent et occupant, digniores sunt peplo et colo, quam barba et existimatione virili: istis scilicet magistratum mandes, et civitatem regendam tradas, qui domi suæ sic ineptiunt! quid enim viro magis indecorum, quàm illis muliebriter tangi?

QUAS UTILITATES AFFERT AMOR

CONJUGUM MUTUUS.

CAP. X.

Dici vix potest, quantas ejusmodi concordia utilitates adferat, ad res tota in vita domi et foris maximas, quanta vero, per dissensionem ac discordiam conjugum, damna et incommoda invehantur: familia, heris dissidentibus, tamquam civitas in discordia Principum, quieta esse non potest; in illorum consensione cum incredibili lætitia acquiescit, sperans fore ut

ta-

tales erga se se experiatur, quales videt illos inter se ipsos præbere; in quo nec judicio atque expectatione sua falluntur, quippe illi commodè se mutuo exhibendo et placidè, condiscunt non passim erratis familiæ excandescere, nec omnia tumultibus miscere, impotenti iracundia; ita absunt domo gravissimi ac importunissimi contubernales, verbera, et sæva dicta, et alia, quæ iratus atque ardens animus suadet facere: ergo non solum læti sunt ministri, verum alacriores navant eam operam, quam oportet, et obsequentiores se dant heris, reveriti illorum majestatem, quæ ex concordia nascitur, augeturque; nam et vir uxoris majestatem, amore ac benevolentia tuetur, et mulier viri, cultu et obedientia: quid, quòd concordia opinionem adfert probitatis et prudentiæ?

Necesse est enim bonos eos esse, qui tam diu ament, neque enim amicitia est ulla, nisi inter bonos, diuturna; et prudentes, qui ita perferant et devorent ea, quibus alii offensi amicitiam et caritatem deserunt ac diffringunt: neque alia ex alia cujuscunque rei existimatione major reverentia et majestas, quàm ex ea ipsa oritur bonitatis ac prudentiæ, ut jam veneratio hæc non solis domesticis parietibus in animis familiæ concludatur, ut te illa velut cœleste quoddam Numen colat, et adoret, sed foras emicet, et lumen suum per civitatem omnem diffundat; ut te omnes et probum virum esse censeant, atque ad amorem gratiasque natum et fictum a natura, qui tam constanter ames, et cordatum, sapientemque, qui sic omnia domi tuæ, etiam subaspera et difficilia, modereris, dignumque ut rempublicam regas qui privatæ tuæ tanta sapientia et judicio præsis, facilè contenturus in concordia et tranquillitate cives tuos, qui eam domi tuæ ita constabilieris et confirmaris. Nam contrà, quem putas crediturum, te præsidem, pacem quietemque in civitate conservaturum, qui videat perficere non posse ut domi placidè et concorditer vivas, ubi tu non es magistratus, sed plane Rex quidam, et omnium dominus? Leontinus Gorgias, qui primus ingentem est dicendi laudem apud Græciæ populos consecutus, cum multa in Olympiis hortaretur Græcos de concordia, exclamasse tradunt quosdam: *Redigat prius se et uxorem et ancillam*

Leontinus
Gorgias.

in

Thebanus
Crates.

in concordiam, tum demum huc ista nobis consultum prodeat: nec est quisquam, qui tam bono et miti viro non facile amicum se fore speret; qua publica benevolentia, nullæ fingi possunt pares divitiæ: quid, fides per alienas domos, quam pulchra res est ac magnifica! quemadmodum de Thebano Cratete memoriarum proditum est, cui ob singularem probitatis opinionem, amoremque in Hipparchiam uxorem omnibus cognitum ac spectatum, cuncta non solum ostia totius civitatis, et cubicula, sed reconditissima quæque ex re familiari, tamquam domestico cuidam genio patebant; idcirco Græca voce υπερταροισιν nominatus est; nemo enim eum ad alienas oculum animumque adjecturum suspicatur, cui optimè convenit cum sua, et nodo suavissimo firmissimoque sunt connexi: sed domum redeamus, ad la-rem ac penates.

Tota familia est in officio, cum suapte sponte læta et alacris, tum viro feminam, et hac virum adjuvante, concordia impultrice, ut uterque, quando animi commotionibus non contitatur, nullo negotio familiam in fide atque officio contineat, cum ipse suo ipsius non desit; unde et res familiaris diligentius curatur, et neutrius animo offensionibus atque indignitate ab ea cura averso atque abhorrente, et omnibus per domum ac familiam ab amore rectis et temperatis; longè enim opinione sua fallitur, quisquis vel metum, vel precii spem, vel quid esse aliud censet, quod æque homines ad quodcunque officii aut muneris genus naviter obeundum, exacuat ac extimulet, ut caritas et benevolentia: de communibus amborum filiis, hoc quidem minus quivis admirabitur esse illos gratiores permulto ac suaviores, qui etiamsi alterius essent, amor tamen efficeret ut alteri essent longè jucundissimi, quanto nunc magis eam ardere flammam est necesse, cui utrinque quædam velut faces subduntur? illud fortasse videbitur mirabilius, quod tamen iis quibus naturæ rerum sunt cognitæ potest esse exploratissimum, filios ex conjugibus bene consentientibus, et inter se caris, nasci mites, comes, moderatos, amabiles, et ad omne suavitatis ac humanitatis genus mirifice aptos atque appositos; scilicet, eæ affectiones atque habitus gignentium, quæ animalem hominis

par-

partem occupant, in corpora atque animos foetuum fere transfunduntur: quid, quod ex domestico exemplo mansuetudinem et placabilitatem discunt, et tamquam affricu quodam trahunt? hic convictus domi in tanta serenitate et tranquillitate concordia, quam est similis cœlesti illi vitæ! Unde, quemadmodum vir ille sapiens apud Homerum inquit, multa magnaque ad amicos gaudia redundant, et ad eos quibus cari sumus; ad malevolos autem atque inimicos, molestia et mœores: sicut contrà, hi exultant, illi sunt in luctu, cum nos dissidere, odisse, rixari, litigare vident, vel audiunt, malis enim odium inhiat, tamquam suavissimo suo pastui, bona fugit ac vitat, quasi perniciosum sibi virus. Sed quæ hactenus exposui, etsi magna sane, ut cernitis, atque expetenda, cuncta tamen cum hoc uno, quod nunc adjiciam, non sunt comparanda: domi caritatem discimus, meditamurque, quam adversum alios præstemus, et cum sedati tranquillique, tum etiam suavitate illa mutui amoris animi deliniti, facilius ad religionem vacant, attolluntque se se in contemplationem, amorem, cultum, venerationem omnipotentis illius Numinis naturæ; hinc nostra pectora amore hoc conjugum a sancto illo cœlesti igne tamquam subarrhata, et pignorata, paulatim ab eo accenduntur, donec ingentes illius flammæ concipiant: quo quid optari, aut quid concedi a Deo potest hominum naturæ majus ac præstabilius, quam ut amatores efficiamur vere, ac bona fide, divinæ illius suæ pulchritudinis?

DE IIS QUAE NON HABENT LIBEROS.

C A P. XI.

Filii nonnunquam a Deo vel non dantur, vel dati adimuntur, occulto illo suo et inscrutabili consilio, immo vero paterna quadam indulgentia, quod ita videt nobis expedire; ne quis omnia in casum, aut naturales causas referat, quod non est sapientis hominis, nedum christiani: nec tamen pro exiguo habendum est beneficio, dulce illud fel non gustare; quod

qui

qui glutierunt, testantur ita esse mistum ac temperatum, ut uni mellis guttæ, fellis sint sexcentæ infusæ, nec injuriâ Græco quodam epigrammate inter felicitates illam numerari, *επαιδα* vivere: Augustus propter filiam et neptem coactus est sæpe versum illum Homeri exclamare: *Conjuge non ducta, natis utinam caruissem*: ut præteream Ciceronis ad Atticum querelas: sed non est hic locus disputandi de orbitate; tantummodo hæc a me sunt inducta, admonendi maritorum causa, ut cum sit jam incertus liberorum fructus, et sæpius magnas calamitates parentibus quàm vel utilitatem, vel voluptatem ullam adferant, ne filios per flagitium ullum quærant; hoc est; malum incertum, per certum: nec uxoribus tamquam sterilibus sint asperi, cum sæpenumero neutrius id vitio contingat, nec amborum, ut dixi; sciantque, ardentius ab illis desiderari sobolem, quàm a viris, ut a pariete caduco tignos, quibus fulciatur: sterilis erat Anna, uxor Helcanæ Ephratei: quomodo eam consolatur vir suus? *Nunquid non ego melior sum tibi, quàm decem filii?* ex tali viro decebat nasci et Principem Israelis, et Prophetam, et Samuelem: si a Deo mittantur liberi, lætis sunt accipiendi animis ut munus cœleste, et optimè instituendi, ut eorum probitas et illis ipsis prosit, et in te redundet, non modo ad incredibilem tuam voluptatem, et hominum existimationem de te, verumetiam ad merita benefactorum vitæ hujus, per quæ immortale illud in vita altera præmium paratur.

DE UXORE NATU GRANDIORE.

C A P. XII.

POsteaquàm senectutem proba et morigera uxor attigerit, faciendum quod in omni solemus ministerio fideli ac diligenti: equum et bovem velut emeritos solvimus, liberius sinimus vagari et pasci, minus ad laborem revocamus; emancipamus servum; veterano militi agri distribuuntur unde vivat; ministrum ingenuum, post bene ac fideliter navatam operam, fere æquamus nobis, atque in affinitatem asciscimus; quanto honorifi-

cen-

centius, uxorem, ætate jam provecta, et in senium vergente, haberi tractarique consentaneum est, quæ non est animal brutum, ut equus, non ancilla, et pejoris conditionis jure gentium, quàm tu ipse, non famula, mercede conducta, sed par tibi, et socia a Deo assignata, conjuncta amore ac societate tali, quæ reliquas omnes longè antecellat? Quin etiam æquum est, ut quæ ipsa affectus suos viro tam diu subdidit, jam non magis subdita sit marito, quàm par; quippe motus illi et perturbationes incitatae animorum, quæ mariti majestate ac velut regno quodam erant cohibendæ, et ob quas dominari uxori maritum oportebat, sedatæ jam sunt annis ac usu; ut nihil sit amplius, cur maritus imperium in uxorem postulet, et majestatem suam retinere studeat, cum minui jam non possit sublatiis iis qui asperos se se atque intractabiles justo ac moderato imperio præbebant; idcirco Dominus Abrahæ præcipit, ut vetulæ suæ Saræ obtemperet, videlicet jam non uxori, id est carni, sed sublatae quadamtenus ad virile ingenium, et ad conditionem spiritus.

Hujusmodi ergo non oportet deinceps ut juvenem accipi, tractarique; refrigerato ætatis ardore, et debilitatis viribus, labor est detrahendus; sublevanda est ministris; et quando sanati sunt morbi illi animi, qui rationi ac judicio officiebant, quo minus verum dispiceret, et voluntati quo minus bonum ex peteret, jam et sapientior et melior facta, demptis obicibus, admitte eam magis in dies ad consilia; incipe illam æquare tibi, et cum ea de minimis, de maximis rebus consulta; primus tu illi venerationem atque auctoritatem adferro, ut exemplum tui, et liberi, si quos habes, et reliqua familia sequatur: ita percipiet illa obsequii sui fructum, ut domina sit, quæ tam diu ministra: neque vero insolens aut intolerabilis existet hera, quæ tamdiu antea didicerit imperio parère; desinat paullatim in vobis sexus discerni, et incipite ad cœlestem illam jam nunc vitam præludere, in qua nullus est sexus, sicut nos docuit Dei Filius: *Non ducunt, non nubunt, sed agunt velut Angeli Dei*, puri atque incorruptibiles spiritus, inter quos nemo nascitur, nemo perit, ut opus sit reparatione generis per connubium. Amor hic

Tom. IV.

Ggg

non

Uxor
mors.

non in caduca ulla re, ac morti obnoxia, sed in animis fixus et constitutus, etiam vitæ functam prosequetur; itaque sublata ex oculis, sepulta, et complorata, caritas tamen vivet adhuc, vigebitque, et erit talis uxoris dulcissima recordatio, omnisque illius memoria gratissima: ergo et communes liberi jam erunt cariores, et per se quia liberi, et quia tali femina tibi geniti, illosque miseraberis, quòd ejusmodi sint matris fructu orbati; filios etiam illius, si quos ex alio habebat marito, tuorum habebis loco, nempe ex illa progenitos quæ unum erat tecum et sacramento conjugii, et natura amoris.

Mariti
mors.

Efficies etiam, ut cujus dum viveret respectus multum consanguineis et necessariis suis proderat, prosit etiam mortuæ memoria; affinis tuis, viva uxore bene tecum concordi, multum erat commodandum, mortua non minus, si quidem ea extincta, nondum est tamen amor ille extinctus, qui tibi ejus propinquos non aliter conjungebat, ac tuos sanguinis communio, et nascendi sors, debilius ad conjunctionem vinculum, quàm illud prius benevolentiaæ atque amoris. Si tu illam in hoc mortalitatis itinere antecedis, testatum atque impressum tum aliorum, tum ejus memoriae relinques, non affectum modo, verumetiam judicium de illa tuum, ut hanc ei pro consensu, fide, ac pietate erga te gratiam referas, ut omnes intelligant qualis ea uxor fuerit, et ipsa sentiat approbatam fuisse tibi suam voluntatem atque operam, eumque jam nunc, vivens adhuc, fructum probitatis suæ percipiat, nam maximum et verissimum illum, vita hac peracta, nanciscetur in illa sempiterna beatitudine; fuerit quoque amoris et humanitatis tuæ, quandoquidem tu illi adimêris, hoc est, columen domus, et fortunarum omnium, et remanet meticulosus atque invalidus sexus te unico suo præsidio destitutus, relinquere illi aliquod quodammodo desertæ viduitatis solatium ex tuis facultatibus unde se commode sustentet, ne acerbus ille ac funestus dies, qui te ipsi abstulit, cuncta in eam mala videatur pariter invexisse; sed hoc pro cuiusque erit statuendum ingenio, ac moribus: erit, cui omnia tuto poterunt credi, perspectæ fidei, frugalitatis, prudentiæ; erunt, quas ditiores relinquere parum conduxerit, nec aliud

aliud futuram pecuniam, quàm instrumentum voluptatum; sunt rapaces, etiam ex avaritia in suos ipsarum liberos sævæ; nemini oportet matronam esse notiores, quàm viro suo, eum quam tam diu in secretissimis et reconditis locis, in lusibus, in seriis, est versatus, ut nisi sit stipes, totum mulieris ingenium explorasse, et sensus illius omnes percallere possit, et debeat: is ergo, judicio, quod ex actionibus et vita uxoris collegerit, adhibito, ita faciet, quemadmodum maximè sit facto opus; sed sic, ut et amor severitatem judicii diluat ac temperet, et judicium effundentem se amorem cohibeat; qualiscumque vero sit, nullo penitus modo relinqui eam inopem aut egenam convenit, quantum per fortunas tuas licebit, malimque, si in alterutro peccandum sit, opulentissimam relinqui, quàm ullis ad vitæ usus necessariis indigam; majus est infirmitati illi a paupertate periculum, quàm a divitiis: at vero quoniam moriens ad alia proficiscitur loca istis potiora, curam eorum quæ hîc relinquit, ne sumat ipse sibi, jam vita functo, sed iis mandet, qui res habebunt præsentem; nec velit ita sui memoriam uxoris pectori esse affixam, ut in viduitate sub suo nomine jubeat eam perseverare, magno sæpe illius incommodo, et pietatis discrimine; relinquat eam suo consilio, ut id de sua et necessariorum sententia, prout ratio temporis feret, statuatur, quod ejus et probitati, et quieti animi maximè conducet.

F I N I S.

JOANNES LUDOVICUS VIVES

CONSULIBUS, ET SENATUI BRUGENSI

SALUTEM.

Peregrini et advenæ officium esse, tradit Cicero, in aliena republica non esse curiosum: ita est: nam in res alienas curiositas ubique est odiosa; cura et amica admonitio non improbat: quamquam neque naturæ lex alienum ab homine quicquam sinit esse, quod sit hominum, et Christi gratia velut tenacissimum glutinum homines omnes inter se copulavit; et ut sit alienum aliquid, ego vero sic in civitatem hanc afficior, ut in Valentiam meam; nec aliter hanc nomino quàm *Patriam*, cujus jam quatuordecim annis sum incolam, etsi non continenter, semper tamen huc sum solitus redire tamquam ad domum. Placuit ratio administrationis Vestræ, educatio ac civilitas populi hujus, et incredibilis in eo quies ac justitia per gentes celebrata.

Itaque et uxorem hinc duxi; nec secus huic civitati consultum velim, quàm ei in qua quod vitæ reliquum Christi benignitas fecerit, traducere statuerim, meque pro cive ejus duco, atque in cives eorum sum animo quo in fratres. Et multorum ex illis indigentia ad scribendum me impulerunt, quemadmodum posse eis subveniri censeam; quod etiam ut facerem, jam pridem in Anglia rogatus eram a Domino Pratensi, Præfecto Vestro, qui de publico civitatis hujus bono, proinde ac debet, multum et sæpe cogitat. Vobis hoc opus inscribitur: tum quòd ad benefaciendum, et sublevandos miseros vehementer estis propensi (quod declarat tanta inopum multitudo, quæ huc undique affluit, tamquam ad paratum egenis subsidium) tum etiam, quòd quum ea sit origo civitatum omnium, ut esset in unaquaque earum locus, in quo dandis atque accipiendis beneficiis, et mutua subventionem coalesceret caritas, et firmaretur societas hominum, administratorum civitatis illud debet esse munus, curare et adniti, ut alii aliis auxilio sint, nemo prematur,

ne-

nemo gravetur damno per injuriam accepto, et imbecilliori adsit potentior, ut concordia cætus et congregationis civium caritate augetur in dies, ac sempiterna perseveret. Et quemadmodum patri familiæ turpe est in opulenta sua domo sinere aliquem esurire, aut nuditate, vel pannis fœdari; sic non convenit, ut in urbe haud prorsus inope, magistratus, ferant cives ullos fame et miseria urgeri. Ne pigeat hæc legere, aut si non libet, certè rem ipsam accuratissimè expendere, qui tam solliciti cognoscitis de lite hominis privati, in qua sint mille floreni controversi. Opto vobis vestræque civitati prospera omnia et felicia. Brugis, vi. Januar. 1526.

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

DE SUBVENTIONE PAUPERUM,
SIVE DE HUMANIS NECESSITATIBUS,

CUM NOTIS Fr. JOANNIS MOYARDI CARTUSII,
prout præfixæ inveniuntur editioni hujus opusculi
apud Melchiorem et Gasparem Threchsel
fratres, Lugduni 1532.

LIBER PRIMUS.

ORIGO HUMANÆ NECESSITATIS,

AC MISERIÆ.

CAP. I.

Parens ille rerum omnium Deus, in condendo ac instruendo homine, mirifica est usus indulgentia, ut nihil vel præstabilius sub cælis esset, vel majus subdito ei dum hic viveret, sub lunari orbe, sano et valenti corpore, saluberrimis alimentis et ubique obviis, mente acutissima, animo probissimo factus, atque appositus ad communionem vitæ; ut quoniam ad reparationem cælestis illius ruinæ creabatur, jam tum

in

in hoc mortali corpore inciperet divinam illam societatem meditari: sed ipse superbia instigatus, altiora conditione sua querens, non contentus excellentissima humanitate, divinitatem affectavit, impulsus illius promissis, qui ipse sua bona simili via perdidisset: *Eritis sicut dii scientes bonum et malum*: hoc est absolutæ superbiæ, contendere ad Numinis fastigium, supra quod jam nihil est: tantumque abfuit, ut quod concupierat assequeretur, ut etiam ex eo quod acceperat, largiter amitteret, de quo scriptum est in Canticis Davidis Regis: *Homo quum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*: videlicet sic a Dei similitudine recessit, ut in similitudinem bestiarum relaberetur; et dum plus esse conatur quàm Angelus, minus fuit quàm homo; sicut qui in ascensu non observatis gradibus, inconsiderantius properant, pro summo loco quem petunt, ad inum devolvuntur.

Similitudo.

Homo innocentia spoliatus in omne malum lapsus fuit.

Hinc inversus ordo humanæ constitutionis, quandoquidem ille suum erga Deum ita dissolverat, ut nec affectus rationi parerent, nec corpus animo, nec externa internis, civili ac intestino dissidio, sublata Principis et legum reverentia: homo ipse innocentia exutus, omnia secum in exitium rapuit; retusa est mens, obscurata ratio; superbia, invidia, odium, sævitia, cupiditates multiformes, et perturbationes reliquæ, ceu tempestates quædam excitatæ undis austro percitis; dissoluta fides, refrigeratus amor, omnia vitia velut facto agmine irruerunt, simul afflictum corpus, et diræ illæ: *Maledicta terra in opere tuo*: ad omnia in quæ humana diligentia exercenda erat, se se diffuderunt, ut nihil nec intrarium sit, nec extrarium, quod non in corporis perniciem videatur conspirasse; in aëre fœdi ac pestilentes halitus, insalubres aquæ, periculosa navigatio, molesta hiems, molestus fervor, tot feræ noxiæ, tot ex cibis morbi: quis enumeret venenorum genera, et artes maleficas? ;mutuam hominum perniciem? ;tot machinas (a) contra arcem tam im-

(a) *Contra arcem tam imbecillam quam acinus uvæ hærens gutturi strangulet.* Plinius Natura. Hist. lib. septimo cap. 7. refert: Anacreontem Poëtam acino uvæ passæ strangulatum, et Fabium Senatorem Prætorum in lactis hæstus uno pilo, pluresque incertis causis subito absumptos commemorat in eodem libro. At horum exemplorum plenus est orbis.

becillam quam acinus uvæ hærens gutturi strangulet, vel capillus haustus, quibusdam, incertis de causis, subito absumtis!

NECESSITATES HOMINUM.

CAP. II.

UT non immerito veterum multi non vitam nostram esse dixerint, sed mortem, (a) Græcique corpus hoc nostrum *soma* nominarint, quasi *sema*, quod illis sepulcrum significat; videlicet comminatus erat Adæ Dominus, quocunque die de vetito fructu gustasset, moriturum eum; gustavit, et mors consecuta est; nam; quid aliud est hæc vita, quàm continua quædam mors quæ perficitur, quum penitus e corpore isto animus liberatur? *Nascentes*, inquit ille, *morimur, finisque ab origine pendet*; nam ex quo primum homo in hanc lucem prodit, luctatur animus cum corpore; deserturus, ni subinde alimonia, tamquam medicina quapiam ægrum hoc corpus reficeretur; in hoc enim sunt a Deo cibi procreati, ut eis ceu tigno et tibicine, caducum istud ædificium, et in mortem semper tendens, fulciretur, quorum alios fundit terra arboribus, arbustis, herbis, radicibus; alios in usum nostrum pascit, ut pecudes; sunt quos piscamur ex aqua; alios ex aëre aucupamur; hinc contra vim frigoris defendimur pellibus, panno, igne, et ab æstu nos tuemur umbraculis.

Vita nostra mors est.

Sententia.

Alimenta.

Similitudo.

Nullus tam est vel corpore validus, vel acer ingenio, qui si humano more ac modo victurus sit, sibi unus sufficiat: ergo uxorem sibi adjungit prolis gratia, et ad conservandum parta, ut est meticulousus sexus ille naturâ, et tenax: dein socios laborum adsciscit, quibus bene vult, et quatenus potest, benefacere studet, gliscit amor et societas paulatim, ac foras serpit; dumque alii aliis sunt astricti officiis ac beneficentia, amor jam non intra eundem larem et focum continetur, verum be-

Uxor.

Mulieres natura tenaces Socii.

ne-

(a) *Græcique corpus hoc nostrum soma nominarint, quasi sema.* Allusio est ad Græcam *prosonomasia*, perinde ac dicat, paullum *soma* differt a *sema*, ita corpus a sepulcro animæ.

Vis naturæ.

neficio affectus gratiam habet, et si qua detur ansa, compensare non negligit; nihil enim magis natura odit, quam ingratum animum, quæ etiam bestiis feris, ut elephantis, leonibus, draconibus, gratitudinis sensum, et beneficii memoriam quandam indiderit. Jam hoc videbatur conducibile et jucundum, si illi, qui inter se communicandis beneficiis optime cuperent, ut se mutuo adjuvarent, casas et habitacula in propinquum conferrent, ne in rebus subditis deessent, quibus vellent subventum; proximus ager est ab illis occupatus, et sibi quisque munus, quo sibi atque aliis prodesset, ultro desumsit, ad quod maximè fictus, appositusque videbatur; piscationem alii, alii aucupium, agriculturam, pasturam, texturam, ædificationem, aut ejusmodi ad victum pertinentia.

Civitas unde conflata.

Hactenus quidem pulchrè illi et concorditer inter se agitabant, sed avitum malum non paucos vexavit, aliis præmi-nendi immo vero premendi studio, ut otiosi et honorati alienis laboribus fruerentur; ceteri imperata facerent; ipsi regno et potentia conspicui, stipati manu eorum, quos vel arte, vel metu in consensum tyrannidis suæ pertraxissent; hoc ex ambitione illa proavorum est natum, qua sibi spem divinitatis præsumserant; utique nec nostra dominandi libido alium terminum quàm divinitatis accipit; quod ostendit (a) furiosus ille juvenis Macedo, quum parum fecisse sibi videretur, quod hunc terrarum orbem possideret, tametsi melior ei pars restabat expugnanda. Hinc acceptæ leges æquæ omnibus, et hæc per violentiam imperantium corruptæ, et muri additi civitatibus, et bellum tum civile, tum externum, quod omne pestis genus exuperat. Hic jam humanæ et desidiæ et arrogantia et inopiæ occurri cœptum, quum aucto hominum genere alii non haberent unde se sustentarent, alii inertes, de alienis operibus victum postularent: ergo primum omnium agri, qui civitati circumjacerent, civibus inter se, ut expediebat, distributi, et limites ad-

Alexandri Macedonis amentia.

(a) *Furiosus ille juvenis Macedo.* Alexander Macedo quum audisset Philosophos quosdam asserere multos esse mundos, ingemuit, dolens se unum tantum acquisisse; de quo Juvenalis: *Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.* Idem Alexander filius Jovis voluit haberi, et Deus diis atque adorari.

additi, consecrati legibus: et quoniam rerum permutatio, quæ apud sæculum priscum in usu fuerat, parum visa est commoda, (a) numus excogitatus est publica forma, tamquam tessera, qua, civitatis fide, et a cerdone calceos quisque acciperet, et a pistore panem, et a textore pannum, eà materià impressum signum, quæ solida firmaque facile quod impressum esset retineret, nec inter contrectantium digitos consumeretur, et quæ nec copia vilesceret, nec esset inventu rara. Initio æs fuit, hinc argentum, postremo aurum, conciliante etiam precium his metallis naturæ virtute, qua dicuntur valere; hi nummi a primo aliquâ multi cusi, et divisi per cives, ut quisque negotiaretur, daret pro alienis laboribus aut rebus, vicissim pro suis acciperet, hoc modo facultates vitæ honesto exercitamento conservaret, et libratis per mutuas commutationes civitatis officiis, res unicuique sua consisteret: verum multi casus interveniunt; alii ægritudine corporum ab opère cessantes, expendendis, et non accipiendis pecuniis in egestatem recidunt; idem iis accidit, qui bello, aut aliqua ingenti calamitate, sua perdididerunt, cujusmodi permultis in hoc turbulento orbe positus necesse est contingere, velut incendia, eluviones, ruinas, naufragia; sunt quorum ars quæstiosa esse desinit; præterea, qui patrimonia abligurierunt turpiter, aut per stultitiam prodegerunt; denique quærendæ et conservandæ rei multæ sunt viæ, amittendæ fortassis haud pauciores. Hæc quidem in externis, quæ quod incerta volverentur lege, hoc est, humanis mentibus incognita, fortuita veteres nuncuparunt.

Numus cur excusus.

Metallorum in orbem introitus.

Casus.

Fortuita.

Corpus.

Mores.

Prospectum etiam misero et affecto corpori, ut remediis per experimenta quæsitis juvaretur, et eorum, quibus esset carus, animus æger sublevaretur alloquiis, atque obsequiis: dein magistri rudi ætati adhibiti, qui vitam formarent, virtutis iter ostenderent, consilium regerent; primum suus cuique pater,

Tom. IV.

Hhh

hinc

(a) *Numus excogitatus est publica forma tamquam tessera.* Tessera symbolum est, ac, ut rudiore dicam minerva, signum ex quacumque materià factum, sive ex auro, sive argento, vel ære, plumbove, aut ligno, quod omnibus eo utentibus æquum et par est; uti modo sunt plumba, quorum fide egeni viscerationes, quas vulgo *provas* vocant, seu *raciones* à *porcionibus*, accipiunt.

hinc mater, nutrices, nutricii, patru, avunculi, et qui longius egrediuntur, et minus arcto sanguinis vinculo constringuntur; ad hæc, scholæ, et magistri sapientiæ, multaque in hoc a maximis viris relicta monumenta; sed remedia procul quærenda sunt, aut ignota, aut magno paranda, aut utendi modus incognitus, in quæis omnibus aliena indigemus opera; et in ingenii cultu sunt quibus magister non contigit, alios corrumpit magister ipse corruptus, ut populus, magnus erroris doctor, et vicinus vicino, et pater filio auctor et index est pravæ opinionis; multi etiam institutores stolidis et depravatis judiciis, quibus anseres nolis credere, ludos ingenuorum puerorum regunt; alii præceptorem aspernati, omni cæcitate consilii sui per præceptus feruntur, dum nullum admittunt ducem, aut cæciorem sibi deligunt: ita totus internè ac externè inops factus homo, justissimo præmio operis, quod susceperat, divinitatis usurpandæ, contusa est superbia elatissimi animantis, ut nihil sit eo infirmius, nec quod minus per se valeat; tota ejus vita et salus in aliorum auxiliis sita est, tum ad reprimendam superbiæ radicem, quæ per auctores generis ad posterum transfertur, tum etiam peculiariter occultis Dei consiliis, ut aliis desit pecunia, aliis sanitas, vel ingenium, prave usuris; aliis inopia hæc instrumentum est magnarum virtutum, omnia enim ad utilitates nostras refert princeps ille et rector mundi hujus, sapientissimus Pater ac indulgentissimus: quisquis ergo aliena ope indiget, pauper est, et ei misericordia est opus, quæ Græcè eleemosina dicitur, non in sola pecuniæ erogatione sita, ut vulgus putat, sed in omni opere, quo humana indigentia sublevatur.

QUAE SIT BENEFACIENDI RATIO.

CAP. III.

Sed ut sciat quisque qui sit beneficiorum ordo, et quomodo vel accipiendum beneficium, vel dandum, et quanta cuique habenda sit gratia, declarabo, quænam sint beneficia præcipua, et tamquam primæ notæ, quæ proxima, quæ tertia. Nam quidam

dam nihil judicant dari aliud, aut accipi, vel esse omnino beneficium, quàm pecuniam, hinc illa vulgaria, *Quid profuit? quid juvit? nihil dedit, multum profuit nam dedit*; aut quæ ad pecuniam parandam spectant, ut si quis artem quæstuosam docuerit, aut consilium lucrosum dederit; in quo peccant multi, qui dum in consilio dando, toto animo ac cogitatione pecuniam intuentur, bonæ mentis et virtutis obliviscuntur; verum nos, quum ex animo constemus et corpore, in utroque horum hæc habemus, sive bona libet appellare, seu commodum: primum in animo est virtus, unicum ac verum bonum; hinc ingenium, acumen, eruditio, consilium, prudentia; tum in corpore bona valetudo, ut menti serviat, et vires quæ laboribus vitæ sufficiant; postremo in externis pecuniæ, possessiones, facultates, victus. Præcipuum ut summum beneficium est, si quis virtutem cujusquam adjuvet: ita plurimum omnium debent Deo, non quibus contingit nobilitas, forma, opes, ingenium, gloria, sed quibus ille dignatus est impartiri suum spiritum ad cognoscenda et exequenda, quæ sancta et salutaria sint, hoc est, quæ ipsi placeant; de quo munere legimus in Psalmo 147: *Qui annuntiat verbum suum Jacob, justitias et judicia sua Israel: Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis*: hoc est ingens illud beneficium, quod Christus in eos confert, qui per nomen ipsius vere baptizati sunt, et illi uni fidunt. Hujus beneficii administrari, et ceu dispensatores fuerunt ejus discipuli, optimè de genere humano meriti, et deinceps quot quot Apostolis, non tam dignitate succedunt, quàm functione ac operibus. Pro hoc munere, incredibile dictu, quantam debeamus gratiam, hoc est bonum illud quod unusquisque optare debet cuicumque alii mortali et quatenus fieri possit, consilio, diligentia, opera procurare.

Post virtutem eruditio sequitur, tendens ad cognitionem virtutis, per quam homo homini, tamquam de suo lumine lumen accendit, nec communicatione minuitur, sed augetur: quàm pulchrum est ac magnificum, celsissimam omnium mentem erudire, expolire, instruere, ornare! Negat Socrates habiturum se ei gratiam, qui pecuniam dedisset, sed maximam illi,

Hhh 2

a

In indoctos
et stolidos
institutores.

Quis vocetur
pauper.
Eleemosina.

Præpostera
vulgi opinio

Improbatus
consulentum
error.

Virtus.

Quod sit
præcipuum
et summum
beneficium.

Confert
beneficium
Christus
vere
fidenti.

Eruditio.

Aurea
Socratis
sententia.

a quo esset in scitia liberatus. Et sanctus Job in egestate etsordibus abjectus, non dona a potentibus amicis requirit, tantum doceri se orat: *Numquid dixi, et adferte mihi? et de substantia vestra donate mihi? vel liberate me de manu hostis, de manu potentum eruite me? docete me, et ego tacebo; et si quid forte ignoravi, instituete me: sordidi isti qui daram pecuniam tantopere imputant, et aliena se studia sustentasse jactitant, doceant ipsi, tunc utcunque erit unde merito queant gloriari: Aristoteles præceptorum beneficium cum divino et parentum ponit; *Quis tribus æqua gratia*, inquit, *rependi non potest.* INDICIBILE EST, QUANTO PERE MAGNI ET ERUDITI VIRI REIPUBLICÆ PRODESSENT, SI NON GRAVARENTUR VEL IPSI MUNUS SUSCIPERE INSTITUENDÆ PUERITÆ AD OMNIA SEQUACIS, ET IN QUAM MULTO FACILIMUM EST RECTAS OPINIONES INSTILLARE; vel certe eis, qui docent, non deesse monitis, præceptis, et adjumentis ejusmodi, et tamquam viam digito præmonstrare: certe rectores civitatum decet non esse in hoc segnes, quin optimos ludi magistros prospiciant suis pueris præditos non modo ingenio ac eruditione, verum etiam judicio sincero et sano; nam in illa puerili institutione magna vis est ad reliquam omnem vitam, quemadmodum in seminibus ad fruges venturas: profecto in hoc expediret accuratius incumbere, quàm in ornandam urbem, aut locupletandam, nisi forte putamus præstare malos posteros relinquere, modo et divites: jam animos componere ac sedare, quod fit partim præceptis virtutis, partim alloquiis, consolationibus, solatiis, visitatione, obsequiis: præterea tueri corpora, quantum et quàm amplum munus censetur, unde *liberatorum* et *servatorum* nomina reperta, et tot olim coronæ excogitatae, virtutis signum, ac gloriæ; graminea, ei qui civem in acie servasset, querna, ei qui ab obsidione liberasset; et medicina magno in precio habita, et ad deorum inventionem relata: *Vir medicus*, inquit Homerus, *multos valet viros*, et dominus jubet honorari medicum: quantum etiam, ex carcere et captivitate redimere? (a) Terentius Culleo senator*

Aristotelis opinio. Ecc. Scholarum Piarum sanctissimum Institutum.

(a) *Terentius Culleo Senator.* T. Livius tertiæ Decadis lib. 10. circa finem: Dimissi, inquit, ab Romanis Carthaginensium legati, quum in Africam venissent ad Scipionem, quibus ante dictum est legibus, pacem fecerunt: naves longas, elephantos, perfugas, fugitivos, captivo-

liberatus e Carthaginensi carcere a Scipione Africano, per reliquum vitæ non aliter eum observavit ac coluit quàm dominum, triumphumque illius nudo capite prosequutus est; (a) olim honoratissimum erat, captivos de suo redimere, etiam apud gentes, quod Cicero in Officiis testatur; ex quo magis erga Principem tanquam beneficentissimum afficeretur populus, inventum, ut ejus inauguratione vinculis et custodia detenti solverentur.

Ultimus fere locus pecuniæ relictus; hac etiam juvare, liberale ac honestum, in quo est mirifica dulcedo, nam ut Aristoteles et Cicero et ceteri docent philosophi, pulchrius ac jucundius est dare quàm accipere; idque Dominus sententia sua comprobavit, ut est apud Paulum scribentem Corinthiis: *Fuxta verbum*, inquit, *domini, beatius est dare quam accipere*: gustata liberalitatis voluptate, non possumus ab ea deterreri, quamdiu suppetit quod detur; etiam si non suppetat, vel per rapinam quæritur; quod declararunt multi, qui eripiebant aliis quod aliis darent, ut Alexander, Sylla, Cæsar: idcirco vetere proverbio dictum est: *Largitionem fundum non habere*; vel dare iis quos ingratos novimus, delectat, tantum quia damus; est enim æmulatio quædam divinæ conditionis et naturæ, ut alii nostra ope videantur indigere, non nos illorum, et tamquam manus atque auxilium nostrum spectent; de Deo enim dicitur in Psalmis: *Dixi domino, Deus meus es tu, quia bonorum meorum non eges*; et alio loco: *Omnia ad te spectant Domine, ut tu des illis escam in tempore opportuno; Aperis tu manum tuam, et implet omne animal benedictione*: in quo ille est maximus quorundam error, ut alios

Pecunia.

Dare.

sporum quatuor millia tradiderunt, inter quos Quintus Terentius Culleo Senator fuit; ac post pauca, sequutus, inquit, Scipionem triumphantem est capiti pileo imposito, omnique deinde vita, ut dignum erat, libertatis auctorem coluit. Idem Decadis 4. lib. 8. tradunt Quintum Terentium Culleonem Scipionem mortuum elatumque coluisse, et pileatum sicut in triumpho ierat, in funere ante lectum isse. Hæc ille. Pileus libertatis erat indicium, unde et Amphitrionis Sosia apud Plautum; quin et ego hodie raso capite capiam pileum; frequens est apud bonos auctores servos ad pileum vocare, id est ad libertatem.

(a) *Olim honoratissimum erat captivos de suo redimere, etiam apud gentes, quod Cicero in Officiis testatur.* Locus est libro Off. 2. Non uno, inquit, modo in disparibus causis affecti esse debemus; alia causa est ejus qui calamitate premitur, et ejus qui res meliores quærit nullis suis rebus adversis; et subdit: hæc benignitas reipublicæ utilis, redimi e servitute captos.

spolient quod dent aliis; quale enim est, per injuriam benefacere? certe eam gratiam non assequuntur quam captant, nam cui placet, obliviscitur, cui dolet, meminit, et dum volunt potentes videri, coguntur minimorum opem implorare, ut jam vulgo dicatur: *Magnus Princeps, magnus mendicus*: sed hæc dixi, ut declararem quanta esset in dando dulcedo, ut ea sola posset ad dandum pellicere vel alia omni utilitate seposita: ergo quemadmodum non soli victui subveniendum est, quum totus undique homo auxilio indigeat, sic nec beneficia nostra sola pecunia concludenda; benefaciendum iis quæ sunt in animo, votis, consilio, prudentia, præceptis vitæ, et quæ in corpore, præsentia corporum, verbis, viribus, labore, procuratione, et externis, dignitate, auctoritate, gratia, amicitis, pecunia, sub qua ea sint mihi comprehensa quæ pecunia comparantur: quacunque re quis possit, juvet et prosit illis qui indigent, nemini quantum in se est noceat, nisi hac via bono illi primo, hoc est, probitati utilitatem adferat; sed neque hoc nocere nominabitur, non enim dandum cuique est quod expetit, sed quod ei expedit, in quo necesse est eum omni perturbatione animi vacare qui hoc iudicaturus est.

QUAM SECUNDUM NATURAM SIT

B E N E F A C E R E .

C A P . IV .

VERUM hominis, et quia facti eum puduit, et quia impulsus fuerat astuti hostis suasibus, clementissimus Dominus misertus est, (a) reservavitque illi locum quem prius destinarat, sed duriore jam

(a) *Reservavitque illi locum, quem prius destinarat, sed duriore jam conditione assequendum.* Divus Augustinus lib. 13. de Civitate Dei capite primo: Deus, inquit, homines fecit, ut perfunctos obedientiæ munere sine interventu mortis angelica immortalitas et beata æternitas sequeretur; ubi hic noster Vives annotavit quod statutum unicuique vivendi super terram fuisset tempus, quo absoluto, gustatoque ligno vitæ, confirmata fuisset natura, translatusque in cœlum immortalitas consequuta; vide Auctorem sententiarum libro secundo. Hæc ille. Eundem itaque locum Domini Jesu crux reservavit, sed conditione duriore; ea est imitatio sacratissimæ vitæ caritatis ac mortis ejus.

jam conditione assequendum; et in hac vita alios aliis caritate quadam opitulari voluit: primum ut amore illo inciperent jam nunc ad cœlestem se se civitatem præparare, in qua nihil est aliud, quàm perpetuus amor, et indissolubilis concordia: præterea hominem in societate et communione vitæ acturum, animo pravum, et inquinata origine superbum, indigere alterius ope Deus voluit, alioqui nunquam futura inter eos societate vel diuturna, vel fida; unusquisque enim arrogantia indita et prono in malum ingenio aspernaretur socium, ac desereret, nisi contineretur metu, quòd aliquando eo indigeret, quippe neminem sic evexit fortunæ favor, quin ad implorandam inferioris opem vel invitum dejiciat, immo vero ille fortunæ favor sine minorum ope vel non paratur, vel non conservatur; documento sunt magni Reges, quorum potentia subditis innititur, corruiura illico, si eam hi destituant: quis puer aut vetula ignorat, maxima imperia consensu firmari, quæ nulla penitus futura sint, si nemo pareat? nec illa profecto respublica stare diu potest, in qua unusquisque sua modo et amicorum curat, nemo communia, (a) sive unius voluntate regantur omnia, quæ dicitur *Monarchia*, sive pauci administrent, quæ *Oligarchia*, sive populi sit potestas suprema atque imperium, quæ *Democratia*; justa respublica et salutare est imperium, si ad publicas utilitates curæ et consilia regentium referantur; sin ad se quisque quantum astu, arte, potentia valuerit, trahat, tyrannus est etiam populus sui ipsius, nec diutinè libertatem et potentiam retinet, sed brevi in jus et arbitrium alienum servus pertrahitur; quod duæ potentissimæ gentes declararunt, Romana et Atheniensis, et declarabunt quotcunque tales habent cives, qui se, quàm suam patriam, magnos et potentes esse malint.

Verum naturæ sic videtur gratia referri, si quum multis ip-

(a) *Sive unius voluntate regantur omnia, quæ dicitur Monarchia.* Hæ voces Græcæ sunt; Monarchia a monos, quod est unus, et archos principatus, quasi unius principatus, Democratia a demos, quod est populus, quasi populi principatus, non equidem plebis, quum populus et plebs differant, ut genus a specie; siquidem appellatione populi plebs unà cum Senatoribus et Magistratibus comprehenditur, plebis vero, vulgus solum, exclusis Senatoribus et Magistratibus, ut docet Justinianus Inst. de Jur. natur. gen. et civil. paragr. Plebiscitum.

Qua propter
Deus Opt.
Max. volue-
rit homines
hominibus
indigere.

ipsi adiutoribus egeamus, multis etiam adjumento simus; itaque ea cupiditas mirifice est humanis pectoribus inædificata, ut generosi animi benefacere quàm plurimis, et juvare velint, nihilque honestius aut præstantius arbitrentur, idque sine ulla sui utilitate, etiam cum ingenti vel fortunarum, vel vitæ dispendio; quæ omnia complures magno atque excelso animo viri æstimarunt vilia, dum sublevarent oppressos, subvenirent inopibus, confirmarent infirmos, afflictis opem ac solatium afferrent, (a) consequutaque sunt eos grandia præmia, ut immortalitate censerentur digni: nimirum non ignoravit vetustas illa maxime divinum esse, benefacere: quid de bonis viris loquor, quum piratæ, et latrones, qui prædandi cupidine maria et terras inquietant, videri tamen velint nonnullis profuisse, et potuisse jugulare aliquos, quos conservarint? nam hoc est maximum latronis beneficium: militares homines, natura jactabundi, fortitudinem suam non imputant nisi quod in commune ceu præsidium quoddam prosit: quocirca nulla res magis debet cogitationes hominum exacuere, atque excitare, quàm studium aliis benefaciendi; sive quod is jussit, cujus præceptorum amplissima est merces; sive quod aliter societates hominum nequeunt stare; sive inhumanè et contra naturam existimandum est, non subvenire quibus possis; sive quod hac via alii aliis beneficium in commune reponunt, si potentior infirmiori absit; postremo unumquemque convenit admonitu communis sortis huc adduci.

QUIBUS DE CAUSSIS QUIDAM

A BENEFACIENDO DETERRENTUR.

C A P. V.

Sed duæ causæ sunt, quibus potissimum beneficentia nostra
res-

(a) *Consequutaque sunt eos grandia præmia, ut immortalitate censerentur digni.* Plinius natur. hist. lib. 2. cap. 7. Vetusissimus, inquit, referendi benemerentibus gratiam mos est; ut tales Numinibus adscribant, quippe et omnia nomina deorum ex hominum relata sunt meritis; hinc Saturni, Cereris, Bacchi, ac, ut peculiarius quid gentilibus meis dixerim, Osiris Cervisiæ inventoris deificationes, ut vocant, natæ sunt.

restringitur, vel quia profuturos nos aliis non putamus, vel quia obfuturos nobis ipsis, aut iis quos habemus caros, ut liberis, propinquis, necessariis; existimamus non prodesse quod datur malo, et ingratitude vehementer offendimur; tum ita nos tenerè diligimus, ut non audeamus benefacere, ne quid ea res nobis noceat: dicam prius de inopibus, hinc de iis quibus opes adsunt: nihil est virtute amabilius, nihil quod ad se validius homines pelliciat quàm species illa honestatis; contrà foedius nihil est vitio, aut quod citius, intuentes, abs se cum abominatione avertat: ergo juxta veteres illos versiculos: (a) *Beneficium dando accepit, digno qui dedit: et illum Ennii: (1)*

Benefacta, male locata, malefacta arbitror.

Neque aliud quicquam magis a dando nos deterret, quàm quum metuimus ne male beneficium collocemus; id duabus ex rationibus fit, altera, aut quum beneficium cui dedimus, non prodest, in quo dolemus nos operam atque impensam lusisse, aut quum ingratum experimur; quod flagitium non eum tantum offendit, in quem quis est ingratus, aut ingrato soli nocet, sed in commune omnibus, arctat enim hominum benignitatem, et ardorem juvandi restringit: Timonem quendam Athenis hominem locupletem, beneficentissimum ac munificum in primis fuisse perhibent, sed expertum multos adversum se ingratos, in odium quoddam humani generis adductum esse, quæ res ei cognomen fecit *Misanthropu*: videmus discipulos vocem illam, ac stilum, a præceptoribus expolitum, atque excultum, in ipsorum perniciem convertisse; quis velit docere? parentes a filiis deonestatos, compilatos, expulsos, cæsos, interemptos; (b) quem delectet vel gignere liberos, vel tollere? clientes, famulos, famulas in domum et familiam receptos, adjutos opibus, evectos

Tom. IV.

lii

dig-

(a) *Beneficium dando accepit, digno qui dedit.* Versus est prudentis illius Publilii Syri Mimographi.

(1) In Tragoediis vers. 619.

(b) *Quem delectet vel gignere liberos vel tollere?* Tollere ambigua vox est, hoc loco signat educare; ita Mysis in Andria Terentii: hic Pamphilus firmavit fidem, nam quod peperisset Glycerium, jussit tolli, id est, educari.

Ingratitudo.

Timon.

dignitatibus, non aliter acceptos et habitos quàm filios, corrupisse patronorum uxores, filias, propinquas, liberorum indolem, spoliasse domum, prodidisse patronos ipsos, ut præstitisset serpentem in domum admisisse, quàm in domum tam pestiferos homines; quis non malit in silvis, et solitudinibus vivere? rectorem civitatis noctes et dies publicis commodis invigilantem cum suo incomodo, levem ac ambitiosum vocant, et regendi imperitum; bonum Principem populus conculcat, malo paret; ea res multos esse malos cogit; et quod admiserunt ingrati, grati luunt: idcirco invisata est omnibus ingratitude etiam erga alios: tantumque hoc crimen visum est, ut quum sit in civitate frequens, nulla sit tamen adversus illud legibus animadversio constituta, quòd omnem humanam æstimationem superaret, (a) et ex iis esset, ut inquit Seneca, quæ ad vindicem Deum remittuntur.

Mendici.

Sunt qui ex mendicorum filiis aliquos asciverint, ut docerent, ut instruerent facultate vitæ, pro filiis haberent, heredes testamento scriberent; hos paucis post diebus cum furto a dominis profugisse, aut si aliquandiu in domibus remanserant, effusos in omnem impudentiam, ac immodestiam, obloquutores, responsatores, insolentes, rapaces, intolerabiles esse factos: et quia de mendicis res ipsa admonuit, si quis eorum vitam ac vitia, et quæ quotidie flagitia et scelera designent, consideret, utique miretur magis esse, qui illos vel intuitu dignetur; usque adeo perditum est quidquid illis datur; primum immodestissime ac importunissime efflagitant, ut extundant magis, quàm impetrent; sunt qui hac sola de causa nihil dant; alii dant, ut tantam ab se molestiam dimoveant; quum illi nullo respectu ubi, aut quando, petant in ipsa confectione sancti Mysterii,

non

(a) *Et ex iis esset, ut inquit Seneca, quæ ad vindicem Deum remittuntur.* Locus est in tertio de beneficiis, ubi ita scribitur: Excepta Macedonum gente, non est in ulla data adversus ingratum actio, magnumque hoc argumentum dandum non fuisse, quia adversus maleficium omne consensimus, et homicidii, veneficii, parricidii, violatarum religionum aliubi atque aliubi diversa poena est, sed ubique aliqua; hoc frequentissimum crimen nusquam punitur, ubique improbat; neque absolvimus illud, sed quum difficilis esset incertæ rei æstimatio, tantum odio damnavimus, et inter ea reliquimus, quæ ad vindices Deos mittimus.

non sinunt homines attente ac pie Sacramentum venerari; faciunt sibi transitum inter turbam confertissimam, fœdi ulceribus, tetro per universum corpus halitu spirante; tam et se diligunt, et civitatem totam negligunt, ut nihil pensi habeant, ne in quem transmittant vim morbi, ut nullum fere est morbi genus, quod non habeat suam contagem; quin et ulcera multi comperti sunt ipsos sibi certis medicamentis et facere et augere, ut miserabiliores sint intuentibus; nec solum sua ipsorum corpora aviditate quæstus sic deformant, sed et liberorum, quos nonnunquam circumferunt accommodatos; novi gentem, apud quam, etiam raptos, et debilitatos, ad commovendos magis a quibus stipem precantur; sic alii varios morbos simulant, sani et integri, si soli sint, aut necessitas subito ingruat, ostendunt quàm non sint infirmi; sunt qui fuga sibi consulant, si quis eorum ulcera et morbos velit curare; alii otiosi lucri dulcedine, quod necessitatis est vertunt in artem; nolent commutare rationem hanc parandæ pecuniæ, nec minus pro mendicitate sua pugnent, si quis tentet adimere, quàm alii pro suis opibus: ergo divites poscunt stipem, et ab iis accipiunt quibus justius deberent dare; quod deprehensum in nonnullis, omnes suspectos facit.

Jam qui semper Deum, et quidquid est usquam Divorum, habent in ore, nihil in pectore habent minus quàm illos; impatientissima in Deum jaciunt convicia; videre est eorum rixas tam rabidas, maledicta, execrationes, et propter minutam unam centum perjuriam, plagas, cædes, impotentissimè omnia et teterrime; aspernantur nonnunquam quod gratis donatur, si aviditati non respondeat; magnoque vultus fastidio et contumeliosis verbis rejiciunt; stipem nacti, etiam illos, a quibus accepere, rident, tantum abest ut eis seorsum bene precentur; alii recondunt incredibili avaritia, quum ne morientes quidem ad aliquem pro se usum proferant; alii detestando luxu dilapidant cœnis opiparis, quales nec opulenti cives domi suæ habent; animosius illi florenum unum in capum, aut delicatum

Iii 2

pis-

piscem, aut generosum vinum prodigant, (a) quàm stuferum divites; ut non insulse videantur quidam dicere illos cauponi mendicare, non sibi, videlicet, quòd quàm facile est eis illa pecunia eo quæsita die, tam se aliam quæsituros postridie confidunt; et nescio quo pacto rara est in exiguis rebus parsimonia, rarior multo, si partæ sint citra industriam et laborem: jam, quo strepitu epulantur! quàm clamoribus inconditis! dicas rixari meretrices cum lenonibus; voluptates diligentius rimantur, et se in eis altius immergunt, quàm divites: quæ vitæ consuetudo inciviles eos reddit, impudentes, rapaces, inhumanos; puellas vero impudicas, libidinosas: si quis eos rectè ac liberius admoneat, ferocissime obloquuntur, et subinde illud jactant, *Sumus pauperes Jesu Christi*; quasi vero Dominus Jesus tales pauperes agnoscat, tam alienis a suis moribus, et præscripto sanctitatis vitæ, qui non pauperes pecunia pronuntiat beatos, sed spiritu.

Atqui isti majores interdum attollunt spiritus, vel ob hoc ipsum quod sunt pauperes, quàm opulenti ob suas opes et copias; oderunt omnes, qui vel non dant, vel reprehendunt; a furtis nihil aliud eos arcet quàm pœnæ metus; aut etiam quod occasio non datur; nam si detur, ibi nec legum, nec magistratus ulla est reverentia, paupertatis prætextu nihil non licere sibi rati: iras suas non verbis aut pugnis vellent ultas, sed ferro et cæde; argumento sunt multa homicidia clam ab ipsis patrata; et si quando civilis discordia incidit, nulli majores edunt clades, sive prodendo, et instigando, sive ipsi manu propria, (b) ut non sine gravissimo consilio videantur Romani submovisse egenos cura omni atque administratione Reipublicæ, cujus cives haberent pro inimicis: quæ tamen non sunt a me dicta in universum de omnibus, sed de genere, alia enim in aliis, vel

(a) *Quam stuferum divites.* Stuferus nostratibus patardum seu solidum Gallicum valet, viginti florenum Renensem faciunt; puto a Budeo in Assem sestertium masculino genere vocari; ita Carolum Gallicum nominat qui hodie apud nostrates cum stufero æquatus fere est precio.

(b) *Ut non sine gravissimo consilio videantur Romani submovisse egenos.* Hoc apud Livium lib. 1. et Valerium Maximum lib. 2. extreme pauperes nec regebant Rempublicam, nec militabant, quod illis nimia paupertas esset suspecta.

vel hominibus, vel nationibus, sunt vitia, in quibusdam nulla; deinde ad cohortandos magnos magistratus, ac privatos, ut paupertati maturè subveniant, ne sinant tantam labem et fœdissimam vomicam perniciosissimè hæere in visceribus suæ civitatis.

QUOMODO INOPIBUS AGENDUM.

CAP. VI.

TUM etiam ad eos ipsos inopes commonefaciendos, quemadmodum se debeant gerere in suis adversis rebus; primum reputare oportet eos inopiam illam missam sibi a Deo, justissimo, et occulto consilio, etiam ipsis vehementer utili, adempta vitiorum materia, et tributa, in qua se virtus facilius possit exercere; ideo non modo tolerandam æquo animo, sed libenter quoque amplectendam, tamquam Dei munus; vertant se ad Dominum, qui eos tetigit magno argumento amoris illius, quia quem diligit, castigat, ne perdant correptionis et calamitatis fructum, qui est, se ipsos et auctorem suum, a quo admonentur atque accersuntur, cognoscere, rejecti a mundo, electi a Deo; nudi atque expediti, nudum atque expeditum Christum alacriter comitentur, sancte agant, Deoque solo fidant, non humana ope ulla; et quandoquidem mala recipiunt in hac vita, dent operam, et connitantur, ne pejus multo habeant in altera, ne propter minimos ac vilissimos quæstus in vita amarissima jacturam faciant cœlestium gaudiorum; nihil simulent, ne imposturis videantur pro arte uti, confisi magis fraude sua quàm bonitate Christi, qui nos omnes alit; non enim pecunia est, quæ nos alit, aut panis, minime defuturus iis, qui vere se tales pauperes præbuerint quales ipse diligit, simplices, puros, verecundos, amabiles; modestè et probè petant, ac versentur, nihil enim verecundia et modestia pulchrius, aut ad conciliandum amorem efficacius: porro; quid intolerabilius superbo paupere? de quo sapiens ille Hebræus inquit: *Tres species odit anima mea, et aggravor valde animæ illorum, pauperem superbum, et divitem mendacem, et senem fatuum et insensatum*; neminem oderint; nemini invideant mortalia ad

ad immortalia accincti et properantes; ament, et redamabuntur; Christo paupertate similes sint, et imitatores caritate.

Qui laborare valent, ne sint otiosi, quod discipulus Christi Paulus vetat; et lex Dei hominem labori subdidit; et Psalmista beatum illum vocat, qui edit panem labore manuum suarum quæsitum: ut nihil est nunc eis segni illo ac torpido otio dulcius, ita nihil esset, consuetis aliquid agere, gravius aut invisius quàm otium, nihil jucundius opere, quod si mihi fidem non habent, eos interrogent, qui ex otio se ac desidia ad laborem negotiaque transtulerunt; homini enim operi assuefacto, quum consuetudine, tum vero natura ingenii humani, otium ac desidia mortis est instar: multum et piis orent animis pro bona mente sua, et illorum a quibus in necessitatibus vitæ adjuvantur, ut Dominus Jesus dignetur eos remunerare centuplo illo in æternis bonis; pro his quæ acceperunt, non contenti sint verbis gratias egisse, animum quoque retineant gratum, hoc est, beneficii memorem, et quæ data ipsis fuerint, ne turpiter prodigant, neu sordide asservent, non secum in alteram vitam translaturi, in usus necessarios prudenter dispensent, quibus ubi erit satisfactum, aliis pauperibus ne invideant quæstum, procurent etiam, si possint; quin et ipsi de supervacuo diurni victus largiantur, imitatione vetulæ illius Judææ, quæ de tenuitate sua duo minuta Domino obtulit, hoc est, universum censum suum, et laudata est sacro illo Servatoris nostri ore; felicissima, quæ paupertatem suam oblita est, dum Deum respicit, idcirco tantum devotionis suæ præconem invenit; felix elemosyna de necessitatibus decisa, quæ Christi testimonio ingentibus divitum donariis prælata est.

Gentilis caritas,

Ne hoc videatur christianis hominibus factu grave, quod gentiles præstitere, alieni a sancta pietate; emptorem a taberna sua, quod quantum in eum diem victui sat erat collegerant, ad vicinum, qui nihil aut parum vendidisset, transmiserunt: O christiani ferreum pectus, quod neque exempla flectunt hominum mundo servientium, non Deo; nec tot divini Præceptoris cum tanta vel pœna vel mercede documenta, nihil aliud sonantia quàm ut proximo bene et cupias, et facias quatenus

pos-

possis! Sed ad pauperes redeo; liberos pie sancteque educant, ac instituunt, ut quandoquidem nullas eis sunt opes relicturi, virtutem et sapientiam relinquunt, hereditatem regnis omnibus anteponendam; hæc si egerint, si sic vixerint, scio, et capitis ac vitæ meæ periculo ausim spondere, ubi ab hominibus cibus defuerit, cœlitus a Deo nunquam defuturum: quod qui non credit, profecto is nec Christi promissis fidem habet, et suam vitam non intelligit neutiquam cibo propagari, sed voluntate Dei.

QUIBUS VITIIS IMPEDIANTUR

A BENEFACIENDO II QUI POSSUNT.

CAP. VII.

Sunt et in nobis e regione alia vitia, quæ magis multo nostram beneficentiam impediunt, omnia ex immodico nostri amore orta, cujus certissima et germana soboles est superbia, et cupiditas aliis eminendi, propter quam alios premimus: hinc superbiæ conjunctissima invidentia, qua nostra bona volumus nobis esse propria, ut neminem patiamur ad nostram magnitudinem assurgere, non solum ascendentibus infesti, sed iis etiam per quos evehuntur; jam segnitie quædam in pectore, dum metuimus, ne benefaciendo aliis alios offendamus, quæ res non paucos a propulsanda a socio injuria retrahit, dum similitates aut damna metuunt; timent etiam quidam, ne in ingratum incidant, alienis exemplis, non propriis commoti, nam ipsi experiri nolunt an felicius sibi cedet benignitas; tum in corpore desidia quædam deliciis fracta, ut operam refugiamus omnem, quantumlibet fratri profuturam, in lucro aut voluptate mire strenui et gnavi; maria et terras peragramus exigui quæstus causa, sexcenta adimus pericula propter brevissimam voluptatem; proximi gratia manum gravamur vertere: præter hæc, tantopere invaluerunt voluptates, et luxus, ut nec amplissimus illis census sit satis; idcirco nec aliis impartiri audemus, ne nobis desit: et vera rerum nomina cum bonis rebus olim amisimus; sic cessimus vitiis, ut tacito quodam consensu ad ea transtule-

Superbia.

Invidia.

Luxus.

Nomina rerum inversa.

ri-

rimus quæ erant propria virtutis; nemo credit se malefacere, si non existimeretur; parsimoniæ ac temperantiæ laus in sordes est versa, luxus et diffluentia sunt in precio tamquam nobilitate et opibus digna, ut etiam gloriantur nonnulli se crebro inebriari, quasi ebrius, homo sit et non pecus; magnam pecuniæ vim in aleam profundere aut in moriones, convivari sumtuose, id pulchrum et gloriandum ducitur; simplicitas, candor, et recta prudentia, pro stultitia habentur, ad fraudem atque astutiam prudentiæ nomen demigravit, et ingenium ad maledicentiam; docere alios, abjectum, et vilium hominum, ne filios quidem, nisi artes vanitatis ac superbiæ; nec orare honestum satis, ne videamur Deum majorem nobis fateri, et aliqua nos illius ope indigere; atque hæc omnia barbarissimis et stolidissimis seculis invecata.

Pecuniæ ho-
nos contra
fas.

Deinde pecunia, quæ initio fuerat instrumentum eorum modo quæ ad victum attinerent, transiit in instrumentum honoris, dignitatis, superbiæ, iracundiæ, fastus, ultionis, vitæ, necis, imperii, omnium denique quæ nos pecunia metimur; addito pecuniæ tam vasto precio, nemo est, qui non illam quacunque via et ratione cogendam, complectendam, conservandam censeat, jure, injuria, per fas et nefas, indiscretis profanis sacris, licitis illicitis; eum qui paravit, sapientem, dominum, Regem, virum magni et admirandi consilii; pauperem vero stultum, despicabilem, vix hominem: hæc tam recepta omnium opinio, etiam homines suo opte ingenio alienos a cura fortunæ, adigit ad famulandum ei, nam alii aliis exemplo et invitamento sunt ad scelus; pater, mater, nutrix, fratres, benevoli omnes, nihil aliud optant et precantur quàm pecuniam, amicus amico, cognatus cognato idem; hostibus vero nihil imprecamur aliud, nisi pauperiem: afferunt nonnulli honestas, quantum ipsis quidem videtur, et graves causas; parare se pecuniam et tamquam viaticum ad senium sua natura imbecillum et multarum rerum indigum; ad morbos, ad casus varios; hinc ad filios, nepotes, propinquos, affines; hanc, providentiam vocant, et ea sollicitudo in infinitum tendit, dum immortalitati generis volumus prospectum, eoque persuasionis est ventum,

ut

ut qui paullo largius egenis benefacit, is fraudate heredes dicatur, immo, invidioso verbo, rapere, furari ab eis; nec desunt leges, quæ aviditati heredum adsint, ac beneficas manus illigent; et sic obtinuit communis sententia, ut pessimo heredi omnia, optimo pauperi nihil debeas; hæc tanta cura, et suspectus pecuniæ, rem in eum statum adduxit, ut suæ cuique fortunæ vita et anima cariores sint; si quis egeno numum dederit, sanguinem putet dedisse se, non metallum.

Accedit his omnibus, quod quisque ut vixit, ita moritur; in ambitione, superbia, avaritia transegit vitam, sic vel ædem, vel sacellum, vel sepulcrum, ut opes sufficiunt, sibi extruit argento, auro, marmore, ebore, insigne, ut etiam avaritia vivat in mortuo, sparsis ubique insignibus, et ostentata nobilitate generis ad superbiam, armis additis, ut si opus sit, vel cœlum expugnet armatus, vel si quis corpori tentet inferre injuriam, propulset, primum omnium, occidat vermes, a quibus depascitur; inscribuntur gesta bellica, et monumenta crudelitatis, testimonium triste apud judicem pacis: ex præda, et spoliis pauperum, et divitiis inique vel quæsitis, vel retentis, etiam quum jam amplius nostræ non sunt, jubemus cani nobis nescio quot psalmos, et missas dici: (a) alii arces construunt, aut pyramides, aut imagines, denique quod memoria non patiatur intercidere; ac dum ista cogitatione agitamus, et magnam inde nobis gloriam pollicemur, victurosque nos etiam post mortem, minutum negatur pauperi ne quid tantis sumtibus deficiat, (b) immo vero detrahitur minutum pauperi, si habeat, et spoliatur nudus: ergo præcipua causa cur non benefacimus est superbia, et amor nostri, qui quo flagrantius exardescit, eo magis extinguit

Vitia post
mortem.

Tom. IV.

Kkk

guit

(a) *Alii arces construunt, aut pyramides.* Pyramides structuræ sunt e saxis aut lateribus ab immo amplæ in summo acutæ atque in altam molem evectæ, et ad nihil aliud quam ad effundendas opes inventæ.

(b) *Immo vero minutum detrahitur pauperi, si habeat, et spoliatur nudus.* Minutum minima pecuniæ portio est; puto vulgo *jotam* vocari, octavam et quadragesimam particulam stufæ; verum quod subdit, *et spoliatur nudus*, venusta verborum pugna est, veluti: festina lente, infelix felicitas, &c. Adagio fertur, ne a centum quidem fortibus unum nudum posse spoliari; in Job legimus, nudum spoliasti vestibis, quod sane fit, si quando cuique exiguum illud, quod ei necessarium est, adimitur.

guit caritatem erga alios, de quo Dominus noster in Evangelio suo inquit: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum*: hæ sunt veriores ac certiores causæ, cur in benefaciendo contrahimur, sed more cunctis hominibus communi, culpas nostras in alios transferimus, et a quo nos ultro abhorremus, causificamur non facere alieno vitio.

NULLAS CAUSAS DEBERE IMPEDIRE

NOS A BENEFACIENDO.

CAP. VIII.

AT vero pulchra res est et excellens in primis, benefacere, in qua decet homines æmulatores esse parentis sui Dei, cujus benignitatem ingratitude nostra non exhaurit; pluit super justos et injustos, oriri solem suum facit super bonos et malos: et si quis recte expendat, fere inopum vitia nobis sunt imputanda, ingratos ipsi facimus lente aut maligne succurrendo, non puro animo, sed aliquid spectantes aliud, quàm beneficium, et gratiam, exprobrando beneficio, commemoratione, nutu, fastidio: multi etiam unius erga quempiam ingratitude sic permoventur, ut nemini velint prodesse; atque nemo ignorat, non omnes homines eodem esse ingenio, eisdem moribus; ipse experire; audi Senecam, hominem gentilem, christianos edocentem quæ illum conveniebat potius a christianis discere; equidem, locum integrum adscribam, ut pudeat unumquemque nostrum ne ex præceptis quidem gentilium, paullo sanioribus, vitam instituire: *Non est, inquit, quod tardiores nos faciat ad benemerendum turba ingratorum; nam primum, ut dixi, nos illam inertiam augemus; deinde ne deos quidem immortales, ab hac tam effusa necessitate, sacrilegi, negligentesque eorum, deterrent; utuntur natura sua; ipsos munerum suorum malos interpretes juvant: hos sequamur duces, quantum humana imbecillitas patitur: demus beneficia, non fœneremus; dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit, cum daret: at male cessit; et liberi et conjuges sæpe fefellerunt, tamen et educamus, et ducimus; adeoque adversus experimenta pertinaces sumus, ut*

Senecæ locus.

bella

bella victi, et naufragi maria repetamus, quanto magis permanere in dandis beneficiis decet, quæ si quis non dat quia non recipit, dedit ut reciperet, bonam ingratorum facit causam, quibus turpe est non reddere! quàm multi indigni luce sunt, et tamen eis dies oritur! quàm multi quod nati sunt queruntur, tamen natura sobolem novam gignit, ipsosque qui non fuisse mallent, esse patitur! Hoc et magni animi, et boni proprium est, non fructum beneficiorum sequi, sed ipsa, et post malos quoque bonum querere: quid magnifici erat, multis prodesse, si nemo deciperet? tunc est virtus, dare beneficia non utique reditura, quorum a viro egregio statim fructus perceptus est; adeo quidem ista res fugare nos, et pigriores ad rem pulcherrimam facere non debet, ut si spes mihi præcidatur gratum hominem reperiendi, malim non recipere beneficia, quàm non dare; quia qui non dat, vitium ingrati antecedit: dicam quod sentio; qui beneficium non reddit, non magis peccat, quàm qui non dat: hactenus ille.

Sed fuerit sane metus hic ingratitude apud gentiles aliquis, quem tamen tantopere Seneca, ut audisti, conatur eripere, idque primo capite librorum de Beneficiis, tamquam lapidem primo statim ingressu molestum, et intransibis offecturum; nos vero ne is metus a juvando retrahat, Dominus sponsorem se offert pro paupere; in se recipit, quod inopibus confertur; quid, locupletiores quærimus? an fidelem magis? quid illo cogitari potest mitius, aut benignius? ille omnia nobis dedit, quæcunque habemus, et tamen si quis ab eo jussus pauperi aliquid erogarit in Dei gratiam, ipse debitorem se facit; sibi vult referri expensum, quod de bonis illius fratri datur; quid porro nobis vel durius, vel ingratus, qui de iis quæ ille apud nos deposuit, dare recusemus quum ipse jubeat? quid stultius, quos tanta proposita mercede dare pigeat? quid magis cæcum, quàm in supplicium certum ruere, dum caducas res, et mille casibus obnoxias, arctissime complectimur? ad hæc, si maturè subveniremus pauperibus, haud dubie cum conditione, ac statu rerum, mutarent mores; nunc vero sinimus mendicos in egestate sua computrescere; quid possunt ex suis sordibus aliud trahere, quam omnia illa commemorata vitia? et quidem illorum culpæ, humanæ sunt, et quadantenus necessariæ; nostræ,

Kkk 2

vo-

Quam contra evangelium vivimus.

voluntariæ, ac pænè diabolicæ; quale est enim in civitate christiana, ubi quotidie Evangelium legitur, hoc est, vitæ liber, et in eo unicum præceptum caritas, tam diverso modo vivi quam illic præscribitur? neque vero nostram vivendi rationem gentiles aprobarent, cordatiores paullo; planèque ex gentilitiis civitatibus nihil mutavimus præter nomen, utinam vitia non au-xerimus! audimus; *Benefacite, orate pro persequentibus et impugnantibus vos*; at nos civibus nostris profuturi, etiam loqui gravamur: Socrates, homo gentilis, contemptis suis privatis rebus, cum offensione multorum, atque invidia, totam civitatem circumibat, docens, admonens, adhortans singulos; noctes et dies incumbens in eam curam ut cives suos meliores faceret; (a) nolo Apostolorum peregrinationes percensere, et tot exhaustos labores; gentilis vitâ et actibus erubescant homines christiani; dicitur; *Qui habet duas tunicas, det unam non habenti*; et nunc quanta inæqualitas? tu non potes nisi sericis indui, illi cannabaceus deest quo se operiat; viles sunt tibi arietinæ vel agninæ pelles, cervariis, pardis, (b) ponticis muribus, amiciris; proximus tuus frigore ringit, contractus ad dimidium præ rigore; et auro, et gemmis onustus, vitam pauperis stufferulo non redimeres? ad capos, et perdices, et delicatissimos ac maximi precii cibos, satur nauseas, fratri tuo deest furfuraceus panis quo se invalidum cum conjuge et parva sobole sustentet, quum tu canibus tuis meliorem projicias; nec interea tangeris recordatione luxuriosi divitis qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide, et mendici Lazari.

Tibi non sufficiunt ædes quæ cepissent antiquorum Regum comitatus; fratri tuo non est quo se per noctem ad quietem re-

(a) *Nolo Apostolorum peregrinationes percensere.* Paulus 2. ad Corint. ii. fuit, sicuti ait, in itineribus saepe; ad Romanos 15. ab Hierosolyma ad Illiricum usque prædicarat Evangelium Christi; in epistola ad Galat. meminit profectionis ab Damasco in Hierusalem ultro citroque, et verum quid? et in actis Apostolorum, nonne sunt omnia eorum peregrinationibus refertissima?

(b) *Ponticis muribus amiciris.* Pontici mures illi sunt, quos vulgò *martios* vel *armiños* dicimus, horum meminit Plinius Natur. hist. lib. 8. cap. 37. Porro; quam stultum est pluris pontici muris pellem quam agni facere! verum apud istos peregrinarum rerum admiratores vel præcipua precii pars est, de longinquo venisse.

recipiat; nec times, ne illud audias: *Fili recepisti bona tua in vita tua*; et diram detestationem domini: *Vae vobis divitibus, qui hic habetis consolationes vestras*: quum nullus est congerendi finis ad morbos, ad senectam, quam surdis illa auribus cantantur: *Nolite esse solliciti de crastino, attollite oculos, intuemini volatilia cæli, et lilia agri, quæ citra curam omnem suam Pater ille cælestis pascit, atque auget*: et nonne hæc omnia casibus objecta sunt? nec prodest homini parasse et conservasse, adversâ Dei voluntate, in cujus manu sunt casus; quot ex locupletissima fecit inopēs scintilla ignis non observata, aut pugillus stupæ in navi, aut effusus amnis, vel oceanus, aut hominis malitia, vel calumniosum verbulum! et quid? et an non pauperes sine his valent ac vivunt, et divites ægrotant, et moriuntur cum his? Quanta dementia est existimare vitam esse in pecunia, et panem constitutam; minime oportebat nos hujuscæ rei esse ignaros, qui toties audimus: *Non pane solo vivit homo, sed verbo et voluntate Dei*: et alibi: *Non in abundantia eorum quæ quis possidet, est vita ejus posita.*

et quid potuit explicari apertius adversum inanem coacervandi anxietatem, quam proposita parabola hominis locupletis, cujus maximum in modum proventus aucti ingentem de vita securitatem pepererant, ut etiam animæ suæ diceret: *Anima mea ede, bibe, frue bonis, habes enim multa in annos plurimos parata*: et audivit, quod unicuique nostrum in mediis fortunarum cogitationibus dicitur: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent a te, et quæ parasti cujus erunt?* ubi hæc sunt audita ex ore illo sapientiæ Dei, nefas fuerit exempla de secularibus litteris mutuari, in quibus referuntur tam multi sublatis in prima aucti patrimonii constitutione, quum statuerent jam curas relaxare, et partis frui, mollemque et suavem in posterum vitam ducere; nihil aliud videmus in civitate laborare homines, nisi ut moriantur divites, non ut vivant; et jam si in senectutem hæc conduntur, aut morbos, quid sibi vult tantus in vestitu et epulis luxus? et ista ministrorum et clientum frequentia otiosorum, fiducia tuarum opum? et tot canes, accipitres, simiæ, alea, scurræ? et si quis in gratiam locupletis hominis petat, nihil recusatur; in morione, et eos qui risum movent, quam multa congeruntur? istis non est

est



est dandi finis; in quo Hispani magnificè insaniunt; in gratiam Dei nihil est agendum; consuetudine viciorum occalluimus, ut jam non censeamus quæ tantum lædunt.

Ejusmodi divitibus contingit sæpenumero quod Sapiens inquit: *Qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias, dabit ipse ditiori se, et egebit*: sed ne quis subtrahat pauperi manum, metu ne desit sibi, aut certe præteniuiter impartiat, Salomonem auscultet: *Qui dat pauperi, non indigebit; qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam*; et Paulum ad hunc modum confirmantem Corinthios in danda eleemosyna: *Potens est autem Deus omnem gratiam augere in vobis, ut in omnibus semper omnem sufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispensit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi: qui autem administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et multiplicabit semen vestrum, et auget incrementa frugum justitiæ vestræ, ut in omnibus locupletati abundetis in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo; quoniam ministerium hujus officii non solum supplet ea quæ desunt sanctis, sed etiam accumulatur per multas gratiarum actiones domino*: sic ille: videlicet, oratio et gratiarum actio, quæ fit propter eleemosynam Deo, impetrat ab illo incrementa eorum commodorum per quæ misericordiam operamur: ; quid? ; num dictis tantum hæc et monitis constant, non itidem exemplis? in libro Regnorum tertio legimus: *Erat in Sarapta Sidoniorum vidua, quæ tantum farinae habebat domi, quantum pugillo capi posset, et olei paucas guttas; hæc lignatum egressa, duo ligna referebat domum, ut libum sibi ac filiolo coqueret, quod ubi edissent, morerentur, etenim erat fames atrocissima in Israël; Elias vero id sibi pro eleemosyna postulavit, promittens non defuturum ei ac filio; fidem habuit mulier Prophætæ, dedit illi quantulumcunque habebat; postmodum vero nec hydria farinae defecit, nec olei lecythus imminutus est, usque in diem quo misertus est Dominus Israël*: I nunc, et timidus commoda quod tanto cum fœnore recepturus es, etiam in bonis vitæ hujus: at posteritatem cogitat quis; id profecto infinitum est; quis tandem erit cumulandi modus? ; quid? ; ipsis nullamne vis curam relinquere? ; nihil quod agant? ; in quo se exercent? pes-

Filiis aliquam curam relinquere.

si-

sime profecto in eos consulis; et ipse non recusas tum misere vivere, tum etiam male, illorum causa qui cujusmodi futuri sint ignoras; audi sapientissimum Regem: *Rursus detestatus sum, inquit, industriam meam, quæ sub sole studiosissime laboravi, habiturus heredem post me, quem ignoro, utrum sapiens, an stultus futurus sit, et dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, et sollicitus fui; et est quicquam tam vanum? unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole, nam quum alius laboret in sapientia, et doctrina, et sollicitudine, homini otioso quesita dimittit*: hæcenus ille.

Cæci, exemplis non movemur, quæ quotidie oculis se ingerunt, sed nos ab eis animum avertimus, existimantes communi hominum conditione non teneri, quum simus homines; aliis adimuntur filii, quibus ingentes opes congregaverant, et fit quod legimus in Psalmo 48: *Relinquent alienis divitias suas, et sepulcra eorum, domus illorum in æternum: Tabernacula eorum in progenies progenierum: Nomina verunt nominibus suis terras suas*: aliorum divitiæ ad secundum heredem non perveniunt, corrupta filiorum indole spe paternæ hereditatis, aut ipsorum parentum indulgentia; tum quod conservare nescit qui laborem non adhibuit in quærendo: aliorum filii sine divitiis fuissent optimi, in divitiis sunt pessimi, ut instrumentum videatur flagitiorum ac scelerum is pater reliquisse, qui quacunquæ ratione liberos locupletare studuit; liberi etiam, quum patrem vident omnia divitiis posthabere, ipsi patri divitias anteponunt, justissima talione, et quam ad nos edocendos Deus sinit evenire; bona arte, et sancta mente filios instructos, abunde divites relinques, ne illud doceas, *rem quocunque modo, rem, alioqui in te primum experientur vim præcepti illius; ; vis audire veras divitias, et decedentis vita patris ad filios mandatas? Thobias sic moriens loquitur: Audite filii mei patrem vestrum: Servitè Domino in veritate, et inquirete ut faciatis quæ placita sunt illi, et filiis vestris mandate ut faciant justitias et eleemosynas, ut sint memores Dei, et benedicant eum in omni tempore in veritate, et in tota virtute sua*: caput itidem ejusce libri 4. plenum est ejusmodi mandatis, quibus decet unumquemque patrem filios ditare, non auro vel

vel argento; vetus verbum est: *Congestori avaro heres prodigus: et illud: Nec bono heredi opus est pecunia, nec malo; ille facile quaeret, hic cito profundet*: quod locupletes existimares te filios relinquere si illis principem aliquem tutorem et patronum et ceu patrem quendam parasses, profecto, si qua est fides, Deum relinquis filiis tuis parentem si bonus ac misericors fueris: *Generatio*, inquit, *receptorum benedicetur*: et alio loco: *Qui conversatur sine reprehensione in justitia, beatos filios relinquet*: nempe, idem Dominus est, qui parcit Israelitico populo propter majores ejus Abraham, Isaac, et Jacob, et qui visitat iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem eorum qui oderunt ipsum, et facit misericordiam in millia iis qui diligunt eum, et custodiunt praecepta ejus: *Melius est mori sine filiis*, inquit Syrach sapiens, *quam filios impios relinquere*: dicam equidem quiddam, minus forsitan receptum in vulgus, sed tamen verissimum mea utique sententia; patres qui experti pravum filiorum ingenium, et quod pecunia tamquam veneno corrumpatur, pessime facere quum magnas illis opes relinquunt, hoc est, certissimam vitiorum materiam; ejusmodi divitiarum adimuntur bonis, qui norunt illarum usum, et mali instrumentum flagitiorum nacti, fiunt pejores.

Si quis omnino prospectum vult malo filio, deponat eam pecuniam apud viros spectatae fidei; illi depositum restituant, si redeat ad meliorem frugem, sin perseveret in nequitia et sceleribus, probis indigis elargiantur, immo tamquam debitum eis persolvatur: audi jam, et Prophetam, et hominem senem: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus querens panem; tota die miseretur, et commodat, et semen illius in benedictione erit*: corporibus diligenter prospicis; expediret, ut animis diligentius prospiceres, exemplo sancti et providentissimi Job, qui pro singulis filiorum holocaustum offerebat Deo, ut si forte peccassent, nec benedixissent domino, sacrificiis patris expiarentur; atqui verissimum sacrificium est, et Deo gratissimum, eleemosyna, de qua scribitur in mysticis litteris: *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis*: et, *Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam*: postremo, quantae sunt illae

Pater filium
malum ex-
heredet.

illae opes, etiam apud homines, filius optimi patris? (a) nihil opus est vetera exempla recensere, quae sunt in Scriptoribus gentium omnium innumera; quotidie videmus multos per se indignos opibus, honoribus, evehi sola recordatione paternae virtutis, et quos sine alio despiceremus respectu, veneramur, patrem in eis spectantes, non ipsos; unde oritur decus nobilitatis, at sepulcra, et altaria, et sacrata ornamenta, et Missae, Psalmi tui, abominatio sunt ante Deum, cui tu ex mortuis lapidibus templum dum suscitans, viva ejus templa cadere ac interire pateris.

Non donaria et magnifica munera respicit Deus, sed puram mentem, et immaculabilem conscientiam; haec vox etiam gentilibus nota fuit, tradita a Platone, Xenophonte, Cicerone, Seneca, et quanto christianis debet esse notior, quibus nullo templo est opus, quum adorent patrem in spiritu, cujus patris templum est mundi universitas, sed peculiarius puri animi, dicente Apostolo: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos*. et Quid dicam quaeri his omnibus famam quamdam, potius quam Dei cultum, quod ostendit nomen ubique inscriptum, et insignia passim affixa? et jam, quid illic facit aurum? et putas Deum vel puerum esse, qui capiatur auri fulgore, vel avarum, qui possessione, vel hominem, qui usu? Verum gloria viventi si expectatur, gravis, si non expectatur, inutilis, mortuo supervacua; majoribus enim detinebitur vel gaudiis, vel suppliciis, quam ut his nostris vocibus, etiam si ad eum pervenirent, moveatur: (b) et quid Achilli prodest Ilias Homeri tam cantata? et quid

Munera
Deo dig-
na.

Fama

Tom. IV.

LII

Ulys-

(a) *Nihil opus est vetera exempla recensere, quae sunt in Scriptoribus gentium innumera.* Sunt aliquot apud Senecam in 4. Benef. et Ciceronem, inquit, filium quae res consulem fecit; nisi pater? atque e regione, filiorum splendor patres alioqui obscuros claros fecit; nam ut in tertio de Benef. idem Seneca scribit: et Quis Aristonem et Gryllum nisi propter Xenophontem et Platonem filios, nosset? Sophronisum Socrates expirare non patitur.

(b) *et Quid Achilli prodest Ilias Homeri tam cantata? et quid Ulyssi Odyssea?* Nullius opera in tanta celebritate et laude fuerunt apud veteres quam Homeri, ita ut maxima rediret fama ad eos, quos in suis operibus vel semel nominasset; duo Homeri sunt poemata precipua, Ilias, et Odyssea, in hac Ulyssis describit errores, in illa vero bellum Trojanum, ac potissimum Achillis gesta.

Ulyssi Odyssea? ; vel utrumque opus auctori suo? (a) ; quid Alexandro tot per orientem Alexandria? (b) ; quid Flandriæ Comitibus auratæ statuæ pro Burgo positæ? ut transeam quàm caduca et brevī peritura sint ejusmodi opera; sed certe pauci intuentur, pauciores animadvertunt, nemo fere de iis inquit quorum monumenta sunt; et ut inquisierit, haud magno æstimat; quòd si gloria quæritur, ; quæ major, quàm si benefacias? ; si prosis? ; si juves multos? hæc una apud priscos homines ad immortalitatem via, ut a nobis est in superioribus expositum, deos vocaverunt beneficos, (c) *Deus est*, inquit Plinius, *mortali juvare mortalem*, nec inter virtutes est ulla, liberalitate et munificentia gravior, et plausibilior, propter quam solam multi ingenia sunt regna consequuti; sed unicuique homini bona gloria existimanda est, ut solutus corpore bene a conscientia sua et Deo audiat, atque eam ob causam beatissima æternitate perfruatur.

QUAE UNICUIQUE A DEO DANTUR,

NON PROPTER IPSUM DARI SOLUM.

CAP. IX.

PLato philosophus felices fore respublicas ajebat, si duæ illæ voces ex hominum vita tollerentur, *Meum*, et *Tuum*; ; quantas enim inter nos excitant tragedias? et ; quibus clamoribus illa in-

Meum.
Tuum.

(a) ; *Quid Alexandro tot per orientem Alexandria?* Alexander Macedo, cujus antea mentionem fecimus, plurimas condidit urbes per eam regionem Asiæ, quam subegit; Niceam, Bucephalim ab equi sui nomine; plurimas tamen, immortalitatis nominis sui studiosus, vocavit Alexandrias quarum nominatissima est illa Ægypti ad unum Ostiorum Nili fluvii; ex Quinto Curtio.

(b) ; *Quid comitibus Flandriæ auratæ statuæ pro Burgo positæ?* Burgus vocabulum est Germanicum, quo nunc significatur arx; Brugis vero Burgus locus est in mediotullio civitatis, ubi Curia Senatorum, et ibi statuæ auratæ et variegatæ Comitum Flandriæ a Balduino ad Philippum Caroli hujus patrem.

(c) *Deus est, inquit Plinius, mortali juvare mortalem.* Locus est lib. Natur. hist. 2. cap. 7. Deus est mortali juvare mortalem, et hæc ad æternam gloriam via. Quod et aliis verbis noster Apostolus ad Galat. 6. Alter, inquit, alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.

intonantur: *Meum dedi, meum abstulit, meum non tanges, tuum non attigi, tuum tene, tuo sis contentus?* quasi vero aliquid ullus hominum possideat, quod merito queat suum appellare; etiam virtutem ipsam a Deo accepit, a quo nobis data sunt omnia, aliis aliorum causa: primum Natura, per quam volo Deum intelligi nam nihil est natura aliud, quàm illius voluntas, et jussus, hic ergo quantas utilitates nobis, sive ad vescendum herbas, radices, fructus, fruges, pecora, pisces, effudit, omnia in commune; sive ad vestiendum pelles, vellera; tum ligna et metalla; et commoditates animantium, ut canum, equorum, boum? denique quæcunque protulit, in hac proposuit domo nullis repagulis aut seris clausa, communia iis quos progenuit: ; dic tu, qui occupas, an sis naturæ magis filius, quàm ego? si non es, ; cur me excludis, (a) tamquam legitimus naturæ filius nothum? at inquis: Operam et industriam navavi, liceat et mihi possidere, idem faciam: ergo quod natura liberalitate sua dedit commune, nos malignitate nostra proprium facimus; quod illa obvium exposuit, nos avertimus, recondimus, claudimus, tuemur, arcemus alios poste, pariete, seris, ferro, armis, denique legibus: itaque avaritia et malitia nostra caritatem et famem indicit abundantia naturæ, et divitiis Dei paupertatem adfert.

Naturæ beneficia.

Jam per malignitatem nostram effectum est, ne vere Deo dici possit: *Aperis tu manum tuam, et imple omne animal benedictione*: non potest iniri numerus eorum (b) qui tertio abhinc anno in Bethica extincti sint fame, victuri adhuc, si tam essemus prompti ad ferendam opem, quàm ad petendam, aut si nos vel bestiarum liberalitas moveret, et sensus quidam naturæ accommodatior quàm noster, quarum nulla est, quæ pasta, et saturata, residua non hic in commune incustodita velut in amplo quodam naturæ relinquat penore; quapropter sciat,

Bethicæ famem.

Lll 2

quis-

(a) *Tamquam legitimus filius nothum.* Nothus per aspirationem idem est quod adulterinus, ac, ut juris consulti vocant, illegitimus.

(b) *Qui tertio ab hinc anno in Bethica extincti sint fame.* Bethica est pars Hispaniæ a Bethi amne, quæ nunc Andalusia dicitur, ut a Vive ipso accepi, ubi fuit atrox famem anno 1522. qua multi periire.

quisquis naturæ munera possidet, si cum egeno fratre communicet, jure possidere, et ex naturæ voluntate, ac instituto, sine secus, furem et raptorem esse, naturæ lege convictum et damnatum, quum occupet et detineat quæ natura non ipsi uni præcrearat. (a) Ad Architam Pythagoricum Plato scribit: *Non nobis solis nati sumus, sed ortus nostri partem patria vindicat, partem amici*: et senex ille in Comœdia: (b) *Homo sum, humani nihil a me alienum puto*.

Nemo sit ergo hujusce rei insciens, se nec corpus, nec animam, nec vitam, nec pecuniam habere in usum modo suum et commodum data, sed esse illarum rerum omnium dispensatorem, nec alio fine a Deo accepisse: hoc, etsi umbra quadam, tamen vetusta gentilitas vidit, quæ ita per leges de suis civibus sanxit, ut appareret unumquemque omnia debere suæ civitati; huic in quemque jus ac fas esse de corpore, de vita, de fortunis statuere; unde illi apud Athenienses Areopagitæ, apud Romanos Censores, in vitam, censum, mores cujusque inquirebant, ut legibus et pœnis judicarent, quàm hæc ab unoquoque in publicum commodum administrarentur; sed in ea quidem re afferamus jam non hominum testimonium, sed Dei edictum: *Gratis, inquit, accepistis, gratis date*; et parabola proposita est de eo, qui talentum quod a Domino acceperat, quia recondidit, nec est eo negotiatus, punitur acriter, collaudatis iis, qui negotiatione rem auxerant, hoc est, multos adjuverant illis ipsis Domini beneficiis: quocirca fur est, non qui heredi, quod inopibus largiatur, detrahit, sed quisquis inutiliter eruditione abutitur, vel vires consumit, vel scientiam sinit torpescere, vel pecuniam profundit, vel asservat. Dicit aliquis, idque ingenti cum supercilio, *De meo hæc facio*: quid mihi ad tribunal Christi, caritatis et mutuæ beneficentiæ vindicis, id allegas, quod non tibi licuisset ad sellas censorum Romanorum?

OS-

(a) *Ad Architam Pythagoricum Plato scribit: Non nobis solis nati sumus.* Recitatur et a Cicerone primo Officiorum, ubi et subdit: Placet Stoicis quæ in terris gignuntur ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos.

(b) *Homo sum, humani nihil a me alienum puto.* Utinam omnes ita cum Chremete sentiremus, cujus hæc vox est ad Menedemum in Heautontimorumenos Terentii.

ostendi nihil esse cuiquam suum; fur, inquam, est et raptor, quisquis pecuniam in aleam prodigit, qui domi in arcis coactam detinet, qui in ludos effundit aut epulas, qui in preciosas admodum vestes, aut instructissimum vario argento atque auro abacum, cui vestimenta domi computrescunt, qui emptitandis rebus supervacuis, aut inutilibus, pecuniam expendunt, qui in vanas superstructiones; denique quisquis, quod superest necessariis naturæ usibus, non egenis impartit, fur est, et si non humanis legibus, quamquam his etiam nonnullis, certè divinis punitur.

NON CONSTARE PIETATEM

ET CHRISTIANISMUM SINE BENEFICENTIA MUTUA.

CAP. X.

HActenus divina cum humanis conjunxi, propter eos qui tenebris altissimis immersi, non ferunt divinæ lucis fulgorem, nunc vero sola persequemur illius principis ac Domini jussa, de quo dicitur: *Nolite eos timere, qui occidunt corpus, postmodum autem nihil habent reliqui quod agant; illum timete qui ubi corpus occiderit, animam potest mittere in gehennam*: sed nos tantopere ad scelera occalluimus, ut nihil æquè surdis audiatur auribus, quàm quæ Deus jussit; nec saltem vitæ hujus vanitas nos commonefacit non esse hic spes nostras figendas, ad illum venturos nos, qui fuerit et spectator, et testis nostrarum quoque cogitationum, eundem futurum judicem, et unumquemque nostrum pro meritis aut retenturum secum in æterna beatitudine, vel missurum ad supplicia: Deus ergo per quos nobis loquitur, nisi primum per Filium suum, dehinc per sanctos viros, et spiritu ejus afflatus? sed Dei certissima oracula expressa sunt libris veteris ac novi Testamenti, quibus omnibus nihil commendatur magis, nihil inculcatur crebrius, quàm misericordia, seu quis Græce malit, eleemosyna: in Deuteronomio sic Dominus loquitur: *Non deerunt pauperes in terra habitacionis tuæ; idcirco ego præcipio tibi, ut aperias manum tuam egeno et pau-*

pauperi, qui tecum versatur in terra: nec gratis hoc injungitur, additur præmium, ut paratam inveniatur misericordiam, quisquis exhibuerit: in Psalmo enim 40. David inquit: *Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus; Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus; Dominus opem feret illi super lectum doloris ejus, universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus*: ejusdem Vatis versiculus ille ex 9. Psalmo: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor*: aperte declarat potentem in hoc esse a Domino vel dignitate ornatum, vel munitum ac instructum potentia, honore, auctoritate, opibus, ut tutor et defensor sit inopis, ut robustior filius imbecilliori a patre custos adjunctus; nec de sacrificiis et cærimonis suis Dominus est sollicitus, misericordiam ab homine exigit; huic uni mercedem pollicetur.

Apud Isaiam Prophetam verbis Domini sic legitur: *Rogant me judicia justitiæ, et appropinquare Deo volunt: quare jejunavimus, et non aspexisti? humiliavimus animas nostras, et nescisti? ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, et omnes debitores vestros repetitis; ecce ad lites et contentiones jejunatis, et percutitis pugno impiè; non est hoc jejunium quod placet Domino: nonne, inquit, hoc est magis jejunium, quod elegi? dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, et omne onus dirumpe; frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam; quum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris: tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et sanitas tua citius orietur, et anteibit faciem tuam justitia tua, et gloria Domini colliget te; tunc invocabis, et Dominus exaudiet; clamabis, et dicet: Ecce adsum*: hactenus Isaias. Quærit et circumspicit peccator quemadmodum offensum ab se Dominum queat placare, offert victimas, offert primogenitum suum; et spretis omnibus, quæ extrinsecus poterant adferri, de interioribus misericordia postulat; sic enim legimus in vaticiniis Micheæ Prophetæ: *Quid dignum offeram Domino? curvabo genu Deo excelso? numquid offeram ei holocaustomata, et vitulos anniculos? numquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hir-*

corum pinguium? numquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi, ò homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam. Quibus curæ est perscrutari naturas rerum, perhibent amorem natura et ingenio suo a nulla re verius elici quàm ab amore; sic nihil æquè Dei misericordiam nobis conciliat, quàm nostra misericordia: *Qui pronus est ad misericordiam*, inquit Salomon, *benedicetur*: et de immisericoide idem ait: *Qui obturat aurem ne audiat imbecillum, et ipse invocabit Dominum, et non erit qui exaudiat eum*: sed nos aquam, ut dicitur, in mari quærimus: quid aliud sonant vetera Dei præcepta, nisi unicum viam nanciscendæ Dei misericordiæ, esse nostram misericordiam, etiam usque ad commoda vitæ hujus temporariæ? Abraham et Loth, consuetudine accipiendi hospites, Angelos inscii receperunt, tantoque honore digni sunt habiti, nec Angeli asymboli discesserunt; (a) Loth ab incendio et ruina quinque urbium exemptus est; Abraham filium recepit originem promissæ illius sanctæ ac innumeræ posteritatis: Rex ille, et ut senex, et ut vates, sic inquit: *Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem; tota die miseretur et commodat, et semen illius in benedictione erit.*

Veniamus ad Christum, fidelissimum legatum Patris, missum ad nos magna et admirabili auctoritate signorum et virtutum in illa humilitate corporis, ut hominem hostem irato reconciliaret Patri, insipientem erudiret, errantem in via reduceret, cæco usum redderet solis ac luminum; hunc audiri Pater voce sua jussit, nos illius doctrina ac luce nos venditamus, illius gloriamur nomine, quod est super omne nomen, nec est aliud super terram, per quod salvi esse possimus, nec aliud, in quo nos conveniat gloriari, quàm, Pauli exemplo, Cruce Domini nostri Jesu Christi: sed equidem non video qua facie audeamus christianos profiteri nos, quum nihil ex iis præstemus, quæ Christus prima jussit, ac prope sola; habebant gentiles phi-

Amor amorem elicit.

Misericordia.

Christi auctoritas.

(a) Loth ab incendio et ruina quinque urbium exemptus est.) Harum Hieronimus meminit Ossee cap. 11.

Christi signum.

Amicitiae lex.

losophi suum signum, quo agnoscebantur, nuditatem pedum, sicut Nazianzenus perhibet, vilitatem vestium; habent Judæi circumcisionem; milites in bello sua signa; oves signatae sunt; merces itidem; Christus nullumne habet signum, quo notat suos, atque ab alienis separat? *In hoc*, inquit, *cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis invicem*: et mox: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*: hoc est caput, hoc primum dogma: amoris hæc est natura, ut omnia faciat communia, (a) juxta priscum verbum, quod a Pythagora et a Pythagoricis profectum, ceteræ philosophorum nationes retinuerunt; nec secus qui amat, res amici curat, et tractat, quam suas ipsius, interdum quoque accuratius, et ardentiore affectu; at in nobis unusquisque suum agit negotium, nemo fratris; et quemadmodum Paulus Corinthios objurgans, inquit: *Alius esurit, alius ebrius est*: tantum abest, ut quæ habes, communices fratri, ut quacunque arte et fraude possis, quæ frater possidet, ad te trahas; pauperem vides nudum ipse vestibus, non indutus, sed onustus, et obrutus, ac præteris; ubi jam signum illud, quo Christi oves censentur? At ne Deum quidem diligit, qui hominem non diligit; testificatur hoc Joannes in epistolis suis: *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necesse habere, et clausit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo?* et post paululum: *Si quis dixerit quod diligit Deum, et fratrem suum oderit, mendax est; qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?*

Ad hæc, nec Christo credit, qui ei non fidit; quid enim est aliud credere alicui, quam ejus dictis fidere, et promissa existimare certo eventura? atqui Dominus omnibus, etiam iis qui de nobis pessimè sunt promeriti, et nocerent si qua possent, jussit nos benefacere, quodque difficilius est, bene cupere; ille se debitorem tibi offert pro eo, in quem beneficium contuleris;

; si

(a) *Juxta priscum verbum, quod a Pythagora et Pythagoricis profectum.* Aulus Gellius Noctium Atticarum lib. primo cap. 9. testatur Pythagoram non solum hujus sententiæ parentem fuisse, verum et hujusmodi vitæ communionem induxisse; nam quicumque ab illo in disciplinarum contubernium admissus esset, debebat et facultates communes facere: auspiciatus est etiam Erasmus, labentis jam litteraturæ perpetuus vindex, hoc Adagio suas Chiliades.

si crederes tam eximiam illum relaturum gratiam, quantam pollicetur, an non dares qui negotiatori das decem ducatorum millia, ut cum fœnore recipias, fisus aut verbo mortalis, aut syngrapha mali? atqui et a Christo habes syngrapham; sed nimium carne opprimimur, et spiritalia in animos nostros non penetrant circumseptos tanta mole carnis, quæ vitiorum assuefactione callum duxit: nec vitam nostram Deo, a quo uno et genita est, et conservatur, credimus; nam si Christo crederemus jubenti ut totam curam tuendi, et sustentandi nostri, rejiciamus in Patrem, a quo sunt omnia, quique ea et pascit et sustentat quæ sine cura sunt, essemus usque adeo solliciti non essemus si Rex aliquis mortalis spondisset: quid aliud dicam, nisi sic nos loqui tamquam omnia credamus, sic vivere tamquam nihil: neque vero te tangit, quod summum et postremum est in religione, finis vitæ, vel per virtutem, vel per vitia transactæ, quam præmia vel supplicia consequuntur: peccata dicit eleemosynâ purgari; *Reliquum*, inquit, *est, ut faciat misericordiam, et sunt vobis munda omnia*: confirmavit veterum sententiam; siquidem Tobias ait: *Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato et a morte liberat, non patietur animam ire in tenebras*: et Ecclesiasticus: *Ignem ardentem extinguit aqua, et misericordia resistit peccatis*: superbissimo Regi Daniel consulit, ut peccata et blasphemias suas misericordia et eleemosynis pauperum redimat.

Concinunt his omnibus Christi discipuli ex magistri schola dicentes: *Caritas operit multitudinem peccatorum*: Centurioni illi gentili in Actis Apostolorum propter eleemosynas indicatur ab Angelo iter salutis; et quemadmodum ad civitatem aliquam demigraturis salutare consilium est, si quos ejus incolas officio sibi aliquo demereantur, sic Dominus admonet atque hortatur nos (a) ex mammona iniquo amicos quærere, qui nos mortuos

Tom. IV.

Mmm

re-

(a) *Ex mammona iniquo amicos quærere.* Mammona vox Syra est auctore Hieronymo, quæ apud eos idem sonat, quod apud Græcos, Plutos, quod Latinis divitias sonat. Augu. Matthæi sexto in homilia dicit Hebræis sonare divitias; nam et Punica lingua, quæ Hebræis vicina est, mammon lucrum sonare asserit: Ex iniquo mammona amicos quærere nihil aliud est, quam ex re mala sanctos pauperes sibi conciliare.

recipiant in æternas illas domos; et adolescenti, qui de vita æterna consulebat, respondit: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelis, et veni sequere me*: iudicis vivorum et mortuorum utinam non minus quisque sententiam metueret, quam sæpe audivit, et quæ nulli non est cognita, qui vel pro misericordiæ operibus præstitis beatam æternitatem remuneratur, vel pro omissis supplicio addicit. Quid dicemus ad hæc omnia? an contingit nobis, quod de Pharisæis narrat Lucas in evangelio, qui quod essent avari, irridebant præcepta Christi? nec ulli sunt adhuc, quibus æque ridicula est cœlestis doctrina, quàm accensis divitiarum cupidine, ut ineptus est regno Dei dives, qui opes suas amplectitur, nec sine maxima causa Paulus Apostolus solam ex peccatis omnibus avaritiam appellavit servitutem idolorum: *Pecuniam enim, inquit, quidam expetentes, a fide navi tutissima deciderunt*: nullum crimen morte ab Apostolis vindicatum est præter avaritiam Ananiæ, et conjugis, in quam Petrus potestatem illam apostolicam non per tortorem et carnificem, sed efficacia vocis suæ ostendit, et exercuit, quod sciret, quantum affectus ille probis moribus, et pietati nostræ; odium, bellumque, indixisset, quod aliquando exarsurum esset maximo detrimento et clade religionis.

Examinet quisque conscientiam suam an credat illa quæ recensuimus, quum his tam parum moveatur; at credo, ait unusquisque; ego vero credere te audio, credere non video: *Filii*, hortatur Joannes, *ne diligamus verbo tantum, sed re; et opere*: et Jacobus: *Estote factores verbi, et non auditores tantum*: si credis, cur tantis promissis et minis non tangeris? cur quod assignatum tibi est munus non capessis, præsertim tantis gaudiis paratis ei, qui fecerit, tantis cruciatibus, qui prætermiserit? summa hæc est: ego neminem existimo christianum esse, qui, quatenus potest, non subvenit fratri indigenti: Paulus et Barnabas quum Hierosolymam venissent, Jacobumque fratrem Domini loci illius sanctissimum Episcopum, simul et Petrum et Joannem convenissent, exposito evangelio, quod prædicarant in gentibus, et collaudati ab Apostolis, sic digressi sunt, ut utrinque

Avaritia.

tantum de misericordia meminissent; *Dextras, inquit, dederunt mihi, et Barnabæ, societatis, ut nos ingentes, ipsi in circumcisionem, tantum ut pauperum memores essemus*: de toto homine curant, totum alunt, et reficiunt, toti student prodesse, menti per prædicationem et sacram doctrinam, corporibus primum miraculis, et virtute pellendi morbos, quæ comitabatur prædicationem constantissimamque illam fidem, et adjumentis vitæ in colligenda pecunia, qua indigi alerentur; hoc est vere christiani, et sectatoris principis ac magistri sui, qui totum hominem fecit, totum sanavit, totum aluit, mentem doctrina, corpus cibo; ita convenit nos et animo benefacere et corpori, quæcunque facultas detur.

QUANTUM, ET QUOMODO, CUIQUE

BENEFACIENDUM.

CAP. XI.

Cicero, Aristoteles, Theophrastus, Panætius, Possidonius, Hecaton, Seneca, et ceteri, qui de officiis vitæ communis scripserunt, leges quasdam statuunt, cui, quatenus, quantum, quando, quemadmodum, præstandum sit vel officium, vel beneficium, vel referenda gratia; sed quum humana sola persequuntur, non omnia potuerunt suis præceptis concludere, propterea quod hominum natura varietate sua infinita est, quam formula sua divina Dominus comprehendit, videlicet auctor illius; dato enim caritatis præcepto erga Deum et hominem, ceu normam quandam, et amussim, assignavit, qua universa mortalium omnium vita possit dirigi: si quis vere et ex animo Deum diligit, et fratrem propter Deum, amor ille verius ei suadebit et rectius quid agendum sit, quàm quicumque magistri sapientiæ: sumat quisque in proximum affectum germane amicum, atque in juvando, Deum solum spectet ab illo sperans remunerari se, nihil dico amplius; hoc unicum documentum superat longa illorum philosophorum, quos modo commemoravi, scripta. De magnitudine beneficii, et in quem conferendum,

Mmm z

sunt

Officia vitæ.

Caritatis præceptum.

Beneficii magnitudo.

sunt illa Christi: *Omni petenti abs te dato; volenti mutuari abs te ne avertaris; benefacite persequentibus vos, amate eos, quibus estis indivisi; orate pro iis qui vos execrantur ac deponent: nempe sic agendum est ei, qui a rebus istis mundi hujus penitus se ad Dei unius fiduciam, et amorem sustulit: illud vero Thobix humanum magis: Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere, ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini; quomodo potueris, ita esto misericors si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impartire: cui non dissonat quod in Ecclesiastico legitur: Ante mortem tuam benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigen da pauperi: hi facultatem metiuntur, et sollicitudine non carent; quæ amor excludit: sed quanto hi melius, quam qui ex ingenti juvandi facultate, et copia, exiguam portiunculam impartunt? ut qui ex amplissimis opibus unam aut alteram stipem unciariam, dicamus minutam, ut hactenus fecimus voce vestrati: Qui parce, inquit Apostolus, seminat, parce et metet, et qui in benedictionibus seminat, id est largiter et plena manu, abunde etiam metet: similis est ad Galatas sententia, quam statim referam: ut a Deo accipis, sic illi reddito, si ille affluenter dat tibi, cur tu illi retribuas tam arcte et maligne, præcipue quum nihil tibi dederit propter te unum, sicuti disseruimus?*

Neque vero necessitates nostras sic convenit metiri nos, ut luxum et diffluentiam inter necessitates ponamus, sicut sericis vestiri, auro et gemmis fulgere, stipari magna frequentia administrantium, quotidie epulari opiparè, aleam animose ac largiter ludere: at ne quis blandiatur sibi, tamquam de multis copiis multa etiam egenis elargiatur, admonendi sumus, non esse acceptam Deo eleemosynam quæ ex sudore et substantia pauperum rapta sit a divite, quæ est enim per fraudem, per imposturam, per rapinam, per vim expoliasse te multos, ut aliquid paucis aspergas? surripuisse mille, ut des centum? in quo putant se quidam satisfacere, si ex magnis, vel prædis, vel fraudibus, redimant se aliqua portiuncula, quam dent egenis, aut ex qua ædificent sacellum, affixis suis insignibus, (a) aut tem-

(a) Aut templum ornent specularibus.) Specularia sunt fenestræ vitreæ, quæ lumen admittunt.

plum ornent specularibus, aut, quod ridiculum magis, auditori noxarum numerent, ut absolvantur; confessio Zachæi publicani hæc est: *Ecce Domine dimidium bonorum meorum do pauperibus, et si quem defrauda verim, reddo quadruplum: ideo sic a Christo absolvitur: Salus hodie huic domui facta est, quoniam et ipse filius sit Abrahæ: nempe, qui justitiam Abrahæ non profitebatur nomine, sed præstabat operibus: de justis ergo et bene quæsitis grata est Domino eleemosyna; faciat quisque quod Zachæus, ut idem audiat. Et omnibus est benefaciendum, nam pro omnibus se offert Christus; ac ne nos deterreat inopis indignitas, habemus dignissimum Deum, qui nobis immerentibus prior benefecerit; is se ex creditore debitorem facit, si quid das pauperi; Aristoteles, philosophus gentilis, non petinde bonus, ac doctus, quum malo homini numum roganti dedisset; admonentibus amicis, ac subobjurgantibus quod benefecisset indigno, Non, inquit, illius sum misertus, sed nature: quanto nos magis decet misereri pauperis propter Deum, cujus misericordia si vel temporis punctum a nobis recederet, quid esset nobis universis miserabilius! atqui hæc est Dei, et Domini universorum, syngrapha: *Quicquid uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis: audi etiam hominem, si fas est hominem post Deum audiri; sed sapientissimus est, et Dei scriba, itaque Deus putabitur loqui: Fæneratur Domino qui miseretur pauperis, et vicissitudinem reddet ei.**

Quis nostrum expostulationem illam Domini sustinere poterit: serve nequam, cur ex meo non dedisti, quod ipse juseram? quid fecisses de tuo? itaque æterna hæc bona non habebis, in quibus fidelis non esses, qui in mundi vanitate infidelis fueris? non hæc fingo, Christi verba sunt in evangelio Lucæ: *Qui fidelis est in minimo, et in majore fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in majore iniquus est; si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est, quis credet vobis? et si in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis? sed expendendæ sunt hominum necessitates; alii plus egent aliis: sunt etiam quibus præstat talentum dare, quàm aliis minam, ut qui pecuniam in usus honestos expendunt; aleatoribus, aut scortatoribus dare, quid est aliud, quàm igni stupam addere quod di-*

Benefaciendum omnibus.

Necessitates expendendæ

dicunt? non esset hoc beneficium, sed damnum; ideo Paulus ad Galatas sic scribit: *Communicet is qui in fide instituitur, ei qui instituit, in omnibus bonis; nolite errare; Deus non irridetur; quæ enim seminaverit homo, hæc et metet; qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam; bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus, non deficientes: ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei: Timotheo præcipit, ut presbyteri, qui bene præsent commisso gregi, honore, hoc est, munere, et liberalitate, duplici digni habeantur, præcipue ii qui laborant verbo et doctrina; videlicet, quod hi pecuniam commendatam, ac veluti creditam, melius dispensabunt, quàm imperiti, aut nequam, aut flagitiosi homines: ad eundem modum, probum ingenium fovendum, adjuvandum, provehendum, ornandum, instruendum, facundia, eruditione, auctoritate; malum vero coercendum, spoliandum, exarmandum, torquendum; detrahenda ei eloquentia, et auctoritas, nocendi instrumenta; non ponendum ferrum in manu furentis; sed hoc discrimen non, quemadmodum nunc facimus, expendendum est, ut plaris apud nos valeat cognatio, aut notitia, aut communis patria, familiaritas, officia, quàm sapientia, mores, virtus; hinc enim sumendum discrimen, non illinc; vere fratres sunt, quos peculiari quodam et sancto modo regenuit Christus, *Apud quem non est distinctio Judæi, et Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum*; sed certe in hoc summa rei vertitur; referantur omnia ad bonum illud præcipuum, ut tantum juvetur quisque quantum ad hoc videbitur indigere, et cuique demus plurimum profutura, et diu quantum ratio vel necessitatis ejus vel facultatum nostrarum feret.*

Quæ non juvant, supervacua sunt, onera magis quàm munera, ut feminæ, aut seni, sicut inquit Seneca, arma venatoria, rustico libri; jam quæ nocent, quanto verius maleficia sunt, ut ebrioso vinum dare, gladium pugnaci! in quo dum putamus prodesse, vehementer lædimus; quid distant talia amicorum munera et hostium vota? at in modo, ut ne quid ad nos referamus, omnia in Deum; idcirco alacriter exequendum, quod

Beneficii mo-
dus.

quod Tobias dixit *libenter*; et Paulus: *Unusquisque det sicut destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus*: itaque ex animo, ad juvandum et benefaciendum prompto, nascatur beneficium, non quia aliud non audeas, vel negare erubescas; porro qui differt, non admodum abest a negante, arguit enim tarditas refugisse nos, et eripi magis a nobis, quàm impetrari; dandum ergo cito, id est, quum primum se ostendit occasio, et maturitas utrinque; serum beneficium post opportunitatem; immo non est beneficium; at vero nec antequam sit opus, cito dicitur, cito est enim antequam urgeat necitas, antequam ad flagitium aut facinus adegerit, antequam rogandi rubor faciem accenderit, quod est præmium muneris majus ac gravius quàm pecunia, ut est gratum beneficium quod rogandi necessitatem antecessit, et hilaritas, quam Paulus vult beneficentiæ admisceri, promptus est ille animi affectus in vultu, verbis, et toto gestu eminens, non ornantes munus verbis, (a) quod amens ille amator in comœdia servo mandat, sed animum proferentes alacrem, lætum quòd benefacere contigit, tum etiam cupidum amplius dandi, si ita res postularet, aut liceret; libertate tamen incolumi, et non confusis voluntatum signis, ut nihilominus aperias, quid displiceat, quid correctum velis, ac mutatum, nam admonitio, et castigatio, genus est eleemosynæ, ut declaravimus, majoris, quàm pecuniæ erogatio; cavendum tamen sic corripias, ut ne videaris id facere quòd moleste feras peti abs te beneficium, aut quòd jus illud reprehendendi non ex illius culpa sumseris, aut amico tuo pectore, sed auctoritate beneficentiæ, invalida enim est tunc objurgatio; proinde consultius est apud ejusmodi suspicaces homines castigationem in aliud tempus differre, videlicet quum nihil das.

Nec nobis arrogemus quicquam, nam non de nostris bonis impertimur, sed Deo reddimus quæ sua sunt; quin potius habeamus gratiam quòd uti licuit, et existimemus actum nobiscum optime quòd fuerit unde tantam consequeremur mercedem:

(a) *Quod amens ille amator in Comœdia servo mandat.* Vox est Phœdræ in Eunucho Terentii: Munus, inquit, nostrum ornato verbis quod peteris.

dem: nec beneficium corruperimus exprobratione, jactantia, commemoratione, ostentatione: denique nihil velimus datum hominum oculis, sed Dei; quo minus expectarimus ab hominibus, hoc plus accedet a Deo; si ab hominibus præmium speremus, divino frustrabimur, plerumque et humano quoque: illa ergo beneficentia Deo gratior, quæ solis Dei oculis, exhibetur, in qua nihil humanæ vanitati relinquitur: pulchrum templa extruere, et ornare, quibus Deus colatur, sed nescio quid vendicat sibi in his omnibus affectus humanus, etiam in viris qui mente sunt integerrima; nam de iis qui vanitatem solam spectant, quid attinet loqui? quanto purius et sanctius, et Deo acceptius, quod inter dantem et recipientem consumitur, cujus testem solum adhibes invisibilem illum, qui videt omnia: in his enim soli studeo Deo placere, nihil ad gloriolam tuam convertis, hujus etiam certissimum et largissimum remuneratorem habes Patrem illum cœlestem, a quo tu solo aspici voluisti; sed jam Dominum ipsum auscultate apud Matthæum: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioqui mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est: quum ergo facis elemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis, et vicis, ut honorificentur ab hominibus; amen dico vobis, receperunt mercedem suam; te autem faciente elemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextra tua, ut sit elemosyna tua in abscondito, et Pater tuus, qui viderit in abscondito, reddet tibi.*

FINIS LIBRI PRIMI.

JOAN-

JOANNIS LUDOVICI VIVIS

DE SUBVENTIONE PAUPERUM,
SIVE DE HUMANIS NECESSITATIBUS,

LIBER SECUNDUS.

QUANTOPERE CONVENIAT RECTORI

CIVITATIS, CURARE PAUPERES.

CAP. I.

HActenus quid unumquemque deceat, posthac quid civitatem publicè, et ejus rectorem, qui est in ea quod in corpore animus; hic non unam aut alteram corporis partem vegetat, aut vivificat, sed corpus universum, sic magistratui nihil in suo cœtu relinquendum est neglectum; nam qui divites solum curant, spretis pauperibus, perinde faciunt ac si quis medicus non multum censeret manibus subveniendum, aut pedibus, quod procul absint a corde; quod ut non fieret sine gravi damno totius hominis, sic nec in Republica tenuiores negliguntur citra periculum potentium, illi enim necessitate pressi, partim furantur; judex indignam se putat eam cognitionem, sed hoc leve, ditioribus invident, fremunt atque indignantur superesse illis unde scurras, canes, scorta, mulas, caballos, elephantos alant, sibi vero non esse quod dent parvis liberis esurientibus, illos superbè ac insolenter divitiis abuti, quas sibi et similibus eripuerint: hæ voces haud facile creditu quot civilia per gentes omnes bella commoverint, in quibus incensa multitudo, et odio flagrans, primum omnium furoris sui experimenta in divites edit; (a) non aliam causam afferebant Gracchi,

Tom. IV.

Nnn

non

(a) *Non aliam causam afferebant Gracchi, non aliam Luc. Catilina civilis discordia.* Vellejus Patereulus Historiæ Romanæ lib. 2. et Titus Livius lib. 8. Gracchorum abunde meminerunt, quorum scripta, quantum ad hujus notæ declarationem pertinet, brevissimè prestringemus: Gracchi fuere duo; Major Tiberius, Minor dictus est Gajus, Tiberii Gracchi, clarissimi et eminentissimi viri, filii, Publii Scipionis ex filia nepotes; hæc vocata est Cornelia, prudentissima et castissima femina; hi Gracchi pro tuenda et promulganda lege Agraria, quæ ut ait lib. 2. Livius, numquam sine maximo Reipublicæ tumultu mota est, summa iniis miscuere,

non aliam L. Catilina civilis discordiæ quam excitarant, ne quid de nostris temporibus vel regionibus commemorem: equidem non pigebit adscribere locum quemdam ex Isocratis oratione, quæ Areopagitica dicitur, de moribus civitatis Atheniensium: *Similia*, inquit, *dictis sunt quomodo ipsi inter se agitabant; non enim circa publica solum erat hic consensus, sed in vita etiam privata, tantum alii erga alios prudentiæ ostendebant, quantum par est tum recte sentientes, tum patriam habentes communem; tantum aberat, ut locupletibus tenuiores inviderent, ut his non secus magnæ domus curæ essent ac suæ ipsorum, reputantes felicitatem illarum utilitati sibi esse; opulenti non despiciabant pauperes, sed considerantes pudendam sibi esse civium suorum indigentiam, necessitatibus illorum subveniebant, quum his quidem agros exigua mercede colendos locarent, alios ad negotiationem procuratores suos mitterent, aliis alias occasiones præberent lucri: neque vero metuebant ne in alterum duorum dispendiorum inciderent, aut censu universo spoliari, aut certè parte aliqua; contra potius, non minus iis confidebant quæ fuerant largiti, quàm quæ domi asservabant: tantum Isocrates.*

His accedit periculum ex contagio morborum commune; quoties videmus, hominem unum magnum aliquem et sævum morbum in civitatem invexisse, unde alii complures perierint, ut pestem, scabiem Gallicam, et ejusmodi? quale est enim, ut in unoquoque templo, cum festum est solemne ac celeberrimum, tum maximè penetrandum sit in ædem inter duas acies morborum, vomicarum, ulcerum, et ceterarum rerum vel dictu obscenarum, hæc una sit pueris, puellis, senibus, gravidis via? putatis omnes tam esse ferreos, ut ad eum aspectum jejuno corpore non commoveantur, præsertim cum ejusmodi ulcera non modo ingerantur oculis, sed etiam naribus, ori, et fere prætereuntium manibus et corpori admoveantur? tanta est im-

eosque lex ipsa in exitium adegit; uterque enim occisus est, alter a Nasica Scipione, alter a L. Opimio Consule.

Lucius vero Catilina, quem Plutarchus in Politicis vocat morbum ac vomicam Reipublicæ, ad Catulum scribens, non dissimilem causam a Gracchis suæ prætexit vesanix, ita enim refert Sallustius: satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi: ac subdit post pauca: Publicam miserorum causam pro mea consuetudine suscepi.

impudentia efflagitandi: prætereo quod nonnulli admiscunt se turbæ, commodum discedentes a latere extincti peste: hæc non sunt administratoribus civitatum negligenda, tum quò subveniatur morbis, tum ne ad plures serpent: præterea, nec est sapientis magistratus, et studiosi publici commodi, relinquere tantam civitatis partem non inutilem modo, sed perniciosam quoque et sibi, et aliis; clausa enim multorum benignitate, quum unde se alant non suppetit, alii coguntur latrocinia et in civitate et in itineribus exercere; alii clam furantur; femina, quæ sunt ætate bona, pudore abjecto, pudicitiam retinere non queunt, venalem ubique habent minimo, nec a pessima consuetudine possunt extrahi; vetulæ continuo lenocinium arripiunt, et lenocinio conjunctum veneficium; egenorum parvi liberi pravissimè instituti; ipsi cum filiis abjecti ante sacras ædes; aut circumvagantes petendo, nec Sacris intersunt, nec concionem audiunt, nec scitur qua lege, quo ritu vivant, quid de fide et moribus sentiant, nemo eo dilapsa est disciplina ecclesiastica, ut nihil administretur gratis; vendendi vocabulum abominantur, certe numerare cogunt; Episcopus autem paræcianus tam detonsas oves non putat ad caulam et pasturam suam pertinere.

Ita est nemo, qui mendicos illos videat confiteri, communicare cum aliis mensa Domini, et quum docentem nullum unquam audiant, necesse est corruptissimè de rebus judicent, et incompositissimis sint moribus, et si fortè aliquà ad opes emergunt, intolerabiles existant ob inhonestam et vilem educationem, unde nascuntur ea vitia quæ dudum recensui, non tam illis imputanda, quàm etiam interdum Magistratibus, qui non aliter civitati prospiciunt; haud recte de gubernatione populi statuentes, ut qui solum se existiment præfectos litibus pecuniæ, aut criminibus censendis, quum contrà magis conveniat eos in hoc incumbere, quo pacto cives bonos reddant, quàm quemadmodum vel puniant malos, vel coerceant; quanto enim minus esset opus pœnis, si recte esset prius illud curatum! Romani olim sic suis civibus prospexerant ut nemini necessum

foret mendicare, ac ne liceret quidem (a) jam inde a duodecim tabulis vetitum; idem Atheniensium populus cavit; legem dabat Dominus Judææ genti peculiarem, duram, præfractam, videlicet, populo consimilis ingenii, et tamen in Deuteronomio jubet, agant, dent operam, quatenus erit suarum virium, ne ullus sit inter eos indigus, et mendicus, præsertim anno illo quietis, et acceptabili Domino, in quo semper vivunt quibus Dominus Jesus sepultus est cum lege, cærimoniis, et vetere homine, et resurrexit in novitate vitæ ac spiritus; profecto turpe ac pudendum est nobis christianis, (b) quibus nihil est magis imperatum, quàm caritas, ac nescio an solum, tot in nostris civitatibus egenos et mendicos passim occurrere; quocunque te vertas, inopia, necessitates adsunt, et qui extendere manum coguntur, ut accipiant; quid quòd quemadmodum renovantur in civitate omnia, quæ temporibus aut casibus vel mutantur, vel intereunt, muri, fossæ, aggeres, rivi, instituta, mores, leges ipsæ, sic par esset succurrere primæ illi distributioni pecuniæ, quæ variis modis damna accepit; excogitata sunt a viris gravissimis, et qui civitatis saluti volebant consultum, quædam salutaria; relaxatio tributorum, agri publici tradebantur colendi pauperibus, distributio publicitus alicujus redundantis pecuniæ, quod etiam nostra ætate vidimus; sed illis opus sunt certe occasiones, quales hoc tempore præraræ contingunt; idcirco ad alia

(a) *Jam inde a duodecim tabulis vetitum.* Hic noster Vives, quem libentissime citamus, in Scholiis suis quibus divinum illud Augustini opus de Civitate Dei illustrissimum simul et lectu facile ac jucundum reddidit, lib. 2. cap. 16. ita scribit: Anno trecentesimo ab Urbe Roma condita, post multas inter partes et plebem dissensiones, tres legati missi sunt in Græciam, jussi leges Solonis describere, et mores ac instituta reliquæ Græciæ cognoscere, ut componi status civitatis Romanæ exemplo Græcorum posset; gnaviter negotium est a legatis transcriptum, et proximo anno redierunt; creatique sunt decem viri legum ferendarum, qui primum decem tabulas juris civilis Romani scripserunt, deinde addiderunt duas, approbatæque sunt omnes comitiis centuriatis, hoc est, (ut rudius ipse dicam) totius populi suffragiis, atque hæ sunt nobilissimæ leges 12. tabularum: sic ille.

(b) *Quibus nihil magis imperatum est quam caritas, ac nescio an solum.* Revera sola caritas præceptorum Dei summam implet; in dilectione, totius legis cardo vertitur: Dilectio, inquit Paulus, malum non operatur: et idem, In dilectione, inquit, tota lex pendet et prophetæ: Christus nihil aliud exemplo monstravit, nihil aliud exegit: In hoc, inquit, cognoscent omnes quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem: et: Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem.

alia confugiendum remedia commodiora, magisque perpetua.

COLLECTIO PAUPERUM ET PROFESSIO.

CAP. II.

Quærat ex me aliquis, quomodo tantæ multitudini subveniendum censes? si quid in nobis caritas valeret, ipsa esset nobis lex, quæ amanti non est posita, ea faceret omnia communia, nec secus alienas necessitates quisque spectaret, quàm proprias; nunc nemo est, qui curam suam extra domum suam proferat, interdum nec extra cubiculum, ac ne extra se ipsum quidem, quando multi nec parentibus, nec filiis, nec fratribus, nec uxori satis fidi sunt: ergo remediis humanis utcunque occurrendum, præcipuè apud quos parum habent efficaciam divina: mea quidem sententia ad hunc modum: ex pauperibus alii vivunt in iis quæ vulgo hospitalia dicuntur, græcè *Ptochotrophia*, sed notiore illo utendum erit; alii publicè mendicant; alii ferunt, ut possunt, domi quisque suæ, suas necessitates; hospitalia voco, ubi ægri aluntur, et curantur, et ubi certus inopum numerus sustentatur, et ubi pueri ac puellæ educantur, et ubi expositi infantes nutriuntur, et ubi mente capti continentur, et ubi cæci degunt: hæc omnia sciant rectores civitatis ad curam suam pertinere: nemo de legibus conditorum causificetur; inviolatæ perdurabunt; verba in his expendenda non sunt, sed æquitas, ut in contractibus bonæ fidei, et voluntas, ut in testamentis, de qua dubium non est, quin ea fuerit ut in usus, quàm fieri posset optimos, relictæ a se facultates distribuerentur, et dignissimo consumerentur loco; per quos, aut quemadmodum fieret, non tam solliciti, quàm ut fieret; deinde nihil est in urbe tam liberum, quod non subditum sit cognitioni eorum per quos administratur Respublica, neque enim libertas est, communibus magistratibus non subjici et parère, sed incitamentum ferocitatis, et ansa licentiæ effusæ in quocunque animo fuerit collibitum; nec aliquis potest eximere bona sua curæ et imperio civitatis, nisi simul civitatem exeat; quip-

quippe nec vitam potest eximere, quæ prior est, et unicuique carior, præsertim quum quisque fortunas suas beneficio civitatis tamquam munus acquisierit, ac ejusdem ope conservet, atque retineat.

Ergo harum omnium domorum singulas bini Senatores cum scriba aliquo visant, ac scrutentur, proventus perscribant, atque eorum numerum, ac nomina, qui ibi sustentantur, simul qua quisque illuc ratione pervenerit: hæc omnia ad Consules et Senatum perferantur in curiam.

Qui domi paupertatem ferant, a binis Senatoribus per singulas paræcias ipsi cum liberis annotentur, necessitatibus additis, et qua ratione vixerint antea, ad paupertatem quo casu devoluti sint, ex vicinis facile intelligetur, quod genus hominum sint, qua vita, quibus moribus; pauperis testimonium ne recipiatur a paupere, nam invidia non vacat: de iis omnibus Consules et Senatus edoceantur: si qui in aliquem casum repente inciderint, significant per Senatorem aliquem Senatui, et de eo ex ipsius qualitate ac conditione statuatur.

Hinc ex mendicis incertis domiciliis vagis, qui valent, profiteantur apud totum Senatum nomen suum, et mendicandi causam, in aperto loco aliquo, aut area, (a) ne illa colluvies ingrediatur senaculum; ægri apud duos aut quatuor Senatores cum medico, ut oculis Senatus parcatur; (b) petantur ab eis cognitores, qui de eorum vita testificentur.

Quos Senatus hisce examinandis et exequendis rebus præferit, eis assignet potestatem compellendi, coercendi, hactenus ut possint mittere in vincula, quò de iis qui non paruerint cognitio sit Senatus.

QUA

(a) *Ne illa colluvies ingrediatur senaculum.* Senaculum pro loco, ubi Senatus convenit, posuit.

(b) *Petantur ab eis cognitores.* Ante hunc locum legite, ut oculis Senatus parcatur, non pareatur; id admonui, nam hoc mendum sensum mutaret; porro cognitores sunt, qui ita aliquem noscunt, ut et aliis possint norum facere, omnemque illius vitam, mores, et originem, veluti pingere in tabella: hac voce in ludo de Morte Claudii Seneca Claudium loquentem facit ad Herculem: Ego te, fortissime Deorum Hercules, speravi mihi affuturum apud alios; et si quis a me notiozem petisset, te eram nominaturus, qui me optime nosti.

QUA RATIONE EIS OMNIBUS

PROSPICIATUR VICTUS.

CAP. III.

ANTE omnia illud decernendum, quod Dominus generi humano, tamquam pro mulcta criminis indixit, ut unusquisque edat panem suum labore suo quæsitum; quum edere, aut ali, aut sustentari nomino, volo non solum cibum intelligi, sed vestitum, tectum, ligna, candelas, denique ea omnia quæ corporis hujus victu continentur.

Ne quis igitur inter pauperes otiosus sit, qui quidem per ætatem aut valetudinem laborare possit; Paulus Apostolus ad Thessal. scribit: *Nam quum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quod si quis non vult operari, nec manducet; audivimus enim inter vos quosdam ambulantes inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes; iis autem qui ejusmodi sunt, denuntiamus, et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut cum silentio operantes, suum panem manducent: et Psalmista utramque felicitatem, et in vita hac, et in altera, promittit ei qui comederit ex labore manuum suarum: quocirca non patiendum est, quemquam in civitate otiosum vivere, in qua tamquam in domo bene instituta unumquemque decet esse in officio: prisca sententia est: *Homines nihil agendo discunt male agere.**

Valetudinis habenda ratio et ætatis; sic tamen ne simulatione morbi aut infirmitatis imponant, quod non fit raro, adhibebitur medicorum judicium, et qui fefellerit, puniatur; ex mendicis validis, alienigenæ remittendi ad suas civitates, quod etiam jure Cæsareo cavetur, adjecto viatico, nam inhumanum esset egenum sine viatico in iter mittere, et qui hoc faceret, quid aliud quàm juberet rapere? si vero ex vicis aut oppidulis sint bello afflictis, tum reputandum quod Paulus docet, inter baptizatos in sanguine Christi jam nec Græcum esse, nec Barbarum, nec Gallum, nec Flandrum, sed novam creaturam, pro indigenis habendi.

Indigenæ rogandi an artem norint ullam? qui nullam norunt

Orium vitandum.

Sententia.

runt, si ætate sunt idonei, edocendi ad quam dicent se maxime propensos, modo liceat; sin secus, ad similem quampiam; ut cui non licebit suere vestes, suat quas caligas nominant: sin est provecior, aut ingenio nimis tardo, facilius aliqua tradatur, denique ea quam nemo non paucis diebus perdiscat, fodere, (a) haurire aquam, bajulare, monotrochon trahere, apparere magistratui, (b) viatorem esse, aliquo proficisci cum litteris aut mandatis, equos agere perpetuarios.

Qui fœdis modis et per turpitudinem facultates prodegere, ut lusu, scortis, luxu, gula, alendi quidem, nam nemo est fame occidendus, ceterum iis molestiores imperentur operæ, et victus tenuior, ut aliis sint exemplo, et ipsos prioris vitæ pœniteat, ne facile in eadem vitia relabantur, cohibiti etiam inopia victus et laborum duritia, non occidendi fame, macerandi tamen.

His omnibus non deerunt officinæ, in quibus recipiantur: qui (c) lanificium Armenterii exercent, immo plerique omnes opifices, queruntur de raritate ac infrequentia operariorum, et qui serica Brugensia contexunt, conducerent quosvis pueros tantum ad gyrandum quosdam tornulos, quibus numerarent quotidie singulos stuferos, plus minus, præter cibarium; nec possunt invenire, qui hoc agant, nam parentes eorum ajunt plus illos domum referre ex mendicatu.

Sed publico nomine singulis opificibus certus assignetur numerus.

(a) *Haurire aquam, bajulare, monotrochon trahere.*) Monotrochon Græca vox est, a monos, quod est unus, et trochos, rota, hoc est, unius rotæ currus, qualibus utimur ad res per urbem convehendas; parvus currus vulgo dicitur.

(b) *Viatorem esse.*) Viatores sunt qui ad Magistratum homines citant: hos vulgo civitatis nuncios dicimus: Livius Decad. primæ lib. 2. Tribunus, inquit, plebis misit viatorem ad consulem, ille ad tribunum; lictorem: frequens est apud bonos auctores; significat etiam eum, qui aliquo iter metitur; ita in sequentibus usus est Vives ipse: In eadem domo, inquit, datur prandium, aut cœna, viatoribus sanis: apparere Magistratui est presto illi esse si quid jubeat: equos agere perpetuarios, hoc est, non interrupta vectatione onera gestantes, aut vectores: utitur non dispari voce Seneca in eo quem ante citavimus ludo de morte Claudii: Tu autem, inquit, qui plura loca calcasti quam ullus mulio perpetuarius.

(c) *Lanificium Armenterii exercent.*) Armenterium, oppidum est Flandriæ, frequens textoribus pannorum, (ad gyrandum quasdam rotulas) sic enim legitur in codice ab ipso Vives correcto: Rotulæ illæ sunt unde serica fila ad globum volvuntur, ut commodius tendantur in stamine.

merus eorum qui per se nequeunt officinam aliquam nancisci; si quis tantum in sua profecit arte, officinam aperiat; tum his, tum etiam illis, quibus tirones aliquos magistratus assignarit, et ea quibus publice civitas utitur, quæ sunt permulta, velut imagines, statuæ, vestes, cloacæ, fossæ, ædificia, locentur faciendæ, et ea quæ hospitalibus erit opus; ut fortunæ a principio pauperibus datæ, inter pauperes consumantur: idem Episcopis, collegiis, Abbatibus consulerem, sed alias ad hos scribemus, et spero aliquando illos id sua facturos sponte, etiamsi nullus moneam.

Quibus non fuerit adhuc vel de Domino vel domo prospectum, ii tantisper alantur aliquo in loco de eleemosynis, sed ne cessent interea ne per otium discant desidiam: in eadem domo detur prandium aut cœna viatoribus sanis, et viaticuli nonnihil, quantum sat erit usque ad proximam urbem quæ est illorum iter.

In hospitalibus, qui validi sunt, et illic hærent (a) tamquam fuci fruentes alienis sudoribus, exeant, et ad opus mittantur, nisi jure aliquo illic eos manere oporteat, (b) velut gentilitio, ut quibus hoc munus relictum est beneficio suorum majorum, aut qui de facultatibus suis illi domui impartiti fuerint.

Tum cogantur ibi laborare, ut fructus operis sit communis; si quis alius illic, sanus, et valens, caritate domus et veterum sodalium idem sibi permitti rogaverit, fiat ei remanendi copia eadem lege: ex bonis olim in ejusmodi usus collatis nemini deliciari liceat.

Nam sunt, qui ex ministris facti sunt Domini, et mulieres delicatè viventes cultu splendido, in origine pii operis ad ministrandum ascitæ, nunc exclusis pauperibus, aut malignè habitis, superbæ dominæ; adimatur hoc eis, ne ex substantia exilium pauperum pinguescant; agant propter quod illuc venerunt;

Tom. IV.

Ooo

in-

(a) *Tamquam fuci fruentes alienis sudoribus.*) Plinius Natur. Hist. lib. 11. cap. 11. Fuci, inquit, sunt sine aculeo, velut imperfectæ apes, Serotinus foetus, et quasi servitia veterum apum; hos pestilentes apibus dicit, quod nihil operantes, absumunt aliarum apum industrias; hinc a Vivete sumta metaphora.

(b) *Velut gentilitio.*) Gentilitia sunt res gentis, hoc est, familiæ, qualia sunt sacerdotia gentilitia, quæ vulgo beneficia de jure patrônatus vocantur.

Mulieres ministræ.

intentæ sint ministerio infirmorum, similes viduis illis ecclesiæ nascentis, quas tantopere laudant Apostoli; quod supererit temporis, orent, legant, neant, texant, occupatæ sint bono aliquo et honesto opere, quod etiam ditissimis ac nobilissimis matronis Hieronymus præcipit; nec cæcos patiar otiosos vel sedere vel obambulare; sunt permulta in quibus se exercent; alii ad literas sunt idonei, studeant, in nonnullis horum progressus videmus eruditionis haud pœnitendos; alii ad artem musicam, cantent, pulsent fides, inflent tibias; alii vertant turnos aut rotulas; alii trahant torcularia; alii agitent folles in ferrariis officinis; capsulas, cistellas, canistella, caveolas scimus cæcos componere; cæcæ nent, et filum conglomerant; nolint modo desiderere, nec opus refugiant, facile in quo sint occupati invenient; segnities et socordia in causa est cur negent se quidquam posse, non corporis vitium; infirmis quoque et senibus suggerantur levia, pro ætate et valetudine, quæ operentur; nemo tam est invalidus cui omnino vires desint alicui rei agendæ, ita fiet, ut cogitationes et pravi affectus animi, qui otiosis subnascuntur, occupatis et operi intentis cohibeantur; repurgatis ejusmodi hospitalium sanguisugis, expensis et annuis redditibus et præsentate et numerata pecunia, considerentur vires uniuscujusque hospitalis; donaria, et supervacua ornamenta, jucunda pueris, aut avaris, magis quàm piis utilia, distrahantur.

Tunc mittantur ad unumquodque eorum ex ægris mendicis quot satis esse videbuntur, modo ne victus tam restet eis arcus, ut vix sedet dimidiam famem; quod providendum in primis est ægris vel corpore, vel animo; nam isti ægrescunt magis inopia alimenti: sed deliciae absint, unde possent facile malè assueferi.

Insani.

Et quia de mente captis locus admonuit, cum nihil sit in mundo excellentius quàm homo, nec in homine quàm ipsa mens, præcipua danda est opera uti hæc valeat, summumque hoc beneficium censendum est, si aliorum mentes vel ad sanitatem reduxerimus, vel conservaverimus in sanitate atque constantia: ergo adducto ad hospitale homine mentis emotæ, principio perspiciendum est, utrum naturalis sit insania, an casu ali-

aliquo contigerit; sit sanitatis spes, an penitus desperata; dolendum tanto humani animi rei præstantissimæ incommodo, et ante omnia sic habendus, ne augeatur ei, aut alatur amentia, quod fit furiosis irrisione, laccessitu, irritatione, fatuis assensu et comprobatione eorum quæ stultè seu dixerint, seu egerint, atque incitatione ut ridiculè magis desipiant, tamquam subditis fomentis insulsitati atque stultitiæ; quid potest dici inhumanius, quàm dementare aliquem ut risum captes, et ludos tibi de tanto hominis malo facias? adhibeantur congrua singulis remedia; aliis opus sunt fomenta et ratio victus; aliis mitis tractatio, et comis, ut tamquam feræ sensim mansuescant; aliis institutio; erunt qui coercionem et vinculis egebunt, sed ita his utendum ne illi magis per hæc efferantur; omnino, quoad ejus fieri possit, tranquillitas in eorum animos invehenda, unde facile judicium redit, ac sanitas mentis.

Si non omnes invalidos mendicos hospitalia ceperint, constituenda domus una, aut plures, quot sufficient; illic includendi; conducendus medicus, et pharmacopola, et ministri, ac ministræ; sic fiet quod a natura, et iis qui naves fabricant, ut sordes unum in locum conferantur ne reliquo noceant corpori; proinde, qui tetro aut contagioso tenentur morbo, seorsum cubent, et sumant cibum, ne ad alios serpat fastidium, aut infectio, ut nunquam sit morborum finis.

Cum quis convalescit, eodem modo habendus quo reliqui valentes; mittendus ad opus, nisi pietate quadam malit arte sua aliis illic prodesse.

Egenis qui domi se continent, suppeditandum opus de publicis illis, aut hospitalibus, nec a civibus deerit; et si necessitates suas approbarint majores, quàm ut satis sit quod redit ex labore, addendum quantum videbitur sufficere.

Necessitates pauperum humanè atque affabiliter quæstores examinent; nihil detur sinistris interpretationibus; ferocia ne utantur, nisi si necessariam censuerint adversus refractarios et detrectatores publici imperii.

Sanciatur hæc lex: *Si quis rogarit, aut gratiam vel auctoritatem suam interposuerit, quo alicui detur pecunia necessitatis nomine,*

ne impetret, et mulcta esto, quæ Senatui videbitur: tantum liceat admonere esse qui indigeat, reliqua præfecti eleemosynarum, aut quos Senatus assignarit, cognoscant, fiatque eleemosyna, prout flagitabit necessitas, ne quando in posterum locupletes homines, parcentes æri suo, de fortunis pauperum postulent ministris, familiaribus, affinibus, necessariis suis, erogari quod eripiatur iis qui maximè indigent, et incipiat gratia egestates excludere, quod in hospitalibus videmus contigisse.

CURA PUERORUM.

CAP. IV.

PUeri expositi habeant hospitale ubi nutriantur; quibus sunt certæ matres, eos ipsæ usque ad sextum annum enutrient, postea transferantur ad publicam scholam, in qua litteras et mores discant, inibi alantur.

Civilis educatio.

Huic scholæ præsent viri, quantum fieri poterit, urbanè ac ingenuè educati, qui mores suos in rudem scholam transfundant, nam pauperum filiis a nulla re est majus periculum, quàm a vili, et sordida, et incivili educatione; in ejusmodi magistris accersendis, magistratus ne sumptibus parcant; magnam rem præstabunt civitati cui præsent exigua expensa.

Sobrie discant vivere, sed mundè ac purè, et esse contenti parvo; ab omnibus arceantur voluptatibus; nec deliciis aut ingluviei consuescant, neu gulæ sint mancipati, cui quum deest quod ex libito suppeditetur, discusso pudore omni, mendicant, quod videmus a quibusdam fieri, simul primum deest vel sinapis, aut quid simile.

Nec solum discant legere et scribere, sed in primis pietatem christianam, et rectas opiniones de rebus.

Puellæ.

Idem dictum sit mihi de puellarum schola, in qua tradantur prima litterarum rudimenta, et si qua est litteris idonea et dedita, sinatur aliquanto progredi longius, modo spectent omnia ad meliores mores; discant rectas opiniones, et pietatem; tum nere, suere, texere, acu pingere, peritiam culinæ, et rei fa-

familiaris, modestiam, sobrietatem, comitatem, pudorem, et primum omnium tueri castitatem, persuasæ hoc esse unicum feminarum bonum.

Postea ex pueris, aptissimi quique ad litteras retineantur in schola, futuri aliorum magistri, et seminarium deinceps sacerdotum; reliqui transeant ad opificia, ut cujusque fuerit animi pronitas.

CENSORES ET CENSURA.

CAP. V.

CReentur ex Senatu per singulos annos Censores bini, gravissimi viri, et probitate spectatissima, qui in vitam et mores pauperum inquirent, puerorum, juvenum, senum; pueri quid agant, quid proficiant, quibus sint moribus; qua indole, qua spe, et si qui peccent, quorum culpa; omnia corrigantur.

Juvenes, et senes, an juxta leges de se latas vivant; in vetulas accuratissimè inquirent, primarias artifices lenocinii et veneficii; quàm omnes parcè et sobriè vitam degant; castigentur, qui ludos aleatorios, qui vinarias aut cervisiarias tabernas frequentant; si non prosit una atque altera objurgatio, animadvertatur in eos.

Pœnæ statuendæ, ut in unaquaque civitate visum fuerit iis, qui in ea plurimum pollent prudentia, non enim eadem omnibus locis aut temporibus congruunt, et alii aliis magis moventur.

Diligenter cavendum a fraude hominum otiosorum et segnium, ne fallant.

Vellem etiam, ut iidem censores de juventute et filiis divitum cognoscerent; esset hoc civitati utilissimum, si cogerent eos rationem magistratibus tamquam patribus reddere quemadmodum, quibus artibus, atque occupationibus, tempus dispen-
sent; major esset eleemosyna hæc, quàm multa florenorum millia ege-

Censores juventutis filiorum divitum.

egenis erogare: (a) erat hoc olim censoria dignitate apud Romanos, et Areopagitica apud Athenienses provisum, sed obsolescente integritate veterum morum, a Justiniano Cæsare renovatum est in collatione de Quæstore, qua jubetur, ut de omnibus tam sacris, quàm profanis personis, quacunque conditione et fortuna, inquiratur, qui sint, unde venerint, qua de causa: eadem lex neminem patitur otiosum degere.

DE PECUNIA QUAE HIS SUMTIBUS

SUFFICIAT.

CAP. VI.

Belle quidem tu hæc, dicet aliquis, sed unde facultates ad ea omnia? ego vero tantum abest ut defuturas credam, ut etiam superfuturas liquido videam, non modo ut quōtidianis illis necessitatibus, sed etiam extraordinariis subveniri queat, cujusmodi passim in singulis civitatibus permultæ accidunt.

Olim quidem cum adhuc ferveret sanguis Christi, omnes projeciebant opes suas ad pedes Apostolorum, ut ipsi juxta necessitates uniuscujusque distribuerent; eam curam deinceps repudiarent Apostoli tamquam se indignam, quippe decebat magis eos concionari, docere evangelium, quàm pecuniis vel corrogandis vel erogandis occupari, itaque id munus Diaconis mandatum; nec isti quidem retinuerunt diu; tantum erat studium docendi, evehendi pietatem, properandi ad æterna illa bona per pulchram mortem; itaque de collectitia pecunia profani ex christianismo egenis suppeditabant quod cuique erat opus; gliscen-

(a) *Erat hoc olim censoria dignitate apud Romanos, et Areopagitica apud Athenienses provisum.* Censores, ut inquit Varro quarto de lingua latina, erant ad quorum censionem, hoc est, arbitrium, censeretur populus; Areopagitæ vero judices erant Athenis in pago et vico Martis; nam, ut inquit Divus Aug. de Civitate Dei lib. 18. cap. 10. Areopagus putatur nomen accepisse, quod Mars, qui Græcis Ares dicitur, quum homicidii causam diceret, judicantibus duodecim Diis in illo Pago, sententiis sex de eo absolutus est, et sex damnatus; verum in paribus suffragiis absolutio damnationi prælata est; locus hinc dictus, Areopagus, quasi Martis pagus, inde Areopagitæ, qui præerant etiam moribus civitatis, ut declarat Isocrates in Areopagitico.

cente vero christiano populo, multis admissis non admodum probis, cœptum est ab aliquibus administrari negotium haud bona fide; Episcopi et sacerdotes caritate pauperum opes illas ad sublevandos inopes collatas iterum in suam curam receperunt, (a) nihil enim eo tempore non credebatur Episcopis, viris probitatis ac fidei exploratæ, et percognitæ, quam rem Joannes Chrysostomus quodam loco refert; postmodum refrixit magis ac magis fervor ille cruoris Christi, et spiritus Domini communicatus est paucioribus; cœpit ecclesia mundum æmulari, et cum eo pompa, fastu, luxu certare; (b) jam Hieronymus conqueritur præsidēs provinciarum lautius in monasterio cœnare, quàm in palatio; ad eos sumtus opus erat grandi pecunia; ita, quod pauperum fuerat, in rem et facultates suas Episcopi et presbyteri verterunt; utinam tangeret eos Spiritus Dei, et ad memoriam reducerent, unde habent, a quibus data, qua mente, et recordarentur se ex substantia impotentium potentes esse.

Eorum munus est, docere, consolari, corrigere, quantum ad animos, tum corpora sanare, (quod facerent, si tam Christo fiderent, quàm volunt alios fidere ad sua commoda; sed hoc commune est malum; unusquisque nostrum, bonitatis, quam ipse non præstat, severus est ab alio exactor) egenis de suo etiam minimo succurrere, Pauli exemplo, in summa, perfectissimum esse in caritate, ut omnia omnibus fiat, nec humilitatem despiciat, quin ad eum se demittat, ut prosit, nec altitudini cedat per verbum Christi, ut ædificet: hi et Abbates, et alii ecclesiastici præfecti, si vellent, maximam egenorum partem sublevarent magnitudine proventuum; si nolunt, Christus erit vindex;

(a) *Nil enim eo tempore non credebatur Episcopis; quam rem Joannes Chrysostomus quodam in loco refert.* Et si fortassis Vives de alio loquitur loco, satis tamen istud potest intelligi ex verbis Chrysostomi in epist. priorum ad Timoth. homil. 14. Nam loquens de lotionem pedum pauperum: Noli, inquit, Præsuli provinciæ ista tribuere partienda: quasi intelligat omnia solere tribui partienda Episcopis: ac subdit; ipsa potius ministra (loquitur enim sanctæ viduæ) ne solius impendii, verum obsequii percipias præmium; propriis ergo manibus tu sulcum sere pietatis.

(b) *Jam Hieronymus conqueritur præsidēs provinciarum.* Ita scribit ad Nepotianum de Vita clericorum: Turpe est ante fores Sacerdotis Christi crucifixi et pauperis, et qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores consulum, et milites excubare, judicemque provinciæ melius apud te prænderè, quam in palatio.

dex; vitandus semper tumultus, et civilis discordia, majus malum quàm sit pauperum pecunias detineri, nec enim ulla, quamlibet ingens, pecunia debet esse christianis tanti, ut propter illam arma induantur; omnino serviendum est publicæ tranquillitati, quam Christus præcepit, et Paulus magistrum secutus; nec pauperes id debent optare ut tumultus in civitate ullus existat, quo sit ipsis prospectum, cum eos deceat esse mortuos seculo, incumbentes noctes et dies in cogitationem finis peregrinationis hujus ad portum et patriam illam, in qua audiant: *Lazarus recepit mala in vita sua, ideo nunc recreatur, et reficitur.*

Ergo proventus hospitalium annui redigantur ad summam, nec dubium, quin attributo opere quod agant quibus adsint vires, non solum eis, qui in hospitalibus vivunt, redditus sufficient, sed etiam impartiri ex eis poterit externis; nam opes hospitalium in unoquoque oppido dicuntur mihi esse tantæ, ut si recte dispensentur, abunde sit subveniendis omnibus civium necessitatibus, et ordinariis, et subitis ac extraordinariis.

Hospitalia ditia tenuioribus impartiant de superfluo suo; quòd si nec tenuiora indigeant, dentur supervacua illa egenis occultis; nec solum caritas Christi sic per universam se se civitatem diffundat, ut totam eam velut domum quandam efficiat concordem, et bene inter se consentientem, ac unumquemque omnibus amicum, sed etiam foras exeat, et totum christianum orbem complectatur, fiatque quod inter Apostolos fuisse legimus: *Multitudinis credentium erat cor unum, et anima una; nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; verum erant illis omnia communia, nec quisquam egens erat inter illos*: itaque et hospitalia locupletia, et viri opulenti, quum jam in suis civitatibus deessent cum quibus copias suas communicarent, æquum esset ut ad vicinas, etiam longinquas, mitterent, ubi indigentia essent majores: hoc est vere christianis faciendum: hospitalibus singulis bini suffragiis Senatus assignentur curatores, viri spectati, et in quibus multum valeat respectus Dei; hi quotannis rationem reddant Senatui administrationis suæ; si placeat fides, continuetur eis munus; sin aliter, creentur novi.

Tum unusquisque moriens, aliquid pro facultatibus solet

Caritas omnia complectitur.

legare pauperibus; exhortandus est ut pompæ funeris jubeat detrahi quod egenis prosit; hoc gratius apud Dominum funus, nec ad homines inglorium; sed migraturis e vita, nulla debet esse gloriæ cura, vel laudis, nisi a Deo: (a) et in funere visceratio præbetur, et distribuitur panis, addita pecunia, aut aliis rebus, per tesseram; quam quidem convenit esse liberam in primis exequiis, et post annum vertentem, iis qui res defuncti curant.

Deinceps, ecclesiæ relictâ, cognoscant præfecti eleemosynis quemadmodum distribuatur, ne illis detur qui minimè egent.

Si hæc omnia non sufficiunt, proponantur arculæ in tribus aut quatuor præcipuis templis oppidi et in quibus sit maxima frequentia, in quas quisque quantum suaserit devotio injiciat; nemo erit qui non malit decem stuferos illic collocare, quàm in mendicis circumvagantibus minutas duas: sed ne singulis hebdomadibus proponantur arculæ, nisi cum indigentia compellet.

Hisce arculis præsent bini honesti ac probi viri, non tam divites quàm, quod in ejusmodi muneribus ante omnia spectandum est, animo minimè rapaci vel sordido, electi a Senatu.

Nec colligatur quantum poterit, sed quantum sufficiet in singulas hebdomadas ad summum, plus paullo, ne illi assuescant grandem pecuniam tractare, ne idem eis contingat quod quibusdam ex iis quibus demandatur cura hospitalium; quid hic fiat nescio, nec scrutor, studiis meis intentus, sed in Hispania fando, de majoribus natu audiebam esse multos qui censibus hospitalium domos suas in immensum auxissent, dum se ac suos pro pauperibus alerent, ædes suas frequentes familia facerent, hospitalia pauperibus infrequentia; hæc ex opportunitate promptæ pecuniæ tam numerosæ.

Quocirca nec redditus posthac emanantur pauperibus; nam hoc prætextu pecunia apud rectores hospitalis detinetur, et interea dum redditui colligitur pecunia, dum asservatur quoad emere

Reditus non emendi.

Tom. IV.

Ppp

li-

(a) *Et in funere visceratio.* Visceratio distributio est carnum, dicamus etiam ovorum, hælæcum, butyri et similia rerum.

liceat, pauper fame et miseria contabescit, ac perit.

Pecunia necessaria.

Quod si magnus pecuniæ numerus apud eos sit, qui elemosynis publicitus præsent, detrahatur, ut paullo ante dixi, quod et mittatur indigentioribus locis; nam ingens pecuniæ vis ita cupiditatem sui auget, ut eam tractantes ægrius ferant quicquam ex illa impartiri, quàm de modica summa: necessaria vero asservetur penes Senatam jurejurando et diris atque imprecationibus consecrata, ne in alium usum vertatur; et expendatur ad primam occasionem, ne mos sit quicquam habere diu reconditum; nunquam enim deerunt qui indigeant, juxta prædictionem Domini: *Pauperes semper habebitis vobiscum.*

Providendum, ne aliquando Sacerdotes, obtentu pietatis et Missarum, vertant pecuniam in rem suam; satis est eis prospectum; non egent pluribus.

Si non suffecerint aliquando elemosynæ, adæantur locupletes viri, et rogentur, ut adjuvent pauperes quos sic Deus commendavit, ut saltem mutuent quod sit opus; idque eis postea, si ita velint, abundante magis elemosyna, bona fide repræsentetur.

(a) Tum civitas ipsa detrahat aliquid publicis sumtibus, velut solemnibus epulis, xeniis, lautitiis, congiariis, annuis ludis, et pompis, quæ omnia ad voluptatem, aut superbiam, aut ambitionem, faciunt; nec dubito, quin Princeps æquo animo, seu verius læto, acciperet minore apparatu excipi se, modo sciret quos in usus expenderetur ea pecunia, quæ profundi in ejus adventum sit moris; quod si non boni consuleret, profecto pueriliter esset ac stulte ambitiosus, vel ineptus: sin vero civitas hoc nolit facere, certe mutuet quod postmodum recipiat majore elemosynarum proventu. Omnino elemosyna libera sit, quemadmodum Paulus inquit: *Unusquisque sicut destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: nemo enim cogendus est*

(a) Tum civitas ipsa detrahat aliquid publicis sumtibus, velut solemnibus epulis, xeniis, lautitiis, congiariis. Solemnes epulae, sunt illæ anniversariæ, quæ solent a Magistratibus publico nomine exhiberi; Xenia sunt munera quæ hospitibus mitruntur, a Xenos Græca dictione, Latinis hospes dicta; quæ vero Legatis exterarum gentium, lautia; quæ subditis autem amicis donantur, congiaria dicuntur.

est benefacere, alioqui hoc nomen perit: hæc omnia indubiè etiam redundabunt: verum in tam pio negotio non sunt humanæ vires expendendæ, sed solum divinis confidendum; aderit Dei benignitas sanctis conatibus; hæc multiplicabit et divitibus ea ex quibus elemosynas largiuntur, et pauperibus elemosynas verecundè petitas, piè acceptas, sobriè distributas; omnibus enim prospicit Dominus: *Cujus est terra et plenitudo ejus:* ille abundanter creat omnia ad usus nostros: tantum a nobis reposit promptam, et veram voluntatem, et affectum pro tam immensis beneficiis gratum.

Exemplis declaratum hominibus est quàm plurimis, cœptum esse a quibusdam sanctum opus, cum nonnulla eorum sollicitudine, ac etiam desperatione, non suffecturas facultates viresque quæ in id essent provisæ, sed opere procedente, ita rem esse auctam, ut iidem illi qui negotio præfuisent, cogentur admirari; per quosnam occultos meatus incrementa illa essent submissa! experimentum unum pro innumeris ex vestra pauperum puerorum schola recordamini, quam annos abhinc decem iis initiis inchoaveritis, ut duodeviginti dumtaxat pueri illic sustentarentur, et subverebamini ne non suppeteret unde possetis institutum hoc retinere; nunc centum plus minus sustentantur affluentibus facultatibus, ut supersint etiam pluribus alendis, et quum extraordinarii superveniunt, non desit quod edant, scilicet largitate Dei universa sustentantur, aluntur, vivunt, consistunt, non opibus, non ope propria, non consiliis humanis: quocirca, in piis rebus aggrediendis, nefas est considerare quid possis, sed quantum fidas ei qui potest omnia.

Pauperes ipsi qui non laborant, discant non multa habere in longum tempus provisæ, unde crescit securitas, minuitur erga Deum fiducia; non humanis præsiis fidant, sed Christi solo, qui adhortatus est nos ut curam alendi nostri ad se, et Patrem suum, remittamus, qui ea pascit, ac vestit, quæ nec serunt, nec metunt, neque texunt, neque nent: agant velut angelicam quandam vitam, intenti precibus, pro se primum, hinc pro salute eorum a quibus fuerint adjuti, ut Dominus Jesus dignetur eis retribuere centuplum illud in illis sempiternis bonis.

DE IIS QUI, VEL SUBITA ALIQUA,

VEL OCCULTA NECESSITATE URGENTUR.

CAP. VII.

Nec succurrendum modo pauperibus, qui iis carent quæ in diem ad vitam pertinent, sed illis etiam, quibus subitus aliquis casus ingruit, velut captivitas in bello, carcer ob debita, incendium, naufragium, eluvies, multa morborum genera, denique innumera fortuita, quæ honestas affligunt domos; his accedunt puellæ tenues, quas sæpenumero inopia ad abutendum pudore adigit: enimvero ferendum non est, in civitate, non dicam christiana, sed nec gentilitia, modo humano vivatur more, cum alii ita diffluant opibus, ut aliquot aureorum millia in sepulcrum, aut turrim, aut vanum ædificium, aut epulum, aut munus publicum effundant, propter quinquaginta aut centum florenos periclitari pudicitiam virginis, salutem et vitam honesti hominis, virum cogi deserere uxorem, et parvos liberos: tum et captivi redimendi, quod etiam inter præclara beneficia a veteribus philosophis memoratum est, ut Aristotele, Cicerone, et aliis; sed prima habenda eorum ratio, qui duram servitutem apud hostes perferunt, quales sunt christiani in potestate Agarenorum, qui quotidie de defectione a fide periclitantur; hinc negotiatorum, et qui inermes pervenerunt in manus hostium, armatis enim ultima debetur miseratio, qui aliis causa sunt tot malorum; ex clausis carcere, primi sint illi, qui casu magis quàm sua culpa devenerunt in paupertatem ut solvendo non sint, hinc qui diutinè detenti sunt in custodia.

Ejus vero, qui aliquando felix fuerit, nec turpi sua culpa factus sit miser, vehementer miserendum, sive admonitu communis sortis, et tamquam exempli cujusdam aliorum, sive quod is duriores experitur miseriam, cui aliquis remanet felicitatis sensus.

Nec expectandum dum ingenuè educati necessitates suas exponant; diligenter sunt subodorandæ, et eis clam succurrendum; quod

quod cum alios permultos fecisse, memoriæ proditum est, tum (a) Arcesilaum, qui pulvino dormientis amici, et pauperis, et ægri, et utrumque præ verecundia dissimulantis, grandem auri summam supposuit, ut expectatus inveniret quo juvaretur sine damno verecundiæ; videlicet, providendum est ne pudicè ac liberaliter instituti, dum beneficio juvantur, suffundantur pudore, qui illis esse gravior solet, quàm beneficium vel utile, vel gratum.

Iidem illi, quibus parœciarum curam delegavimus, occultas istas necessitates investigabunt, et ad Senarum ac locupletes homines perferent tacitis nominibus, quousque subvenietur; nam præstabit illis ipsis indigentibus coràm benefieri, tum ut sciant quibus sint habituri gratiam, nec ulla sit utrinque suspicio, tamquam ii per quos sit datum, aliquid de munere interverterint; nisi tanta sit egeni dignitas ut in illud pudoris discrimen adduci non debeat.

Ergo, subjiciet quispiam, si his quoque succurrendum, nullus erit finis dandi? ecquid potest cogitari beatius, quàm nullum esse benefaciendi modum? Rem atrocem dixisti; putabam te conquesturum defuturos aliquando, in quos sis misericors: debes quidem optare, aliorum causa, ne quis sit qui aliena ope indigeat, sed tua, ut nunquam desit tibi materia tanti lucri, quo æterna pro perituris, et iis, quæ variis sunt casibus obnoxia, commutes.

Hæc quidem videntur mihi hac occasione rerum faciendæ; fortasse non expediet omnia, sicut a nobis præscripta sunt, in quaque civitate, et omni tempore, servari; id prudentes ex unoquoque populo viderint, et suæ civitati pietate patriæ rectè consulant; finem certè, et mentem, et scopum eundem præstitui, credo quod semper et omni loco expediet, ac oportebit: quod si non omnia eodem conducet agi tempore, quòd re-

Benefacere
beatissimumModeratio
dictorum.

(a) Tum Arcesilaum, qui pulvino dormientis amici et pauperis. Seneca lib. de benefi. 2. Arcesilaus, inquit, amico pauperi, et paupertatem suam dissimulanti, ægro autem, et ne hoc quidem contenti deesse sibi in sumtum ad necessarios usus; quum clam succurrendum judicasset, pulvino ejus ignorantis sacculum subjecit, ut homo, inutiliter verecundus, quod desiderabat inveniret potius quam acciperet, hæc Seneca.

recepta consuetudo fortassis novationi obstabit, licebit uti arte, et initio faciliora induci, deinceps sensim quæ difficiliora existimabuntur.

DE IIS QUI NOVAS HAS CONSTITUTIONES

IMPROBABUNT.

CAP. VIII.

ET quamvis virtus ipsa pulcherrima sit ex se se atque expendenda, habet tamen non paucos hostes, qui specie ac probitate illius vehementer offenduntur, tum quòd moribus ac deliciis ipsorum aspera et infensa est; sic mundus pugnavit semper et pugnavit cum lege Christi, cujus fulgorem tenebræ illæ et vitiosi oculi ferre ac perpeti non possunt; ita in proposito negotio, etsi, quemadmodum quivis, modo non iniquus censor, facile judicabit, eò spectent omnia, ut subveniatur necessitatibus hominum, sublevantur miseri, tamen in tanta humanitate non deerunt qui vel calumniantur aliquid, vel certe moleste ferant; quidam enim, cum nihil audiunt aliud quàm tolli pauperes, existimant pelli eos, clamant inhumanum factum, miseros homines sic ejici; quasi vero nos expellamus, aut id agamus, ut sint miseriores; non hæc nostra est mens, sed ut eximantur e miseria, e luctu, et calamitate illa sua perpetua, ut habeantur pro hominibus, et digni sint misericordia: sunt qui volunt Theologi videri, idcirco aliquid ex evangelio adducunt, nihil interest quam ad rem, prædixisse Christum, Dominum, et Deum nostrum: *Pauperes semper habebitis vobiscum*: quid jam? num non etiam prædixit futura scandala? et Paulus, fore hæreses? ne subveniamus igitur pauperibus, nec offendicula vitemus, nec resistamus hæresibus, ne illi mentiti videantur; dii, meliora! non prædixit Christus pauperes semper nobiscum futuros, quòd id ipse vellet, nec scandala eventura, quòd ei placerent, quippe nihil commendavit nobis accuratius, quàm auxilium inopum, et illum execratur, qui offensionem causam præbuerit; sed et imbecillitatem nostram no-

ve-

verat, qua ad paupertatem devolvimur, et malitiam, qua non statim lapsum erigimus, sed jacere et contabescere patimur; idcirco pauperes semper nos habituros prænuntiat; eadem causa de offensionibus; et ex hæresibus Paulus, quas ex corrupta hominum natura, multisque contemnerata vitiis nascituras sciebat, et tamen eundem obviam voluit quum exorirentur, ut ad Titum: *Potens sit Episcopus doctrina sana et eos qui contradicunt arguere*: ergo istis prædictionibus non sic jubet nos Christus agere, sed videt acturos; ita et hæc nostra consilia non tollunt pauperes, sed sublevant, non impediunt quo minus aliquis sit pauper, sed ne diu sit, porrecta ilico manu ut assurgat.

Vellem in totum efficere possemus ne ulli essent in hac civitate pauperes; non metuerem periculum ne falsum Christus dixisse putaretur; essent abunde multi in aliis: nec solum pauperes sunt qui carent pecunia, sed quicumque vel viribus corporis, vel sanitate, vel ingenio, et judicio, sicut a nobis initio operis explicatum est; adde, quod nec minus dicendus est pauper etiam pecunia, cui vel in hospitali, vel in casula sua, tenuis victus suggeritur, non ipsius vel industria vel opere quæsitus, sed alieno prorsus beneficio: jam vero utri faciunt inhumanius, qui pauperes in illis suis sordibus, squalore, vitiis, flagitiis, impudentia, impudicitia, ignorantia, dementia, calamitate, miseria volunt computrescere? an qui viam excogitant, qua eos, illinc ereptos, ad civiliorum, et puriorum, et sapientiorum vitam traducant cum tanto lucro tot hominum inutilium ac perditorum? itaque agimus nos, sicut ars medica, quæ non adimit morbos hominum generi, sed quoad ejus fieri potest, sanat: utinam lex Christi in animis et pectoribus nostris valeret; utique efficacior esset quàm medicinæ cognitio; perficeret hæc ne ulli essent inter nos pauperes, sicut nec fuerunt nascente ecclesia quemadmodum narratur a Luca in Actis Apostolorum, nec essent scandala, nec hæreses; sed quia prægravabunt nostra scelera, et homines non tam corde, et actionibus vitæ, christianum nomen profitebuntur, quàm ore; idcirco nunquam pauperes, offensiones, hæreses deerunt: erunt fortasse nonnulli, cujusmodi in publicis consiliis esse solent, qui quo

Pauper quis.

ha-

habeantur sapientiores, magnamque ex ea opinione auctoritatem sibi concilient, nihil probant nisi quod a se sit profectum; hi male profecto sentiunt non solum de hominibus, sed etiam de Deo ipso, qui vel credunt, vel aliis volunt esse persuasum, illum in aliis suis partibus effectum, in ipsis effudisse vires omnes ingenii, iudicii, prudentiæ; ejusmodi Job irridens, inquit: *Ergo vos estis soli homines, et vobiscum morietur sapientia?* equidem haud abnuerim esse aliquos, qui tantum ingenio, et dexteritate, atque acrimonia quadam iudicii valent, ut cogitando, et meditando, extundant quæ fere nullus alius; sed propterea existimare optimum quod ex te natum, id vero hominis est nimium arrogantis, etiam, (a) sicut Terentius dicit, imperiti: (1)

Qui nihil nisi quod ipse faciat, recte factum iudicet.

Sed duo genera hominum existimo habituros nos infensissima, alterum ex his ipsis ad quos universus benignitatis huius fructus perventurus est, alterum eorum qui administratione pecuniarum submoventur; sunt enim qui consuefacti sordibus, et obscena illa sua miseria, educi se ex ea ferant ægerrime, detenti dulcedine quadam inertis desidiæ, dum agere, laborare, industrios, et frugales esse gravius morte ducunt: O dura in his conditio benefaciendi, quum hominum flagitia beneficium in injuriam convertant! quid odiosius, quam beneficium superbe accipere tamquam si lædaris, et damnum interpretari? hoc vitium simillimum est illi Judæorum, qui auctorem vitæ quod benefaceret, juvaret, sanitatem, salutem, lucem afferret, persecuti sunt morte, et ignominia affecerunt pro effusissima beneficentia in omnes quotquot uti vellent; sed ut illi superbia, arrogantia, ambitione, avaritia immersi, contumeliam arbitrabantur ab his tam sævis dominis liberari, sic isti sordibus, pædore, impudentia, desidia, flagitiis obruti, in servitutem se pertrahi existimant si in meliorem conditionem evehantur; verum

(a) Sicut Terentius dicit, imperiti; *Qui nihil nisi quod ipse faciat, recte factum iudicet.* Vox est Mitionis in Adelphis castigantis Demæ fratris immodicam severitatem; Homine, inquit, imperito numquam quidquam injustius, qui nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

(1) Adelphi Act. I. Scen. II. v. 19.

rum Christum ipsum æmulabimur, quem a benefaciendo ingratitude eorum non deterruit qui accipiebant utilitates; nec considerandum quid velit quis accipere, sed quid debeat; non quid ipsi placeat, sed quid expediat; agnoscent beneficium quum redierit melior mens: tunc dicent: Senatus Brugensis nos servavit invitos: quibus si indulgeatis, et obsecundetis eorum desideriis, si quando vel ad temporis punctum oculos ac mentem recipiant, dicent indubie: Senatus nos amando occidit: quod de patre queritur unusquisque filius nimis indulgenter habitus; tum oderunt eos a quibus in perniciem suam adjuti sunt; sed ne sit ita, faciamus quod prudentes medici in furentes ægros, quod sapientes patres in pravos liberos, ut commoda illorum adjuvemus repugnantium et reclamantium: denique rectoris Reipublicæ officium est, sollicitum non esse quid unus, aut alter, aut certe pauci, de legibus et administratione sentiant, modo totius civitatis corpori in commune sit consultum; leges enim etiam malis utiles sunt, vel ut corrigantur, vel ne diu malefaciant: at vero qui pecunias pauperum tractabant, eripi sibi id munus moleste ferent; verba grandia, quæ augendæ atrocitatis causa conquiruntur, hæc et ejusmodi esse solent: non esse attingenda tot annorum approbatione confirmata; periculosum esse mores novari; statuta conditorum non mutanda; ruitura protinus omnia.

Leges utiles

Quibus nos opponemus: primum, quæ pravi mores confirmarunt, cur non infirmant boni? in illam porro disputationem descendere non audebunt: utrum præstet quod nos conamur inducere, an quod ipsi retinere? jam si nihil est mutandum, cur ipsi primos a conditoribus relictos mores paulatim adeo immutarunt, ut hos pugnare cum illis appareat? evolvantur acta, interrogetur senum memoria, reperietur quantum hæc administrandi ratio ab illa distet, quæ erat novo opere, vivente adhuc conditore, aut paullum ante vitâ functo; nos hic eos tenemus medios; nolumus mutari primam institutionem; non patimur institutoris voluntatem irritam fieri, quæ in testamento omni prima, immo sola spectatur; de prima constitutione constat ex actis, et memoria multorum; at de voluntate, quis

Mores.

non videt viros illos pecunias et annuos redditus legasse, quibus non explerentur divites, sed sustentarentur pauperes, oraturi pro anima defuncti ut a peccatis vitæ soluta et pura in sedes illas cœlestes a Deo recipiatur? quod si multum isti in contrarium tendant, nimirum manifesti fient, suam se rem atque utilitatem tueri, non pauperum; quum nos pauperum curam susceperimus, et tamen ipsi adversantur, quid tandem spectant? si se, avaritiæ convincuntur, et declarant sibi illa administrasse, non pauperibus; nec avaritia hæc turpis tantum est, sed pernitiosa et detestanda; nam quum eripere aliquid diviti crimen sit, quantum nefas judicabitur pauperi subtrahere? in furto enim diviti aufertur pecunia, pauperi vita; sin respiciunt pauperes, Senatus vult illis prolixius subveniri, an eorum interest per quos fiat, modo fiat, et quidem rectissime, sicut de Senatu fidei jam olim perspectissimæ confidendum est? *Prædicetur Christus*, inquit Paulus, *quomodo, mea nihil refert, prædicetur modo*: at per se id vellent fieri; si Deum intuentur, voluntate satisfaciunt; sin homines, ambitio deprehensa est; an etiam queri audebunt, quod vos eorum vel ambitionis, vel avaritiæ, ministros, vos ipsos non præbetis? aut tacite non obsequimini? prætereo cetera, quæ hoc loco possent dici si quis eorum per tot annos administrationem excuteret; (a) sed camarinam hanc non attingam, nec agitabo cœnum istud; neque vero exiguum illis erit decus, non restitisse, non mordicus retinuisse creditam et depositam apud se pecuniam, fuisse miserorum negotio, et se adjunxisse consensui civitatis, et tam esse amicos publici decoris, ut illud suum quoque privatum esse ducant.

NI-

(a) *Sed camarinam hanc non attingam.* Adagium est natum a Palude juxta urbem ejusdem nominis in Sicilia sita, quæ quum olim pestilentiam foetore excitasset, consultus Apollo, an præstaret exsiccare? jussit non moveri Camarinam, at illi exsicaverunt, non obtemperantes oraculo, et per eam, cessata quidem pestilentia, hostes intrarunt; hinc natum adagium: Movere Camarinam est malum sibi accersere, vel cœnum contingere admodum foetidum.

NIHIL DEBERE OBSISTERE QUO MINUS

HÆC, QUÆ DIXIMUS, FIANT.

CAP. IX.

MULTA sunt a gentilibus in omni genere virtutis, quum dicta præclare, tum facta graviter et cum dignitate, sed nihil tam constanter, tam fortiter, tam imitatione dignum, quàm quum sic visceribus eorum, patriæ pietas, et in cives suos caritas, affixa hæreret, ut rumores, iniquas interpretationes, maledicta, convicia suorum æquis animis exciperent ac perferrent, nec propter illa vel pilo dimoverentur a suscepto consilio patriæ juvanda, quum ea consilia ipsi reprehenderent et damnarent, qui potissimum juvabantur, (a) in hoc numero præcipui sunt, Miltiades, Themistocles, Scipio, sed in primis duo, Epaminundas Thebanus, et Q. Fabius Maximus Romæ, qui quum Annibalem cerneret non vi, sed mora posse frangi, cunctando bellum trahebat, id solum ad victoriam salutare intelligens; hoc ejus factum multi otiosi, aut callide pugnaces homines, ita criminati sunt, tamquam vel pactione cum Annibale id ageret, vel ambitione ut diutius esset in imperio et summo magistratu, vel ignavia, et metu, ut tentarint imperium Fabio abrogare; certe illi dictatori Minucius Magister equitum jussu populi æquatus est, quod nunquam fando fuerat auditum; senex, invictus a calumnia et stultitia suorum, perstitit in incepto, et salutem populo suo attulit, quem Annibal indubie cepisset, nisi artes

Patriæ caritas.

Qqq 2

obs-

(a) *In hoc numero sunt, Miltiades, Themistocles, Scipio, sed in primis duo, Epaminundas Thebanus, et Q. Fabius Maximus.* Miltiades quum pro parta victoria coronam in Senatu peteret, obstitit Sothares, et palam exclamavit: O Miltiades! quum solus viceris, solus coronaberis; passus est quoque se accusari et damnari Valerius Maximus: Themistocles vero postquam navali pugna Xerxem vicit, et patriam atque universam Græciam a Barbarorum imperio liberavit, invidiæ cessit, et decennali exilio mulctatus est; Athenienses nihil causæ prætexerunt, quam ne gloria fieret elatior: Scipio, ut inquit Livius, ingrata patriæ cessit ex ea facessens, quam totius Africæ dominam fecerat, nihil e tantis victoriis et hostium spoliis quam Africani agnomen secum refereas: Epaminundas ut scribit Æmilius Probus, injurias, quæ sibi a suis civibus fierent, noluit ulcisci, metuens ne dum inimicos cives persequitur, patriam læderet; nam quid aliud est civitas, quàm cives, et Respublica, ut inquit ex Varrone Divus Augustinus, quam res populi?

obstitissent Q. Fabii: eventus declaravit quanto vir ille esset animo, qua prudentia, quo amore in patriam et cives, ut confessione omnium celebrati sint illi de eo versiculi, vetusti quidem et rudes, sed magnifici cum primis elogii et præstantissimi: (1)

*Unus homo nobis cunctando restituit rem,
Nam non ponebat rumores ante salutem:
Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret.*

Hoc et alii ejusdem mentis nullo Dei respectu faciebant, quippe quibus non erat christianus sol exortus, tantum vel educationem, vel famam, vel decus suæ civitatis sequebantur; ino quanto ampliora et præstantiora decet aggredi, unum intuitos Christum, humanis viribus neglectis, atque adeo contemptis et spreis, quibus clarissimus ille sol illuxit, qui illius doctrina sumus edocti, quibus commendata et jussa caritas, tanto supplicio, si omiserimus, proposito, aut præmio, si erimus executi; hoc futura mercede ampliore, quo majores molestias in Dei gratiam subierimus! Non ergo approbandum modo consilium hoc, sed capessendum, exequendum, neque enim satis est bene velle, nisi etiam manus operi admoveas quum se præbet occasio; humanis impedimentis non decet eos detineri, quos divina imperia stimulant, et urgent, præsertim quum hæc sequantur et publice et privatim utilitates humanæ ac divinæ.

COMMODA, SI HAEC FIANT, HUMANA

ET DIVINA.

CAP. X.

Decus Civitatis. **D**ecus civitatis ingens, in qua nemo visetur mendicus:

Nam ista mendicorum frequentia arguit et in privatis malitiam ac inhumanitatem, et in magistratibus negligentiam boni publici.

Furta, flagitia, latrocinia, cædes, capitalia scelera, designabuntur pauciora, rariora lenocinia, et veneficia:

Quan-

(1) Ennius apud Macrob. Saturn. lib. 6. cap. 1.

Quandoquidem mitigabitur inopia, quæ primum ad vitia et turpes mores, tum ad hæc sollicitat ac impellit.

Quies major:

Ubi erit omnibus prospectum.

Concordia ingens:

Quum ditiori non invidet pauperior, quin diligit potius ceu benefactorem, nec ditior tenuiorem aversabitur ut suspectum, immo diligit tamquam sedem beneficii sui, et debitæ gratiæ; natura enim sic fert ut eos amore prosequamur, quos et beneficio; ita gratia gratiam parit.

Tutius, et salubrius, et jucundius erit in templis atque adeo in tota civitate versari:

Non passim ingesta oculis ulcerum et morborum illa fœditate, quam natura exhorret, animus etiam, maxime, humanus ac misericors.

Nec tenuiores cogentur per importunitatem dare, et si quis volet dare, nec multitudine mendicorum deterrebitur, nec metu, ne indigno.

Maximum civitatis lucrum:

Tot civibus factis modestioribus, civilioribus, commodioribus patriæ, quique eam habebunt cariorem, in qua, vel ex qua, sustentantur, nec rebus novis, aut seditioibus, studebunt, tot mulieribus ab impudicitia revocatis, tot puellis a periculo, tot vetulis a maleficio. Pueri et puellæ litteras, religionem, frugalitatem, et vitæ artes docebuntur, quibus probe, ac honeste, ac pie vita traducitur. Omnes denique recipient mentem, sensum, pietatem; versabuntur inter homines educate, civiliter, humano more, puras continebunt manus a flagitiis, recordabuntur Dei vere ac bona fide, erunt homines, erunt, quod nominantur, christiani: quæso, quid aliud est multa hominum millia reddidisse sibi ipsis, et acquisivisse Christo? *Fam divina illa commoda, (a) quod multorum animi religione liberabuntur:* qui quum videant debere se officiis miserationis defungi, non tamen quod jussi sunt præstant, alias indignitate petentium aversi, alias ob multitudinem volunta-

(a) *Quod multorum animi liberabuntur religione.* Religio est quasi percussio quædam, ut ita dicam, conscientiæ; religione liberari, est conscientiam deponere: tam frequens est apud bonos auctores, ut abs re putemus quempiam in hanc rem citare.

Quies.

Concordia.

Salubritas.

Dare.

Lucrum Civitatis.

Pudicitia mulierum. Institutio.

Religio.

tate impedita, ac velut sententiis in diversum tracta, quo primum vel potissimum opem ferant, quum ita multos videant egestate premi, ut ceu desperatione quadam nemini succurrant, quandoquidem intelligunt parum admodum quicquid dederint profuturum, tamquam si magno incendio unam atque alteram aquæ guttulam aspergas: ergo quibus facultates aderunt libentius atque ideo copiosius largientur, læti quod rebus tam rite sancteque constitutis, bono sint loco beneficium posituri, ut simul homines juvent, simul capessant Christi jussa, magnamque proinde apud illum gratiam ineant: nec dubium quin ex aliis quoque civitatibus, quæ non similem in modum res pauperum suæ curæ fecerint, opulenti complures pecunias huc mittent, ubi scient solere optimè dispensari, illisque, qui plurimum egeant, subveniri: his adde, quod tam misericordem populum Dominus peculiariter tuebitur, ac vere beatum faciet: audite quis populus merito possit beatus dici, non cujusvis hominis, sed Prophetæ testimonio: *Erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem, et dextra eorum dextra iniquitatis; quorum filii sicut novellæ plantationes in juventute sua; filie eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi; promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud; oves eorum fetosæ abundantes in egressibus suis; boves eorum crasse; non est ruina maceræ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum; beatum dixerunt populum, cui hæc sunt: beatus populus cujus Dominus Deus ejus. Nec temporalia deerunt commoda exemplo viduæ quæ Eliæ cibum præbuit: idem Psalmista de civitate in qua Dominus inhabitat, canit: Viduæ ejus benedicens benedicam, pauperes ejus saturabo panibus: et alio loco ad eandem civitatem. Posuit fines tuos pacem, et adipe frumenti satiat te.*

Verum omnia superat INCREMENTUM MUTUI AMORIS, quod fiet communicandis ultro et citro beneficiis, candide, ac simpliciter, sine suspitione indignitatis, et hinc PRÆMIUM ILLUD COELESTE, quod paratum esse ostendimus eleemosynis quæ EX CARITATE proficiuntur.

Populus
beatus.

IN-

INDEX RERUM, ET VERBORUM, QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR.

A	
Æthiops sale emto.	343.
Affectibus non rationi lex posita.	359.
Affectuibus hebetari judicium.	318.
Affectus eorumque sedes et origo.	320.
Affectus feminei virilibus æquius ferendi.	322.
Affectus in homine corrigi posse tolli minime.	ibid.
Affectus omnes vincit lucri cupiditas.	239.
Affectus sæpe ex opinionibus nasci.	228.
Affectuum artem multi alios docere volunt cum ipsi nesciunt.	26.
Affectuum humanorum depictor.	228.
Affines quatenus in ducenda uxore spectandi.	340.
erga Affines quomodo se gerere oporteat.	362.
Affinitatis inter alienos instituendæ ratio et usus.	313.
Affinitatis origo et incrementum.	311.
Affinium amor diligenter parandus.	273.
Affinium mores quomodo observandi.	340.
Agaciclis Regis nobilis vox.	30.
Agricultura simplex ac prima ars.	19.
Agrippa Menenius.	285.
Agrippina Neronis.	308.
Agrippinæ Germanici pudicitia.	189.
Agrippinæ Neronis matris stultitia.	262.
Albina Senecæ mater.	81.
Albutii conjugium.	205.
Alcestis ultro ad mortem proficitur.	185.
Alcumenæ ad Amphitryonem verba.	213.
Alexandri Magni vestis.	75.
Alimento exiguo quidam contenti.	98.
Alimento quid indigeant Sancti.	ibid.
	Al-
A Bacuch Danieli cibum defert.	98.
Acastus Peliaæ filius.	185.
Achilles culinam curat.	76.
Achillis humanitas.	ibid.
Actia Augusti mater.	72.
Actiones suas nemo celare debet.	248.
Adam uni una Eva data.	309.
Adami et Evæ conjugium quale.	316.
Admonendi tempora observanda.	219.
Admonitio uxoria magnam vim habet.	218.
Adoratores veri.	121.
Adulatores aucupantium ritum induunt.	11.
Adultera qualem malum perperraverit.	179.
Adultera quantum peccet.	181.
Adulteræ amor.	331.
Adulteram lænam discerpi a leone.	223.
Adulterium una repudii ratio.	311.
Adulterum esse in suam uxorem quid.	221.
Ædesiæ Alexandrinæ eruditio.	81.
Ægistum ad occidendum Agamemnonem quid impulerit.	101.
Ægyptia servitus.	373.
Ægyptias mulieres calceis non uti.	110.
Æmulationis in femina usus.	324.
Ænigma de annulo deaurato.	357.
Æqualitate omnium nihil inæqualius in civitate.	386.
Ætas conjungendi qualis observanda.	338.
Ætas in primum vergit.	270.
Ætas in puellis spectanda.	159.
Ætas nostra brevis.	368.

Alma quid significet.	119.	ponitur.	146.
Ama tamquam numquam osurus.	353.	Amor atrox venenum.	147.
Amadisii scripta.	363.	Amor coalescit in conjugio.	170.
Amandi artem quis in præcepta redegerit.	67.	Amor corporum fictus.	154.
Amanti lex non posita.	359.	Amor duorum inter se, optimus.	309.
Amantis agressus.	148.	Amor duplex.	354.
Amantum prius, infelix conjugium.	343.	Amor ex mora vires accipit.	148.
Amare et sapere vix Deo conceditur.	357.	Amor extorqueri non potest, elabi potest.	150.
Amare felicissimum.	347.	Amor geminus.	354.
Amare potentissimum philtrum.	348.	Amor inconsultus.	364.
Amatores quo pacto repulsi.	180.	Amor magister optimus.	209.
Amatoria qui conscripserint.	88.	Amor magnum satellitium.	42.
Amatorum blanditiæ.	343.	Amor majestati conjunctus qualis.	358.
Amici usus in credendis arcanis.	381.	Amor maritalis plurimum obedientiæ et obsequii habet.	189.
Amicitia diuturna inter quos fit.	413.	Amor opes firmissime.	42.
Amicitia ex amore nomen ducit.	326.	Amor præposterus.	316.
Amicitia inter bonos tantum vera.	ibid.	Amor quatenus in potestate nostra.	357.
Amicitia inter inæquales quomodo concilianda, conservandave.	351.	Amor quibus in rebus verus ac perpetuus.	352.
Amicitia nulla firma inter malos.	171.	Amor quid.	356.
Amicitia vitæ sal.	34.	Amor quomodo invalescat.	353.
Amicitia citra iudicium contractæ indurabiles.	316.	Amor verus qualis.	355.
Amicitia nomen dulce.	271.	Amor vires accipit ex mora.	147.
Amicitia plurimum ratio, quatenus a conjugum amore mutuo diversa.	310.	Amor unde oriatur.	326.
Amicitia sedes in animo tantum.	345.	Amore animosos reddi.	350.
Amicitia vinculum.	326.	Amore nihil gratius diis.	348.
Amicitia unde nascantur.	328.	Amorem amore accendi.	360.
Amicitiam ex duobus animis unum reddere.	184.	Amorem amore conciliari.	355.
Amicitiarum finis.	348.	Amorem nihil cogere.	146.
in Amicitia non expectanda comoda.	347.	Amores inepti cavendi.	357.
Amicus alter ipse.	351.	Amores quos conjungunt in matrimonio, dolores exercent.	344.
Amicus qualis sit, quantum referat.	317.	Amores sancti et puri.	153.
Amicus quid.	351.	Amores virginis.	ibid.
Amonis incestus.	135.	Amores unde nascantur.	145.
Amor affectuum omnium potentissimus tyrannus.	359.	Amori votorum summa quæ.	348.
Amor amoris magnes.	41.	in Amoribus initia suavissima.	342.
Amor animi arbitrio sumitur non		Amoribus ut occurrendum.	148.

Amo-

Amoris perversi exempla.	146.	Arcanum feminae nunquam credendum.	138.
Amoris signa non sunt amor.	356.	Arcanum quare feminae credere prohiberetur.	383.
Amorum mala.	145.	Archidamus ob ductam brevis staturæ uxorem mulctatus.	325.
Amorum occasionibus primis resistendum.	147.	Aristides Locrensis filiam tyranno locare noluit.	164.
Amorum ut offerum initia suavissima.	342.	Aristocles Orchomeni tyrannus.	126.
Amphion et Zetus fratres ex Antiopa.	208.	Aristomenis Messenii æquitas.	ibid.
Ancilla ab Ulisse occisa cum proci congressa.	249.	Aristoteles de Poëtica scripsit.	2.
Angela Zabata.	83.	Aristotelis de mulierum cultu sententia.	111.
Angelus unus diabolis universis sapientior.	136.	Aristotelis locus de ætate conjungendi.	338.
Anima ornanda non corpus corumpendum.	219.	Aristoteles œconomica feminae legenda.	369.
Anima Senis.	9.	Arma christianum tractare nefas, et quatenus.	86.
Animalium generatio divinitus instituta.	305.	Arma Ecclesiae.	239.
Animalium epitheta.	4.	Arma puellam nominare dedecus.	85.
Animas defunctorum res nostras cognoscere.	288.	Armillini mundicies.	334.
Animi in homine vis.	317.	Artes manuarum quoque mulieri non ignorandæ.	74.
Animosum amor reddit.	310.	Artes vetustissimæ utilesque rei domesticæ.	74.
Animo majora pericula quam corpori imminent.	31.	Artifices comendi et ornandi sparta pulsati.	106.
Animum cogi non posse.	345.	Artium vitæ quædam fugiendæ.	158.
Animus cujusque quomodo inquirendus et observandus.	327.	Arturi scripta.	363.
Animus ipse homo.	317.	de Arulatore.	358.
Anna Helcanæ uxor.	75.	Asiana luxuria.	110.
Anna Joachim, Mariæ mater.	256.	Assuefactionis vires.	330.
Anna Phanuelis vidua.	290.	Astrologiæ fatuitas.	27.
de Annulo deaurato ænigma.	357.	Astusia ignis.	333.
Antonia minor Octaviæ et M. Antonii filia, Drusi uxor.	294.	Athenæ loquaces.	322.
M. Antonius connubium.	342.	Avaro prodigus heres.	11.
Apologus de Vulpecula.	383.	Auctoritas rerum gerendarum.	41.
Apuleji asinus.	363.	Augusti de mulierum pudicitia conservanda cautio.	374.
Aquæ porum convenire puellis.	97.	D. Augustini locus de affinibus.	313.
Arbitri carmen de odoribus.	108.	D. Augustini sapiens dictum de conscientia.	134.
Arcana aliena non curiose scrutanda.	373.	Augustus filiam et neptes lanificio voluit assuescere.	75.
Arcana an feminis committenda.	383.	Aulæ principum flagitiorum omnium	
in Arcanis committendis quæ expectanda.	382.	Rrr	

nium parentes.	134.	Brassica cuidam puellæ comesta, ut	
Aularum corruptio.	ibid.	fugaret amatorem.	159.
Aulica disciplina.	370.	Brasilla Dirrachina.	127.
Aulicæ feminæ taxantur.	236.	Britaniæ bellum ex feminæ rapru.	306.
Aurelia Cæsaris.	72.	Budæi uxoris laus.	209.
Auriculæ perforatæ taxantur.	106.		
Aurium corruptela.	374.		
Aurium situs et usus.	6.		
C			
		C æcili Plinii uxor.	208.
		Cælestina Lena.	87.
		Caii Sili ob amorem interitus.	146.
		Caja Tanaquil Tarquini uxor.	75.
		Caleni felix conjugium.	81.
		Calumniæ morsui remedium nullum.	62.
		Campanæ mulieris ostentatio opulentia.	257.
		Canicies temporis argumentum, non sapientia.	17.
		Cantiunculæ turpes prohibendæ.	86.
		Caput mentis arx et aula.	6.
		Carnis titillatio periculosa res.	236.
		Caro peccati proclivis in malum.	262.
		Caro una.	175.
		Caroli Cæsaris mater.	76.
		Carolus Magnus.	75.
		Cassandra vates Apollinis ac Junonis.	80.
		Castitas princeps virtus feminæ.	121.
		Castitas quanti facta apud veteres.	91.
		Castitas semper venerabilis est.	93.
		Castitati multa noxia.	99.
		Castitatem in marita majorem requiri quam in cœlibe.	179.
		Catharina Costi Regis filia.	82.
		Catharina Senensis doctra.	ibid.
		Catilinæ in filium atrocitas.	146.
		Cato Uticensis bonus esse, quam videri maluit.	242.
		Catonis ingenium.	19.
		Catonis senis laus.	ibid.
		Catonis uxor non admodum dives.	229.
		Cauni incestus.	135.
		Celantia reprehenditur ob vorum perpetuæ continentia.	180.
		Chironomia et palæstra verus qualis fuerit.	141.
		Chirothecæ cur inventæ.	131.
		in	in

B

B Alnæa communia virorum et mulierum improbantur.	236.
D.Barbara edocra ab Origine Adamantio.	82.
Barcinni populi in Hispania tumultus.	395.
Basia in saltationibus.	142.
Baraviæ mores in mulieribus et viris quales.	387.
Belgicæ mos, tecto capite prodire feminas.	389.
Belgicarum feminarum mos improbandus.	217.
Bella propter feminas suscepta.	306.
Beneficia accipere, est libertatem vendere.	133.
Beneficium uxor marito non exprobrat.	215.
Benevolentia potissimum in officio contineri homines.	414.
Bestiæ minus nobis libidinosæ.	376.
Biantis de amicitia præceptum.	353.
Biliæ in maritum amor.	235.
Bis pueri senes.	16.
Blanca Ludov. Vivis mater.	207.
Bona et mala hominis quomodo consideranda.	326.
Bona vera.	113.
Bona tripl'cia et quæ ea sint cum contrariis.	326.
Bonæ deæ sacra.	374.
Bonæ deæ sacris, viris omnibus interdici solitum.	235.
Bonitas absque prudentia venerationis expers.	356.

in Choreia turpius conspici, quam in culina.	76.	Conjugatorum amor quando integer consistat.	352.
in Choreis non invenire conjuges, quæ gravi viro placere possint.	139.	Conjugatorum colloquia pia.	372.
Chrysanti cum Daria uxore castus convictus.	222.	Conjugatorum dissidia Romæ pulcre placata.	206.
Chryssippi acumen.	71.	Conjugatorum exempla quæ sine concubitu vixerunt.	222.
Chryssippi de institutionis ætate sententia.	73.	Conjugatorum quis amor esse debeat.	349.
Cibi calorem augentes noxi pueris.	97.	Conjugatorum societas qualis esse debeat.	346.
Cibi causa Eva ex Paradiso ejecta.	ibid.	Conjugem litigio sibi vindicare quantum malum.	171.
a Cibis qui veneri corpora parant abstinendum.	99.	Conjuges casti.	222.
Cibus sit facilis et potabilis.	97.	Conjuges in lecto non rixentur.	215.
Ciconiæ pietas.	45.	Conjugia calamitosa quæ.	160.
Circes veneficæ pharmaca.	161.	Conjugia mutant sæpe personas in utramque partem.	165.
Claræ Cerventæ Bernardi Valdauræ conjugis eximia virtus et pietas.	196.	Conjugia stabilia quæ.	178.
Clodoveus Franciæ Rex a Clotilde ad fidem adductus.	253.	Conjugii amor mutuus ex caritate in sobolem.	308.
Clytemnestra Agamemnonis conjugux.	101.	Conjugii apud omnes gentes benevolentia ac reverentia.	306.
Coelibes quasi cœlites.	206.	Conjugii casus.	411.
Cogitationibus animum puella non permutat.	118.	in Conjugii contradictione absit fraus omnis.	344.
Cogitatus feminæ lubricus.	ibid.	Conjugii foedus in qua re.	199.
Colloquia secreta vitanda.	135.	Conjugii felicitas ac tempestas.	205.
Columbarum casti amores.	250.	Conjugii initio vitando omnis rixarum ansa.	215.
Columbarum conjugium.	305.	Conjugii leges quare hominibus quam reliquis animantibus exactiores.	305.
Comes facundus in via pro vehiculo.	160.	Conjugii mysterium admirandum.	175.
Comici officium.	97.	Conjugii origo.	305.
Comparatio quid.	168.	Conjugii progressus qualiter instituendus.	407.
Concionatoribus puellarum mores assiduo taxandi.	86.	Conjugii tranquillitas.	310.
Conciones familiæ audiendæ vel aliquid legendum.	248.	Conjugii vinculum.	177.
Concordia ipsa ipse mundus constat.	205.	Conjugii utilitates.	307.
Concordiæ bonum.	ibid.	in Conjugio duo spectanda.	157.
Concordiæ nulli animantum genere quam homini magis conducere.	312.	in Conjugio meum et tuum.	210.
Concordiæ utilitas.	415.	in Conjugio naturæ servimus sine peccato.	155.
Concubinæ Absalonis in perpetuam custodiam sepositæ.	249.	Conjugis officium erga maritum ægrotantem.	195.
Congruentia de membris hominis.	7.	Con-	Con-
Conjugatæ mulieris virtutum omnium summa.	183.	Rrr 2	

Conjugium ab odio auspiciari de- mentia.	171.	Conscientiæ stimulus.	95.
Conjugium a Deo institutum.	76.	Consilia divinæ mentis adoranda in omnibus.	132.
Conjugium ex uno mare unaque fe- mina fieri debet et cur.	309.	Consilii præcipitis assecla est poeni- tentia.	51.
Conjugium non temere aut citra ju- diciam instituendum.	316.	Consilium præstat corporis viribus.	40.
Conjugium quare inter binos tan- tum non plures.	309.	Consolatio christiana.	284.
Conjugium quare inter quosdam il- licitum.	312.	Consuetudini an aliquid dandum.	109.
Conjugium quid.	315.	Consuetudini cui aliquid tribuen- dum.	ibid.
Conjugium quo pacto adeundum.	346.	Consuetudo in malis.	72.
Conjugium tria peccatorum genera habet, et quæ singulis poena.	402.	Consuetudo mala quomodo abolen- da.	119.
Conjugium Ulixis et Penelopes felix.	160.	Consuetudo vitæ, consensus bono- rum dici debet.	109.
Conjugium amor mutuus quas utili- tates habeat.	412.	Contractionum instrumenta ut cre- verint.	120.
Conjugium concordia.	205.	Conviciorum ubi nullus modus.	213.
Conjugium Teutonicorum celebre facinus.	182.	Convivia seminarum multorum vi- riorum.	140.
Coniuncti propter amores, in mœ- roribus vivunt.	171.	Convivia Veneris et Cupidinis arma.	139.
Connubia non expedit conciliari amoribus.	ibid.	Cor sedes ingenii.	56.
Connubia quæ multum tractantur raro compingi.	168.	Corina Tanagræa Pindari quinquies cerramine carminum victrix.	81.
Connubialium legum caput.	176.	Cornelia Gracchorum.	72.
Connubii bona quibus ipsum natu- ra donavit.	181.	Cornelia mariti nomine quam regio nominari maluit.	212.
Connubii finis.	324.	Corneliæ Gracchi Thesauri.	257.
Connubii humani utilitates.	305.	Corneliæ matris lingua filii eloquen- tissimi facti.	259.
Connubii in incursu multa molestia intercurrere.	159.	Corneliæ Pompeji uxoris celebre dictum.	187.
Connubii religio etiam inter reli- quas animantes.	305.	Cornelii Taciti de indole Romano- rum veterum verba.	72.
Connubii sanctitatem quæ animalia incorrupte conservent.	305.	Cornicum conjugium.	305.
in Connubio via gemina, et quales eæ sint.	317.	Cornua Taurorum firmiora quam vaccarum.	190.
Connubiorum origo, feminæ in mentem revocanda.	175.	Corpora formosissima in Phrysia.	337.
Connubium Helenæ et Paridis.	160.	Corpora virorum in mare projecta supina feruntur, feminarum prona.	132.
Connubium non dominium fiat.	346.	Corporis humani partes.	6.
Conscientia mille testes.	61.	Corpus administrum voluntatis nos- træ.	91.
Conscientia sana murus æneus.	33.	Corpus feminæ speciosum, sserqui- linium candido velo operum.	211.
		Corpus ex capitis dignitate ornari.	191.

Cor-

Correptio plurimum auctoritas ha- bens quæ.	162.	Delphino nihil celerius.	37.
Corrumpimur per aures atque ocu- los.	374.	Demetriadem ab otio D. Hierony- mus avocatur.	101.
Crapulam quid sequatur.	123.	Demetrius nobilissima mulier.	74.
Cratis philosophi de ornatu senten- tia.	110.	Democharis de ornatu mulieris sen- tentia.	229.
Cretæ mos ante initum conjugium.	170.	Demotion Areopagita.	353.
Crisse virgo et vates.	80.	Demotionis Areopagitarum princi- pis filia obitus.	125.
Crocodilli natura.	242.	Deorum convivium, quidque in eo actum.	3.
Crus corporis fregisse satius quam mentis.	145.	Deum non egere ministeriis nos- tris.	202.
Cubiculum conjugale pudicitiam et pudorem habeat.	221.	Deum spiritu spiritus cernere.	91.
Culinaria discenda.	76.	Deus connubii auspex.	175.
Cultus vestium, idolatriæ genus.	230.	Deus vitæ nostræ lux.	385.
Cultus vestium quo pacto crescat.	395.	Dexteritas sermonis.	219.
Cupido cur quosdam deos feriat non omnes.	149.	Diaboli astutia.	295.
Curiositas domus alienæ fugienda.	139.	Diabolus pecuniosus.	281.
Curiositas molesta plerumque.	219.	Diabolus pessimi cujusque exempli suasor.	178.
Custodia domestica pudicitia custod.	117.	Diana perperua virgo.	92.
Cybele virgo.	92.	Dianæ apud Galatas cultus.	187.
Cypriani de fucatis mulieribus sen- tentia.	105.	ex Dignitate aliena insolentia.	238.
Cyprianus ad divites, ut sua bene dispensent.	112.	Dilectionis mutua formula lex Christi.	152.
Cyri morientis ad filios mandata.	288.	Diluvii causa.	333.
		Dina filia Jacob.	129.
		Diodori dialectici quinque filia.	82.
		Dionysii Regis stolæ lacænis mulie- ribus missæ.	169.
		Discendi litteras tempus.	73.
		Disciplina necessitas.	362.
		Discordia in matrimonio.	205.
		Discordia ubi nulla.	207.
		Discordia culpa major.	410.
		Discordia culpam maximam in im- potiorem conferri.	407.
		Dissidia initio conjugii vitanda.	215.
		Dives mulier quæ.	112.
		Divortia an utilia.	206.
		Divortium, nullum feminæ vitium patitur præter adulterium.	181.
		Divitiæ non interitura.	194.
		Divitiæ reddunt temerarios.	151.
		Divitem te sentiant pauperes.	112.
		Di-	

Divitiarum existimatio quomodo in uxore elevanda.	361.	Eleazarus carnes suillas recusat.	ibid.
Divitiarum insolentia.	336.	Electio quid.	318.
Dolor domi devorandus.	200.	Eleemosynam det matrona larga manu.	250.
Dolor justus.	280.	Eleemosynis amici parandi.	286.
Domesticam rem quid conservet.	251.	Elizabetha Zachariæ quare domi la-ruerit.	239.
Domesticum viri et uxoris jus.	387.	Eloquentiam in muliere non impro- bari.	83.
Dominam quem vocare.	240.	Epaminondæ præclarum factum.	351.
Dominas ex ancillis aestimari.	249.	Epicharis in Pisonianæ conjurationis socios fides.	138.
Domini oculus agrum uberat et pas- cit equum.	407.	Epicharis se ipsam suspendit.	ibid.
Domitius Ænobarbus.	308.	Epicharmus poeta mulctatur quod præsente Regina indecorum quid recensuisset.	236.
Domuum gravissimi contubernales.	413.	Epicteti dictum.	316.
Domuum in Græcia membra.	388.	Epicureos amicitiae utilitatem spec- tare.	347.
Domus administranda ut sit.	385.	Eratosthenis de institutionis tempo- re sententia.	78.
Domus clausa marito absente.	252.	Eruditio an probitati obstet, cum in feminis, tum in viris.	364.
Domus custodia mulieri propria.	389.	Eruditio a quibus non expectanda.	87.
Domus ex multis rebus sæpe constat.	323.	Esaiæ de ornatu mulierum sententia.	111.
Domus unde constituta.	309.	Essai mulieres in sacrata loca non inferebant.	245.
Dos mulieris,	213.	Ethelfrida Britannorum Regina.	222.
Druidarum sepeliendi mos.	269.	Eva levi argumento decepta.	85.
Duelli primus Romæ de navali cer- tamine triumphus.	235.	Eva viro causa ruinæ.	113.
		Eva una uni Adam data.	309.
		Evadne se in rogam abjicit funus mariti celebrans.	186.
		Eubuli gymnastæ mos.	392.
		Eudocia Theodosii junioris docta mulier.	82.
		Eunomia virgo Christiana.	81.
		Euripides feminarum osor.	198.
		Eurydice jam natu grandior litteras didicit.	258.
		Eusebii Emysani locus.	373.
		Exempla aliena efficacia sunt.	371.
		Exempla domestica quantum ad ins- tituendam uxorem momenti ha- beant.	372.
		Exempla vitæ aliena.	371.
		Exem-	

E

Ebrietas et ingluvies maximæ op-
pugnatives pudicitiae et pudoris. 251.
Ebriosa femina. ibid.
Ecclesia Christi morte sanctificata. 350.
in Ecclesia quæ digna alimento. 101.
Ecclesiae arma fides. 239.
Ecclesiae cum Christo connubium. 309.
Ecclesiae vetera disciplina. 21.
Ecclesiam armis non vincere secu-
lares potestates. 239.
Edeltrudis duos maritos ad castita-
tem induxit. 222.
de Educandis liberis qui præcipiant. 369.
Educata hodie quæ dicatur. 370.
Educatio quatenus in ducenda uxo-
re spectanda. 340.
Educatores suos fere diligant. 70.
Egnatia Maximilla Glitonem Gallum
in exilium secuta. 184.
Eleazari supplicium et oratio. 276.

Exemplis homines non parum mo- veri.	125.	Famulare genus licentiæ avidum.	249.
Exemplum vitæ efficacissimum.	404.	Famulorum et famularum officia.	247.
Exequiarum pompa, vivorum so- latia.	286.	Fatuae virgines quæ.	91.
Exequias lugere licet maxime pro- prias.	281.	Fatum quid.	ibid.
Exilii exemplum dignum.	67.	Faunæ Fauni Regis Aboriginum uxo- ris castitas.	234.
		Fauni regis uxor, præter suum non vidit alium virum.	234.
		Fel ex victima exemptum quid de- signet.	217.
		Felicitatis fons in animo.	347.
		Femellæ compectio.	320.
		Femina adjutorium viri.	387.
		Femina cum nubit quid cogitare debeat.	175.
		Femina custodiat viri lucrum.	123.
		Femina dives intolerabile malum.	210.
		Femina facundissima quæ.	137.
		Femina ex virtute non ornamentis spectanda.	105.
		Femina honesta nesciat quæ leges rogentur, vel abrogentur.	237.
		Femina infirmum animans.	85.
		Femina ingenio ad voluptates pro- pensior.	71.
		Femina in studiis sapientiæ sit e- docta.	83.
		Femina materfamiliæ provecioris ætatis ut se geret.	272.
		Femina modesta genus suum vel dotes non commemoret.	215.
		Femina nihil accipere, nihilque da- re debet.	133.
		Femina non tam facilis reconcilia- tioni ac vir.	206.
		Femina ornata nullum animal su- perbius.	109.
		Femina prodiens in publico quo pac- to aget.	129.
		Femina pulchra parum tuta.	338.
		Femina quare meticulosa.	322.
		Femina quid.	364.
		Femina sub viri potestate.	354.
		Femina suum iudicium non sequatur.	90.
		Feminae affectiones.	320.
		Feminae affectus mitiores virorum.	3-3.
		Fe-	

F

Fabellæ castæ. 73.
Fabio maximo mortis causa, uxoris
garrulitas. 335.
Fabius Quintilianus. 70.
Fabula convivii deorum. 3.
Fabula de homine. 1.
Fabulæ unde orræ. 138.
Faces Romanorum magistratuum in-
signia. 48.
Faciei ad arcendum amorem defor-
matio. 153.
Faciem in contumeliam artificis
pingi. 104.
Factu difficile non viderur, quod
fictum aliquando sit. 125.
Facundia an feminæ congruat. 369.
Facundia in femina garrulitas. 169.
Facundiæ arrogantia quomodo in
uxore elevanda. 361.
Fama feminarum nihil tenerius. 129.
Famæ multum tribuendum a femina. 391.
Familia qualis cura habenda. 245.
Familia recte instituendæ ratio. 309.
Familia tria debentur. 245.
Familia unde constituræ. 309.
Familiam mutuo conjugum amore
præcipue contineri in officio. 414.
de Familiari re qui auctores scripse-
runt. 65.
Familiaris res bene curanda. 245.
Familiaritate etiam diversissima con-
jugi. 409.
Famulæ non omnia curent. 76.
Famulæ uxoris ducendæ quomodo
observandæ. 329.

Feminae amores illicitos fugiant.	145.	Feminae non magis natura mala quam vir.	317.
Feminae christianae ornamenta.	229.	Feminae nunquam otium.	388.
Feminae christianae pompa superant gentiles.	109.	Feminae obscuro loco natae elatioribus aliis.	336.
Feminae christianis viris in bello adimenda.	239.	Feminae officium domesticum.	388.
Feminae cogitatus celer.	74.	Feminae Palatinae.	134.
Feminae cogitatus lubricus.	118.	Feminae philocosmae.	398.
Feminae conjugatae virtutes duae maximae.	178.	Feminae plerumque querulae.	206.
Feminae constitutio optima.	322.	Feminae probae officium.	152.
Feminae cur a viris tam blandè compelluntur.	239.	Feminae prodeuntis comitatus qualis esse debeat.	389.
Feminae cura unica pudicitia.	66.	Feminae qualis esse oratio debeat.	370.
de Feminae disciplina.	361.	Feminae quas adversitates perferant.	403.
Feminae doctae quos libros vitare debeant.	87.	Feminae quae legenda et a quibus abstinendum.	368.
Feminae doctae rudibus meliores.	365.	Feminae quid domi agere debeant.	244.
Feminae etiam priscis Romanis virorum potestate.	293.	Feminae quod natura habent, nequeunt mutare.	322.
Feminae facile irritantur.	206.	Feminae quomodo domi retinendae.	110.
Feminae fuco abstineant seu pigmentis.	103.	Feminae quos libros legere debeant.	84.
Feminae jam nuptae quo pacto se in publico gerere debeant.	234.	Feminae rapacitas quantum saepe mali rebus publicis attulerit.	334.
Feminae illustres.	322.	Feminae sanctae a Salomone descriptio.	75.
Feminae imbecillitas unde.	320.	Feminae suapte ad rixas pronae.	368.
Feminae incautae varia certamina proposita.	123.	Feminae virili animo praeditae.	321.
Feminae ingenium ac mores quomodo scrutandi.	327.	Feminae virtus pulcherrima silentium.	370.
Feminae ingenium congruere ei sexui.	323.	Feminae virtutes duae prope solae.	368.
Feminae in Sicilia prudens factum.	216.	Feminam an litteras expediat novisse.	363.
Feminae intolerabiles penitus.	331.	Feminam cognoscere quae oporteat.	367.
Feminae intolerabiles quae.	ibid.	Feminam litteras nosse an expediat.	355.
Feminae in virorum potestate semper esse debuerunt.	293.	Feminam nimis nosci non esse argumentum pudicitiae.	238.
Feminae malitiosiores.	206.	Feminam non nosci tutissimum.	393.
Feminae maximarum etiam rerum capaces.	366.	Feminam non posse nimis esse taciturnam.	361.
Feminae mores natura quales.	387.	Feminam qualis eruditio deceat.	78.
Feminae naturam fieri quidem meliorem sed mutari non posse.	322.	Feminam quae conveniat ex litteris cognoscere.	368.
Feminae ne sint squalidae.	114.	Feminam quid natura docuerit.	190.
Feminae non discurrendum.	389.	Feminam videre malum, pejus alioqui, pessimum tangere.	135.
		Feminarum conditio misera.	214.
		Feminarum custodia carnificina anxietate.	255.
		Feminarum doctarum exempla.	80.
		Fe-	

Feminarum duo genera lugent.	280.	Filia cum nascitur cur moestitia in domo.	168.
Feminarum genus mansuetum natura esse convenit.	123.	Filii communes gratiores.	414.
Feminarum honestissima occupatio.	75.	Filii parentibus permittant curam de suis uxoribus.	318.
Feminarum mundus seu ornatus nimius quomodo coercendus.	394.	Filii patrem sequuntur non matrem, omnium gentium ritu.	211.
Feminarum opera mariti pii redidita.	253.	Filii saepe parentes ipsos expilant.	264.
Feminarum perpetua servitus.	403.	Filiis in patrem quare leges datae, contra non item.	359.
Feminarum proprius ornatus ac praecipuus.	110.	Filios beatos qui relinquunt, in Filios summa auctoritas penes patrem.	165.
Feminarum quarundam exempla imitanda.	119.	Finis in electione consideratio.	275.
Feminarum raptus multorum bellorum causa.	306.	Flaccilla maritum in exilium comitata.	318.
Feminarum Romanorum in aegros mortuos cura.	199.	Flavius Clemens per Domitiam ad fidem adductus.	184.
Feminarum tecto capite prodeundi mos in Belgica.	199.	Fletibus modus ponendus.	253.
Feminarum virtutes.	389.	Forma Dei donum.	283.
Feminarum virtutibus illustrium exempla.	121.	Forma et habenti eam et aspicienti perniciose.	243.
Feminarum vitia ex imperitia.	371.	Forma momentaneum bonum.	360.
Feminas an doctas esse conveniat.	366.	Forma quatenus in ducenda uxore spectanda.	159.
Feminas christianas maritos suos saepe ad fidem pertraxisse.	78.	Forma superbos reddit.	337.
Feminas interesse athletarum spectaculo Augusti edicto cautum.	253.	Forma uxoria.	337.
Feminas maribus parere natura in omnibus animantibus docuit.	236.	Formae difficilis custodia.	338.
Feminas mundities ac nitor decet.	236.	Formae ferocia quomodo elevanda.	360.
Feminas saltationes vitare debere.	190.	Formae fruitio qualis.	ibid.
Feminas sanctas negligere suam formam multis de causis solitas.	397.	Formae insolentia.	335.
Femineus sexus devotior virili.	142.	Formae munus exiguum.	211.
Feminei sexus infirmitas.	115.	Formae unde insolentia accidat.	337.
Feminis nullam rem agere sine auctore licitum apud Romanos.	194.	Formosa sed stupida.	332.
Fenerare Deo.	373.	Fornicatio discessus a Deo.	91.
Feriae cur institutae.	355.	Fortuna fallacior quo blandior.	40.
Festa et celebritates nostro tempore christianorum quales.	112.	Fortuna nihil mutabilius.	389.
Festis diebus arare et fodere melius quam saltare.	90.	Fortunae bona molestae sarcinae in vita.	243.
Festis diebus quid legendum.	139.	Franciscus Franciae Rex captivus Caroli Caesaris.	148.
Fidei magnificentia.	143.	Francisci Philippi de educandis liberis.	369.
	90.	Fratres nonnunquam sorores vitiant.	135.
	414.	Fratrum et sororum inter se conjugia.	312.
		Tom. IV.	
		Sss	Frau-

Fraudatio ex consensu quid apud D. Paulum.	378.	Gentilitatum usus.	313.
Fraude nihil humano generi invisius.	344.	Genus in ducenda uxore quatenus spectandum.	340.
Fraude partum conjugium infelix.	ibid.	Germanæ feminæ tantum virgines nubere solitæ.	297.
Frons occipitio prior.	400.	Germani veteres a quibus orti.	281.
Frontem non habere, proverbium.	122.	Germanorum veterum pudicitia.	339.
Fucatæ feminæ multæ in convivio inventæ.	103.	Gerusia Civitas senum.	17.
Fuco foedari faciem.	ibid.	Gloria querentes fugit, negligentes sequitur.	38.
Fucus in uxore abominandus.	394.	ad Gloriam viâ per virtutem.	243.
Fucus omnis muliebris a Lycurgo sublarus.	106.	Gorgias Leontinus.	413.
Fucus virginî cavendus.	102.	Gorholatinorum nugæ.	368.
D. Fulgentius de virginitate.	92.	Gorghi per Hispaniam.	361.
Funeris honor solidus inscius animis hominum justorum.	287.	Grammatici nomen magni habitum aliquando.	23.
Funerum pompæ unde manarint ad christianos.	285.	Grammaticorum inscitia.	ibid.
Funerum pompam ex gentilitate in ecclesia remansisse.	ibid.	Gratia attribuitur arti non naturæ.	103.
Funerum sumtus quibus dandi.	286.	Gratiæ tres.	44.
Fusum et lanam nupta ad mariti domum afferre solita.	75.	ad Gratiam Dei expedita viâ per gratiam hominum.	202.
Futilitas virginum.	137.	Greciæ septem Sapientes.	353.
		Gregorius Nazianzenus Hieronymi magister.	98.
		Gynæconitis quid.	388.
		Gynæconomus magistratus.	395.

G

Gallorum proverbium.	320.		
Gammae egregium facinus.	187.		
Garrulitas famularum.	248.		
Garrulitas vitanda.	133.		
Gemoniæ scalæ.	312.		
Gener socruî diligendus ut filius.	277.		
Generandi lex animalibus omnibus divinitus lata.	305.		
Generandi ratio.	309.		
Generatio justorum cura Deo.	165.		
de Genere gloriari minime christiano.	361.		
Generis gloria unde comparetur homodie.	ibid.		
Generis insolentia.	335.		
Generis nomen mansurum unde constitutum.	309.		
Generositas virtus non sanguis.	39.		
ex Genesi locus explicatus.	338.		

H

Hæreditarii morbi cavendi.	159.
Halcyones aves.	186.
Halcyonii dies.	ibid.
Halcyonis in mari præcipitium.	ibid.
Hamata munera.	286.
Harmodius et Aristogiton tyranni Athenis ejecti.	128.
Harmoniæ in naturæ opificio vis.	360.
Hectoris amor in Andromachen.	189.
Hectoris apud Nævium verba.	392.
Hectoris caritas in conjugem.	348.
Helcana Ephraïta.	416.
Helena raptus belli causa.	306.
Heli iudex quare punitus.	267.
Henricus Bavarus Romanorum princeps caste cum uxore vixit.	222.
Hen-	

Henricus II. Britannia Rex a filio quare regno pulsus.	306.	Hominis epitheta.	5.
Henricus octavus Britannia Rex.	76.	Hominis in ceteris animalibus res peculiares.	6.
Herculis inter virtutem et voluptatem deliberatio.	317.	Hominis ingenium.	320.
Heræ quales tales famulae atque caniculae.	329.	Hominis inventiones multarum rerum.	7.
Hermiones zelotypia.	226.	Hominis membrorum compositio supra modum admiranda.	ibid.
Hermogillus Gorthorum Rex ab uxore Jugulde fidem Christi edocuit.	253.	Hominum genus societati natum.	305.
Hesiodi de conjugum ætate sententia.	338.	Hominum libidini quomodo primum occursum.	312.
Hiacintina sacra.	126.	Hominum rectori quanta industria opus.	358.
D. Hieronymus Latæ filiam instituit.	71.	Hominum sexus diversi ut progignantur.	320.
D. Hieronymus magister continentia.	98.	Hominum vitia naturæ emendandæ quibus opus.	308.
Hieronymus Siracusanus quare cum universâ gente deletus.	238.	Homo affectibus se suis permittens quale animal.	306.
Hieronymus Siracusanorum Rex.	235.	Homo animal varium et intractabile.	358.
Hieronis Siracusani factum.	391.	Homo ex duobus constans quo pacto ambobus prospiciet.	379.
Hilario monachus in eremo titillationes a libidine sensit.	98.	Homo fabula est.	3.
Hildegardis virginis epistolæ.	82.	Homo ludus ac fabula.	ibid.
Hippomenes Atheniensis.	94.	Homo per se neque bonus neque malus natus.	363.
Hispaniarum amissio ex Cavæ Juliani filia raptu.	306.	Homo quibus ex rebus æstimandus.	159.
Hispanorum certamen de feminis, quæ plurimum nevissent.	76.	Homo semper homo.	322.
Hispula scortum a Sulpitia fere examinata.	240.	Homo ut quicque conjunctissimum ut validissimum adjuvandum vel nocendum.	317.
Historia de perditissimis adolescentibus ad frugem revocatis.	162.	Honestatis imago a Platone descripta.	124.
Homeri locus.	348.	Honestissima quomodo mulier videri queat.	240.
Homericum carmen Augusto usurpatum.	416.	Honor an feminis debeatur.	242.
Homerus Vergilius Græcus dici potest.	2.	Honor crocodylo similis.	ibid.
Homine nihil admirabilius.	4.	Honor ex maritis ad feminas emanat.	191.
Hominibus quare exactiores conjugii leges quam reliquis animantibus.	305.	Honor quid.	242.
Hominis agnatio cum diis.	8.	Honor ridicula res.	240.
Hominis a teneris ad virtutem instituendi ratio.	308.	Honor viro deferendus.	242.
Hominis bona et mala consideranda.	326.	Honorari volunt stultæ mulierculæ comitas.	241.

Libidinem ut vitare debeamus.	236.	Lucretia indignam se vita putavit amissa pudicitia.	182.
ad Libidinem Xenocrates commo- veri non potuit.	99.	Lucretia in quo imiranda.	96.
Libidinis contentio quanta mala in- vexerit.	306.	Lucretia lanæ dedita.	75.
Libidinis exempla ejusque poena.	ibid.	Lucretia poenam necessitatis excepit.	96.
Libidini humanæ quomodo princi- pio occursum.	311.	Lucretiæ laus pudicitiae.	75.
Libidinis remedium.	ibid.	Lucretiæ violatio belli causa.	306.
Libido fugienda.	236.	Lucretiæ virtute accensus Sextus Tarquinius.	393.
Libri obsceni prohibendi.	89.	Luctui modus positus.	283.
Libri pestiferi qui in Hispania.	87.	Luctus annuus matronarum ob mor- tem Bruti.	281.
Libri qui a feminis legendi vel reji- ciendi.	89.	Ludere foliis viro res indigna.	101.
Libri qui res varias ac turpes con- tinent.	85.	Ludere mulieres turpe.	ibid.
Licentia viri deteriores feminæ sce- lestæ fiunt.	265.	Ludicra oblectamenta.	71.
Licentiæ malum.	ibid.	Ludovicus Vives quomodo a matre sua dilectus.	263.
Lingua feminarum impotens.	213.	Ludus in deorum conspectu jucun- dissimus.	3.
Linguam mulier sibi evulsit denti- bus ne eloqui ulla necessitate co- geretur.	138.	Lupanaria publica taxantur.	142.
Linguarum cognitionem quædam fe- minæ habuerunt.	369.	Lupanaria unde tam frequentia.	149.
Linea alba in lapide albo, prover- bium.	192.	Luparum nomen unde translatum ad feminas.	161.
Lineas tenuissimas potuisse trahere veteribus magna ars.	62.	Lusibus impudicis abstinendum cum uxore.	373.
Litterarium studium mentes homi- num totas occupat.	83.	Lusus feminæ vitandus.	389.
Litterarum diversitas ac usus in fe- mina quis.	363.	Luxemburgii.	352.
Litterarum seu disciplinarum divisio.	ibid.	de Luxu mulierum M. Catonis oratio.	110.
Litteras didicisse feminam an expe- diat.	ibid.	Luxuria supremus hostis.	376.
Litteras uxoris Philippi inventas, A- thenienses illectas remisisse.	220.	Luxuria una ex alia nascitur.	395.
Livia Ocellina.	344.	Luxuriam se ipsam irritat.	ibid.
Liviæ Germanici sororis impia faci- nora.	182.	Luxus origo in rebus omnibus.	394.
M. Livius Drusus quales ædes sibi ædificari jusserit.	247.	Lycurgus lacædemoniorum legislator.	106.
Loquacitatis in femina usus.	324.	Lysander lacædemoniorum Rex.	182.
Lucani Locus de Cornelia Merelli.	352.		
Luciani scripta.	363.		

M

M Agdalena juxta pedes Domini sedit.	296.
Magna quæ habeantur in mundo.	260.
Majestas conjugum ex concordia.	413.
Majestas quid.	356.
Mala ignoranda.	72.
Malcus Monachus cum conserva sua caste vixit.	222.
Maledicto nihil magis voluere.	129.
Ma-	

Malefaciendi nulla necessitas.	332.	Mariti probi commoditates.	165.
Mali imago vitanda.	299.	Mariti quomodo amandi.	196.
Mali unius finis gradus sequentis.	58.	Mariti quomodo tractandi.	192.
Malitia præsentissimum concordiae venenum.	409.	Mariti stulti incommoda.	164.
Malum in obscuro se non patitur contineri.	78.	Mariti vulnus exuxit Regina Britan- niæ veneno plenum.	199.
Mamertia quare subversa.	126.	Mariti uxores a quibus amantur re- damant.	189.
Manuæ prælongæ cur inventa.	131.	in Marito deformi animus amandus.	195.
Marem quid natura docuerit.	190.	Marito in feminam traditum domi- nii jus.	191.
Margarita Gigia.	83.	Marito in uxorem uno affectu tan- tum opus.	355.
Margarita Valesia.	148.	in Marito ne situm qualem sit uxore rem habiturus et quatenus.	345.
Maria fabro ministrare non gravata.	120.	Marito quatenus obtemperandum.	201.
Maria Virginibus, conjugatis, et vi- duis exemplum.	124.	Maritos duos quæ virgines habeant.	167.
Maria Virgo omnibus omnia facta.	ibid.	Maritos quales eligere debeant mu- lieres.	160.
Mariæ exemplum, puellæ ad ocu- lum sibi ponant.	120.	Maritorum consilia feminæ non per- scrutanda.	219.
Mariam in vestitu mulieres imiten- tur.	108.	Maritorum quales debeant esse vo- luptates.	377.
Mariæ nomine indigne impudicæ mulieres.	128.	ob Maritum bonum Deus aliis etiam benefacit.	150.
Mariæ nomen sacrum.	ibid.	Maritum eligere non est virginalis pudoris.	156.
Mariæ Virginis veræ imitatrices.	119.	Maritus ægrotus quomodo ab uxore curandus.	195.
Mariæ virginitatem imitari.	ibid.	Maritus conjugii probæ citius auscul- tabit quam parenti.	218.
Mariam Angelus non otiosam in- venit.	ibid.	Maritus Dei in terris successor.	201.
Mariam in sericis vel aureis amictis depictam nemo pius probat.	120.	Maritus dolo pellectus numquam frugis futurum.	169.
C. Marii animus ferreus.	182.	ut Maritus liberetur uxor omnia vendat.	188.
Maritalis erga uxorem amoris causa.	410.	Maritus non est nomen libidinis.	175.
Maritalis fidei in uxores exempla.	189.	Maritus non prorsus sublatus viduæ.	288.
Mariti absentia.	399.	Maritus probus instar multorum fi- liorum.	* 254.
Mariti amore etiam uxorem accen- dit.	349.	Maritus qualis eligendus.	158.
Mariti cineres defuncti Artemisia bibit.	187.	Maritus quo nomine ab uxore apel- landus.	372.
Mariti et uxoris jus domesticum.	386.	Maritus semper uxore generosior.	361.
Mariti exemplum instituendæ uxori efficacissimum.	370.	Maritus truncus cujus non est Chris- tus caput.	190.
Mariti feminis tribuunt dignitatem.	211.	Ma-	
Mariti fortunati et infortunati qui.	192.		
Mariti in affines amor.	411.		
Mariti jussa, vice divinæ legis sint uxori.	201.		
Mariti mors.	417.		

Maritus uxoris umbra.	293.	Memoriæ usus.	7.
Marsippa maritum Apollini præfert.	212.	Menandri sententiâ.	374.
Martialis locus de auctoritate mariti.	355.	Mencia Mendoza.	83.
Masculi conceptio.	320.	Mendicorum filiæ intolerabiles.	341.
Materfamiliâs quo pacto familiam regere debeat.	245.	Mens a Christo spectatur non hominis magnitudo.	246.
Mâter pueros litteras doceat.	258.	Mens natura Deo similis.	91.
Matres a filiabus veneno sublatae.	146.	Mens quid.	320.
Matres cur fere valetudinarios et stultos filios plus diligant quam reliquos.	201.	Mente hominem censeri non corpore.	360.
Matres magnam occasionem habent filios malos, seu bonos reddere.	259.	Menthæ herbæ natura.	410.
Matres malorum causa hominum.	262.	Mentis impudicæ indicia.	104.
Matres pueros ipsos educunt.	70.	Mentis iudicium vitæ humanæ rector.	316.
Matres quid pueris præcari debeant.	260.	Mentis partes.	367.
Matri celandus erga prolem amor.	261.	Mentis suavissimus pastus cognitio.	373.
Matri filius cum ad supplicium duceretur, auriculam morsu amputavit.	263.	Mentis vera pulchritudo.	360.
Matrimonia iniri quas curas habere debeant.	158.	Mercatorum sors maximè fortunæ obnoxia.	335.
Matrimonia quæ habere debeant.	ibid.	Mercenarii usus.	347.
Matrimonia secunda in theatris exagitata.	297.	Meticulosæ quare natura feminæ.	172.
Matrimonii, quas quædam viduæ causas opponunt.	ibid.	Milesiæ fabulæ.	363.
Matrimoniorum exempla in quibus concordia viguit.	205.	Milesiarum in maritos fides.	138.
Matrimonium non sit sine patrimonio.	158.	Milesiarum virginum suspendium.	131.
Matris bonæ bona filia.	340.	Minervæ tria eximia.	92.
Matris cura erga filiam.	116.	Miseriæ fons in animo.	347.
Matris vox blanda.	271.	Misericordia venalis, crudelis.	63.
Matrona optima quid agat.	249.	Modestia et moderatio ex verecundia nascitur.	122.
Matrona qualis eligenda cui puellæ committantur.	117.	Modestia nostra nota sit omnibus.	113.
Matronæ diligentia.	249.	Mœrore nimio mortui.	381.
Matrum amor perversus.	263.	Monachorum in Cycladibus agentium religio.	374.
Matrum indulgentia liberos corrumpit.	265.	Morbi hereditarii in ducenda uxore observandi.	325.
Medeæ in liberos crudelitas.	308.	Mores antiqui in sacris.	217.
Medicæ arti non sit mulier addicta.	252.	Mores non ex ætate veniunt.	19.
Medici hodie depravati.	28.	Mores optime formari pietate.	368.
Medicinæ usus.	376.	Mores ornamentum mulieris non aurum esse.	111.
Meleagri in uxorem amor.	408.	Mores privatos et publicos magistratus spectare debere.	86.
		Mores pueri matrem fingere.	258.
		Mors ex se non mala.	268.
		Mors infantum cum gaudio accipienda.	268.
		Mors	

Mors per sensus ceu per fenestras irrumpit.	116.	Mulieris officium.	203.
Mortem doluisse maximos viros.	281.	Mulieris partes in rebus familiaribus.	122.
Mortui cantu et lætitiâ prosequuti.	268.	Mulieris probæ descriptio ex Aristotele.	204.
Mortuos quædam gentes prosequuntur cantu ac lætitiâ atque cur.	268.	Mulierum opera tela non conciones.	237.
Mortuus ubi putrescat nihil refert.	285.	Mulierum ornamenta ad idololatriam tendunt.	230.
Morum dulcedo et orationis quid possit.	218.	Mulierum partes in re familiari.	123.
Morum ex convictu corruptela.	390.	Mulierum puerilis stultitia.	161.
Mos pravus tollendus.	231.	Mulierum sumtibus lex ponitur.	232.
Moysis locus.	305.	Mulierum superbarum objectiones quæ vestitus luxum defendant.	113.
Muliebri ingenium nihilo ad quantumque rem virili ineptius.	366.	Mulierum vitiola quædam peculiaria toleranda.	412.
Muliebris animi impotentia.	358.	Multitudo bellua multorum capitum.	319.
Muliebris sexus philocosmos.	398.	Mundi amphitheatrum et in eo actio pulcherrima producitur.	3.
Mulier ad voluptates prouum animal.	381.	Mundi nexus et amor.	355.
Mulier bona ad virum parendo imperat.	176.	Mundi creatio quando et quo pacto.	3.
Mulier diabolo confidentior.	194.	Munditia rei familiaris.	124.
Mulier duo ad virum adfert.	168.	Mundities animi, gaudet corporis munditie.	100.
Mulier in foro causam dicens pro monstro habita.	237.	Munditiem habet frugalitas.	114.
Mulier ne nimium sit curiosâ.	219.	Mundus pace et concordia consistit.	205.
Mulier oprima quæ.	130.	Mundus muliebris.	114.
Mulier parum commertii cum famulis habeat.	249.	Murenæ objicitur saltatio in Asia.	141.
Mulier proba donum Dei.	159.	Musæ omnes virgines quare.	92.
Mulier recte olet ubi nihil olet.	108.	Musica vera quæ.	35.
Mulier si non parit, æquo ferat animo.	253.	Musici ad nullam frugem perueniunt et cur.	78.
Mulier subdita viro sit.	189.	Mutia docta femina.	80.
Mulierem bonam Thucydides ne laudari quidem permittit.	238.	Mutiæ facundia.	369.
Mulieres an emere vel vendere debeant.	ibid.		
Mulieres arma tractare non debent.	239.	N atura exiguis contenta.	361.
Mulieres quædam olida morticina.	161.	Natura humana protinus proclivis ad vitia.	79.
Mulieres spectaculis abesse debent.	139.	Naturæ Deus est conditor.	191.
Mulieribus illis præciosus cultus quarum pudor vilis.	105.	Naturæ leges nobis nisi malitia nostra corruptæ essent, sufficere.	311.
Mulieris insignis responsum foeda roganti.	180.	Naturæ vis in nobis corrupta, quomodo restituatur.	310.
Mulieris nomen notum esse incipiet cum facies ignota fuerit.	278.	Natus infeliciter qui non sit feliciter maritatus.	117.
		Ttt	Na-

Naziarius rhetor.	81.	Nuptiarum dies a comprecationibus auspicanda.	178.
Neronem filium quare abominatur Domitius.	308.	Nuptiarum eventus incerti.	ibid.
Nacanor virginis captivæ amore victus.	126.	Nuptiarum pane non consumto ri- xe in domo.	171.
Necerati uxor ne libidini tyranno- rum serviret se interfecit.	182.	Nuptiarum præses Deus.	175.
Nicocles Rex.	378.	Nuptias celebrantes veteres immo- labant.	219.
Nobiles quæ propriæ.	199.	Nuptias secundas hæreticos solum reprobare.	297.
Nobilitati vel opibus an aliquid dandum.	109.	Nuptiis interesse non esse virginis.	140.
Nobilitas Christianorum quæ.	361.	Nuptiæ quo pacto celebrandæ.	276.
Nobilitas reddit insolentes.	151.	Nuptis non omnia licere.	240.
Nobilitas sola pudicitia.	121.	Nurus affectus in socrum.	274.
Nomen notum cum sit ignota facies.	278.	Nurus duæ Moabitides.	166.
Nominis honesti hostes.	251.	Nurus in necessitate alant socrus.	274.
Novercæ asperæ quæ.	270.	Nutriat quæ peperit.	257.
ad Novercæ sepulcrum quidam ex- tinctus.	ibid.	Nutricem qualem D. Hieronymus describat.	71.
Novercarum malitia taxatur.	199.	Nutrices aniles fabulas pueris non narrent.	159.
Nubendi tempus.	276.	Nutrices matres vocentur.	70.
Nubere hæretico ecclesia non sinit.	164.	Nutrices sapientes eligendæ.	71.
Nubere melius quam uri.	339.	Nutriendi laborem recusantes quæ pericula adeant.	257.
Numæ leges de feminis.	237.	Nutrire suos liberos matres debent.	ibid.
Numidia Quadratilla.	266.		
Nupta quare super lanatam pellem jussa sedere.	75.		
Nuptæ novæ domi aliquot menses lateant.	238.		
Nuptæ rariores in publico conspi- ciantur quam virgines.	234.		
Nuptæ velata facie apud Lacede- monios in publicum ibant.	234.		
Nuptam novam a socru ollam ro- gare.	273.		
ad bis Nuptas hortatio.	269.		
Nuptas domi latere convenit.	238.		
Nuptiæ in libidinis remedium per- missæ.	178.		
Nuptiæ secundæ quomodo fieri de- beant.	300.		
Nuptiæ secundæ an concedantur.	297.		
Nuptiales symphonias Ambrosius improbat.	143.		
Nuptiarum abusus maximus.	178.		
Nuptiarum auctor.	175.		

O

Obedientiam Deus postulat.	202.
Objurgatio etiam inimici prodest.	275.
Oblectatio quæ esse debeat puellis.	118.
Obryzum.	357.
Obsequium fidele.	249.
Occasiones peccandi omnes remo- vendæ.	393.
Oculi raro attollendi.	132.
Oculi viæ duces.	131.
Oculorum corruptela.	374.
Oculus domini pascit agrum.	251.
Oderis tamquam aliquando amaru- rus.	353.
Odisse miserrimum.	347.
Odiū malis inhiat.	415.
Odiū unde.	328.
Odores moderati non reiiciendi.	108.

Oeneus

Oeneus senex.	408.	Osculum olim solis consanguineis ferre licitum.	142.
Officium extra tempus molestia est.	219.	Os tenerum, durum proverbium.	122.
in Officio potissimum contineri ho- mines caritate et benevolentia.	414.	de Otioso verbo reddenda ratio.	214.
Ogerii scripta.	363.	Otium diabolus amat.	100.
Olophernes diabolus.	339.	Otium fomentum omnium vitiorum.	85.
Olorum conjugium.	305.	Otium quam dedecet feminam.	388.
Olympias Philippi.	220.	Ovidii exilium.	88.
Olympicis certaminibus submotæ mulieres.	374.	Ovidii locus.	331.
Olympicis in certaminibus feminae excedebant.	236.		
Opes brevi ingentes pereunt.	158.		
Opiniones a teneris conceptæ fir- missimæ.	357.		
Opinioni nihil sufficere.	361.		
Oppia lex de mulierum cultu.	396.		
Opum ratio quatenus in ducenda uxore habenda.	341.		
Orbitatis commoda.	415.		
Oratio animi speculum.	291.		
Oratio justi assidua multum valet.	253.		
Oratio nostra ne fiat agitatione so- lum labiorum.	121.		
Oratio quid.	379.		
Oratio virginis.	119.		
Orationis piæ vis.	389.		
Oratoris institutio a cunabulis.	70.		
Orestilla Catilinæ.	191.		
Oret uxor negotiis conjugis libera.	202.		
Organi Aristotelis tractatio.	5.		
Ornamenta interiora.	35.		
Ornamenta mulierum.	102.		
Ornatus mulieris.	106.		
Ornatus quis censendus.	111.		
Ornatus simplex se ipso contentus est curiosi nullus finis.	395.		
Ornatus simplicis commoda.	398.		
Ornatus studiosæ feminae.	324.		
Ornatus sumtuosus quare excogita- tus.	110.		
Ornatus viri ac feminae.	117.		
Ornatus viri gravitas.	107.		
Osculari initium turpitudinis.	142.		
Osculis liberi non excipiendi.	72.		

P

Pactionum tabulæ.	395.
Palæmonis ars.	370.
Pallas et Musæ quare virgines exis- timatæ.	83.
Palmarum arboris ingenium.	345.
Pannus in lana infectus.	357.
Panthia Susii Principis uxor.	186.
Parentum soboles referat.	164.
Parentes puellarum sponsalia curent.	155.
Parentes quo pacto suis liberis ma- trimonia prospicient.	157.
Parenti se ipso carior soboles.	318.
Parentibus in curando liberorum connubio quid spectandum.	318.
Parentum exempla apud filios quid ponderis habeant.	265.
Parentum quorundam stultitia.	72.
Pars inferior animæ.	10.
Pars superior animæ.	13.
Parsimonia aliud, aliud avaritia.	243.
Parsimonia feminarum.	244.
Parsimonia in victu.	251.
Parsimoniæ et frugalitati familia as- suefacienda.	245.
Parsimoniæ pudor pessimus.	396.
Parthenon.	388.
Pasiphaenis fabula.	160.
Pater filium malum exheredet.	448.
Pater quamdiu jus in filio habeat.	275.
Patientia omnium domitrix.	39.
Patientia vitæ antidotum.	34.
Patrem pænes summa auctoritas in liberos.	275.
Patri in filium quare nulla lex posita.	359.

Tit 2

Patrimonia unde instituta.	309.	Philosophiæ partem moralem femi-	
Paula nobilissima femina.	74.	næ discant.	84.
Paula Senecæ.	81.	Philosophorum lingua cur libera.	20.
D. Pauli consilium melius esse nu-		Philosophum in tetrica disciplina ad	
bere quam uri.	339.	blandiores musas descendere con-	
D. Paulus divinatorum mandatorum		venit interdum.	2.
nuncius.	253.	Philtrum efficacissimum amare.	349.
D. Paulus gentibus a Deo magister		Phryne scortum.	99.
datus.	349.	Physiorum feminae formosissimæ.	337.
Paulus Vergerius de educandis li-		Physicorum ignorantia.	25.
beris.	369.	Piccariones.	254.
Pauper egenus, non carens.	36.	Pietas caput omnium.	331.
Pauper nemo natura.	35.	Pietas christiana severa.	100.
Pauper quis vocetur.	426.	Pietas conjugii vinculum non dis-	
Paupertati quidam vitia adjungunt.	247.	solvit.	204.
Paupertatis pudor pessimus.	396.	Pietas et superstitio quid differat.	367.
Pavore frangi feminam.	190.	Pietas magnus quæstus.	123.
Pausaniæ gemina venus, et Amor		Pietas sola numquam, sed aliis sem-	
geminus.	354.	per virtutibus comitata venit.	198.
Peccata non aère coelo regionibus		Pietas unicum mentis bonum.	339.
inferuntur.	280.	Pietate optime mores formari.	368.
Pecunia ultimum ex iis de quibus		Pietati mulier sit dedita.	123.
homines spiritus tolluntur.	210.	Pietatis in femina exploratio.	330.
Pecunia ultimus locus.	429.	Pigmenta quibus feminae utuntur.	103.
Pecuniæ finis.	361.	Pionis Abbatis in sororem religio.	135.
Pecuniæ honos contra fas.	440.	Pittaci de uxore ducenda consilium.	337.
Pecuniam ducere non uxorem.	79.	Pius perfecte nullus.	331.
Pecuniarum venatores non laudan-		Placidia Theodosii virtus.	218.
di.	244.	Plato e Republica sua Homerum et	
Pelagiæ præcipitium.	127.	Hetiodum pellit.	89.
Penelopes laudes.	75.	Plato feminis legendus.	369.
Persarum feminarum consuetudo.	74.	Plato in Republica meum et tuum	
Persarum in uxores observantia.	221.	aufferendum docet.	210.
Perturbationes crebræ in femina.	190.	Platonis de conjugum ætate senten-	
Phædo in convivio necatus.	125.	tia.	338.
Phavorinus Philosophus.	70.	Plauti locus.	108.
Phemonoe heroici carminis inven-		Plinii junioris verba de uxore sua.	176.
trix.	80.	Plutarchi locus.	306.
Phidiæ statua.	332.	Plutarchus feminis legendus.	369.
Philippi Gallia Regis soror capta		Plutarchus Philosophus.	70.
belli Britannia causa.	306.	Poëtæ amatorii.	88.
Philippi quatuor filia.	82.	Poëtæ feminis legendi quæ.	369.
Philo Carneadis magister.	ibid.	Poëtarum scripta ad voluptatem	
Philonis uxoris dictum.	229.	comparata.	363.
Philosophi Parisienses ubi suam ha-		Polla Argentaria Lucani conjux.	81.
beant sapientiam.	26.	Polycedes fur.	383.

Cnei Pompeji oratio ad Corneliam.	192.	Propinquitatis origo et incremen-	
Gn. Pompeji præclarum factum.	404.	tum.	312.
Pompejus a Cajo Casare victus.	192.	Prudens quis.	318.
Pontius Aufedanus.	94.	Prudentia absoluta quæ.	316.
Populus magnus erroris magister.	211.	Prudentia absque probitate vafricies.	356.
Portia Bruti.	80.	Prudentiæ materia.	386.
Portiæ Catonis filia castitas.	297.	Prudentiam affectibus pelli.	326.
Portii Latronis dictum.	383.	Prudentiam præceptis adjuvari non	
Posthumia Vestæ sacerdos incestus		tradi.	344.
accusatur.	134.	Prudentius poëta.	369.
Potentia malus custos metus.	59.	Prunas ardentes in os conjicit Ca-	
Potus quales esse debeant.	97.	ronis filia.	186.
Precatio secreta matronarum.	252.	Publii Rubri celeris conjugium.	205.
Præceptor virginum qualis eligen-		Publius Attilius de filia supplicium	
das.	83.	sumit.	94.
Præcipuum et summum beneficium.	427.	Pudibunda femina ira non efferetur.	123.
Prægnantes ne indulgeant crapulæ.	256.	Pudica quæ vere dicenda.	291.
Præpostera vulgi opinio.	426.	Pudicitia amissa omnia tristitia.	93.
Præterita præsentibus meliora sem-		Pudicitia a pudore.	122.
per videntur.	269.	Pudicitia christiana qualis.	113.
Preces non certum pietatis argu-		Pudicitia cum pudore unicus the-	
mentum.	330.	saurus feminarum.	239.
Prægnantis feminae miseriæ subeun-		Pudicitia in femina instar est om-	
dæ.	253.	nium.	96.
Primicerii quæ.	335.	Pudicitia in femina quæ includat.	122.
Principem nulla virtus magis decet		Pudicitia in femina tenuis flos.	293.
quam benignitas.	334.	Pudicitia quomodo conservetur.	374.
Principem præcidum prudentia de-		in Pudicitia ac pudoris custodia	
cet.	36.	quantum publicæ quietis situm.	375.
Principes corporis custodia sæpe		Pudicitia bonum quantum.	79.
nocuit.	31.	Pudicitia comites.	98.
Principum symbola.	ibid.	Pudicitia corona quæ feminae hono-	
Priscorum innocentia et simplicitas.	312.	randæ.	298.
Privigni etiam ob uxorem amandi.	411.	Pudicitia dedecus non contemnen-	
Privignis magna regna a vitricis re-		dum.	243.
licta.	271.	Pudicitia et adulterii leges a Cæsa-	
Probitas naturæ nostræ congruens.	364.	re lata.	236.
Prodeunti quæ observanda.	130.	Pudicitia fama tenera res.	293.
Prodeuntis feminae comitatus.	389.	Pudicitia jactura per ornatum eve-	
Prodici Sophistæ de Hercule com-		nit.	111.
mentum.	317.	Pudicitia in femina certum sig-	
Proles a Deo petenda.	256.	num.	188.
Pronuba Ecclesia.	175.	Pudicitia naufragium unde.	110.
Propria quæque tractet non aliena.	247.	Pudicitia ubi nulla custodia.	75.
Propinqui et fratres ne lusitent cum		Pudicitia pestis et venena.	108.
propinquis.	135.	Pudicitia vindex Brutus.	281.

Sacerdotes qui consulendi.	295.	Sapere et amare vix Deo concedi.	357.
Sacerdotum quorundam superstitiosa et mala consolatio.	285.	Sapere incipimus cum morimur.	255.
Salomonem amor dementavit.	146.	Sapiens solus longævus.	36.
Salonia Censorii Catonis uxor.	191.	Sapientes Athenis atque Romæ fuisse plurimos quid causæ fuerit.	21.
Salrandi novum genus apud nos.	142.	Sapientes rari vel nulli.	22.
Salrandi scholæ in christianis civitatibus.	ibid.	Sapientia in quo signo Zodiaci acquiratur.	27.
Saltant viri et mulieres personatæ in aliquibus locis.	143.	Sapientia prima stultitia caruisse.	20.
Saltantes mulieres quidam ex Asia fugerunt.	142.	Sapientia quæ.	14.
Saltare scortorum est.	202.	Sapientia vera quæ.	29.
Saltasse ex castis Romanis matronis nulla legitur.	141.	Sapientia terrena stultitia apud Deum.	349.
Saltasse nulla sanctarum feminarum legitur.	143.	Sapientiæ acquisitio qualis.	25.
Saltat nemo sobrius.	142.	Sapientiæ deditum pectus ab omni malo abhorret.	83.
Saltatio cumulus omnium viriorum.	ibid.	Sara Abrahamæ per omnia obediens.	278.
Saltatio extrema est comes deliciarum.	143.	Saræ Raguelis filiæ oratio.	156.
Saltationem Philippus Macedonum Rex Atheniensibus objecit.	141.	Saræ septem mariti a dæmone interfecti.	375.
Saltationem repudiatam esse ab omnibus cordatioribus.	ibid.	Satanas quibus magis insidietur.	315.
Saltationes nuptiarum dies non habeat.	178.	Satanas valde regnat in hoc inferiori mundo.	116.
Saltationibus mulier litteris addicta numquam se recreabit.	83.	Satyrici de humana vita benemeriti.	20.
in Saltationibus puellæ frequentes, in templis raræ.	142.	Scedasi filiæ in Leucris Bæotia.	126.
Saltatricis optione Baptista jugulatus est.	143.	Scelera ex moribus accepimus non ex aère.	280.
ubi Saltatur nihil est verecundiæ.	ibid.	Scelera ubique visuntur.	77.
Sallustii locus.	409.	Scholis feminam nemo præficiat.	84.
Salutis voce quæ contineantur apud Paulum.	350.	Scortum uxorem habere quantum malum.	181.
Samsonem amor debilitavit.	146.	Scrofæ lacte puer nutritus.	71.
Sanctorum acta feminis legenda.	369.	Secundis rebus bene uti parum, ac adversis magnum.	204.
inter Sanguine conjunctos quatenus interdicta conjugia.	312.	Sedulius feminis legendus.	369.
Sanis omnia sana.	391.	Sempronia græcè et latinè docta.	79.
Sanitas sordibus læditur.	325.	Sempronia nec famam nec pecuniam curavit.	244.
Sanitarem immunditia et sordibus vehementer lædi.	324.	Sempronia ob saltationem reprehenditur.	141.
Sappho poëtria caste non vixit.	79.	Semproniæ doctrina.	80.
		Senatores Romani quales.	15.
		Senatores quales secundum ætatem eligendi sunt.	ibid.
		Seneca feminis legendus.	369.
		Senecæ locus.	366.
		Se-	

Senecæ matertera per sedecim annos in publico numquam conspecta est.	237.	Sobolem a mulieribus quam viris ardentius desiderari.	416.
Senecæ Stoici cibus.	99.	ad Sobolem corpus ac animus matris considerandus.	325.
Senectus morbus est.	13.	ad Sobolem quæ expectanda.	324.
Senectus quid.	ibid.	Sobolis suscipiendæ cura qualis esse debeat.	324.
Senectutis vitium peculiare.	12.	Sobriam mentem philosophi omnes commendant.	99.
Senes callidi.	13.	Sobrietas continentiam fovet.	122.
Senes juvenes fiunt, ut juvenes senes.	16.	Sobrietas ex pudore gignitur.	124.
Senes loquaces.	12.	Societas hominum vera quæ.	382.
Senes qui judicandi.	17.	Societas mala vitanda.	390.
Senes utili honesto plerunque præferunt.	11.	Societas nulla major conjugio.	346.
Senibus honor debetur.	15.	Socrates cum sua familia quare nunquam gravi morbo attractus fuerit.	99.
Senis anima qualis sit.	9.	Socrates humanæ sapientiæ oraculum.	366.
Senium progignit tædium et contra.	12.	Socrates philosophiæ parens.	99.
Sensus judicium in uxore ducenda minime sequendum.	344.	Socratis apophthegma.	327.
Senum consilia juvenibus utilia.	275.	Socratis dictum, ad discipulos suos, de forma.	114.
Sepulturæ non magni æstimatæ.	270.	Socratis disputandi modus.	14.
Sepulturæ non sunt tollendæ.	286.	Socratis in ferenda Xantippe tolerantia.	407.
Sergii Galbæ in ducenda uxore prudens factum.	344.	Socrus affectum in nurum.	273.
Sergii Galbæ probitas.	ibid.	Socrus ex saccaro confecta amara.	ibid.
Sermo animi index.	327.	Socrus nurus odio habent et cur.	ibid.
Sermo et ingenium et affectus hominis prodir.	ibid.	Socrus quare molestæ nuribus nunquam.	274.
Sermo maternus efficax.	258.	Sodalitas uxoris observanda.	329.
Sermo turpis vitandus.	391.	Sodalium animi quomodo explorandi.	390.
Sermo virginis sit modestus etiam inter feminas.	137.	Solonii risus.	336.
Servi quo pacto habendi ac quod illorum officium.	246.	Solonis lex de luctu mortis suæ.	281.
Servi usus.	347.	Somnus in virgine.	100.
Sibyllæ decem virgines.	80.	Sophiæ tres liberos occisos pro nomine Christi.	264.
Signum Christi.	456.	Sophoclis tragici sententia de ornatu.	110.
Silentio castitas et prudentia condiuntur.	101.	Sophonra nobilis mulier pudicitiam suam servavit.	128.
Silentium feminæ pulcherrima virtus.	370.	Sorum cum fratribus conjugia.	312.
Silentium magnum feminæ ornamentum.	136.	Soror unde dicatur.	272.
Silentium secretorum.	220.	cum Sorore non tutum habitare.	135.
Silentium tenuerunt arcani etiam feminæ.	138.	Spartanæ dictum de marito.	221.
Similitudo amoris vinculum maximum.	158.	Specula quo pacto inspicienda.	114.
Sinegunda Henrici Bavarî uxor castre vixit.	222.	Speculi usus.	ibid.
		Speciosa quare soror vocetur.	221.
		Sponsaliorum causa.	375.
		Spon-	

Sponsorum quorundam impatientia.	375.	Tædium progignit senium.	12.
Sponsus qui querendus.	166.	Tarquinis filii et propinqui.	75.
Spurca quibus placeat.	87.	Taygesta mons occupatur.	185.
Spurius Minucius Pontifex Maximus.	135.	Tecla naturam bestiarum virginitatis veneratione mutavit.	93.
Steriles feminæ magis quam viri.	255.	Tecla Pauli discipula.	82.
Steriles mulieres gaudere possunt.	264.	Tempori parcendum.	37.
Steriles paucos viros natura genuit.	255.	Tempus veritatis parens.	224.
Sterilitatis causæ.	415.	Terentii locus.	381.
Sterilitatis culpam mulier, non in maritum rejiciat.	255.	Terentius humanorum adfectuum depictor.	227.
Sterilitatis probrum evanuit.	254.	Tertiæ Æmiliæ prioris Africani uxoris prudens factum cum pellicæ.	226.
Sterilitas Saræ.	256.	Tertulliani sententiâ de studio comendî.	111.
Stoici in sapientia omnia bona sita existimabant.	121.	Thalasio in nuptiis acclamabatur olim.	75.
Stratonica Deiotari Regis conjux.	198.	Thamar violatur.	135.
Stultitiæ nomine quæ contineantur.	350.	Theano Metaponti nata.	80.
Strymhalidem virginem in templo Dianæ confossam.	126.	Theano Metapontina optimam matronam depingit.	250.
Sulpitia Lentuli in exilium comitata est.	184.	Theja Erinna Homerum carmine æquavit.	81.
Sulpitia præcepta de conjugio scripsit.	80.	Themistocles.	392.
Sulpitiæ connubium.	359.	Themistocles mavult virum sine pecunia quam pecuniam sine viro.	158.
Superbiam Christus regibus adimit.	100.	Thersites.	392.
Superborum mores.	107.	Thesiæ egregium dictum de marito suo.	212.
Superbus animal nullum ornata femina.	109.	Thomæ Mori filiæ.	83.
Superstitio ex metu.	321.	Thraciâ suprema frigidius coelum habet.	280.
Superstitio pietate quid differat.	367.	Thracum feminæ super mortuos maritos se interficiunt.	281.
Superstitio quam ætatem infestet.	279.	Thucydidis sententiâ de optima muliere.	130.
Superstitionem vanus terror suadet, religionem sapientiâ.	321.	Tibicines et musici quare voluptatibus semper dediti.	78.
Superstitionis in femina usus.	324.	Tiberii Cæsaris connubium cum Julia Augusti filia.	340.
Susannæ silentium ipsam purgat.	137.	Tiberius Gracchus maluit mori quam uxorem.	189.
Suspiciones in conjugio arcendæ.	353.	Tigranis in uxorem amor.	349.
Suspiciones quemodo tollendæ.	224.	Tigranis uxor in convivio ab ipso nunquam oculos deflexit.	235.
Suspicionibus securis.	33.	Timon beneficentissimus.	433.
Suspicionis multæ feminæ ansam dant.	230.	Tintinnabulis sonitus.	383.
Suspicionum proclivitas unde.	353.	Thobix conjugium.	375.
L. Syllæ rapax liberalitas.	334.		
Symbolum quid sit atque quale esse debeat.	31.		
T			
T aciturnitas clavus prudentiæ.	382.		
Taciturnitas Divæ Virginis.	136.		
Taciturnitas pulcherrima feminæ virtus.	370.		

Tran-

Tranquillitas vera in conjugio.	165.	Virgines raro egrediantur domum.	130.
Tristani scripta.	363.	Virginis educatio.	70.
Troja deleta propter Helenam.	145.	Virginis exercitia.	74.
Turiæ factum erga maritum insigne.	184.	Virginitas quæ et ubi sita.	90.
Turpitudinis exempla quomodo submovenda.	374.	Virginitatis exempla.	81.
Turpitude in colloquiis vitanda.	390.	Virginum victus ac potus.	97.
Turtures vel columbæ cur Domino in purgatione mulieris oblata.	283.	Virginum vitiarum poenæ.	94.
Turturum conjugium.	305.	Virgo quo pacto ridere debeat.	133.
Turturum fides ac caritas erga conjugem.	282.	Virgo quo pacto sponsum quæret.	155.
Tyranni Athenis.	182.	Virgo silentium amet.	136.
a Tyrannide multum distare amicitia.	345.	Virgo ut se in solitudine geret.	116.
		Viri mulierum officia alicubi suberant.	387.
		Viri peplo colloque digni.	412.
		Viro multo plura quam feminæ necessaria.	95.
		Virtus est in animo.	427.
		Virtus instar omnium.	33.
		Virtus potentior opibus.	43.
		Virtutis via qualis.	67.
		Vis naturæ.	424.
		Vita anreacta sequentis judicium præbet.	330.
		Vita coelitum seu inferiorum.	317.
		Vita humana comoedia est.	45.
		Vita hominum perinde ac si tesseri ludas.	192.
		Vita humana præter virtutem omnium ridicula habet.	2.
		Vita non solum persuadet sed et cogit.	371.
		Vita nostra mors est.	423.
		Vitæ communionem cum improbo habere molestum.	65.
		Vitæ nostræ errores.	384.
		Vitæ scopus.	32.
		Vitandum est otium.	471.
		Vitia et virtutes non sunt ætatum.	19.
		Vitia post mortem.	441.
		Vitia quæ impediunt benefacere.	439.
		Vitia quædam prætermittenda qualia.	404.
		Vitiorum via qualis.	67.
		Vitrici privignos pro filiis æstimant, novercæ non item.	271.
		Voluntas cur ventorum potius quam libera secretur.	394.
		Voluntas pro facultatæ.	35.
		Voluptatem quæ litteræ excitent.	363.
			Ul-

Ul-

U

- Utionis lentissime convenit esse. 37.
 Uxor administrandum et inservien-
 dum marito assuefacienda. 397.
 Uxor domum custodiat subinde. 389.
 Uxor eligenda et qualis et quomodo. 316.
 Uxor etiam ægrota non minus quam
 sana amanda. 411.
 Uxor iisdem cum marito voluptati-
 bus adhibenda. 418.
 Uxor mariti studiis ne resistat. 208.
 Uxor marito ministrare debet. 195.
 Uxor marito tyrannus fit. 194.
 Uxor natu grandior quomodo a ma-
 rito tractanda. 416.
 Uxor non fortunam ac dona potius
 in viro quam ipsum amet. 192.
 Uxor potestatem corporis sui non
 habet. 180.
 Uxor quo pacto se in virum gerat. 183.
 Uxor quousque obtemperare debeat
 viro. 201.
 Uxor qualis marito sit sociâ. 307.
 Uxor quicquid habet mariti est. 210.
 Uxor silentium erga maritum teneat. 220.
 Uxor soli marito se ornet. 394.
 Uxor viri corpus. 405.
 Uxor ut suæ linguæ frenum injicere
 queat. 213.
 in Uxore deligenda sensus prorsus
 non sequendi et cur. 344.
 de Uxore nuper ducta quæ cogitatio
 habenda. 402.
 Uxorem potentiolem te, ne duxeris. 343.
 Uxorem reprehendendi aut casti-
 gandi ratio. 400.
 Uxorem verberibus meliorem nemo
 reddet. 407.
 Uxores maritos defunctos duobus lu-
 gent modis. 280.
 Uxores regere quo pacto quis queat. 347.
 Uxores vires caro congressæ. 220.
 Uxores viris subditas decet esse. 189.
 Uxori liberum relinquendum a marito
 alii ne ipso defuncto nubat an non. 419.
 Uxoris cultus quis esse debeat. 394.

- Uxoris cura in domo quæ esse debeat. 388.
 Uxoris digitis ducimus. 171.
 Uxoris honor maritus est. 191.
 Uxoris marito amandæ causæ. 407.
 Uxoris nomen dignitatis non volup-
 tatis nomen est. 374.
 Uxoris qualis debeat esse custodia ab-
 sente peregre marito. 399.
 Uxoris qualis habenda ratio morienti
 marito in relinquenda hereditate. 418.
 Uxoris sermo qualis. 370.
 Uxoris vitia aut ferenda aut tollenda. 400.
 Uxoris utilitas. 347.
 Uxorum exempla quæ mortis viris
 vivere noluerunt. 185.
 Uxorum exempla quæ viros in exi-
 lium comitatæ sunt. 184.
 Uxorum exempla quæ viros captivi-
 tate liberarunt. 185.

X

- Xantippe Socratis uxor. 229.
 Xenocratis continentia. 99.
 Xenophontis locus. 310.
 Xenophontis Oeconomica feminæ le-
 genda. 369.
 Xisti dictum. 374.
 Xistus Pythagoricus. 221.

Z

- Zelotypia feminæ. 225.
 Zelotypæ feræ. 223.
 Zelotypia etiam laborant animalia
 quædam. ibid.
 Zelotypia magnum malum. ibid.
 Zelotypia quid. ibid.
 Zelotypia quomodo queat curari. ibid.
 Zelotypiæ curiosæ poena. 226.
 Zelotypiæ nulla uxoris ansa præ-
 benda. 378.
 Zelotypiæ nullus usus. 401.
 Zenus Marchio. 83.
 Zenobia Palmirenorum Regina græ-
 cé et latiné calluit. 82.
 Zenobiæ Palmirenorum Regiæ cas-
 titas. 222.

F I N I S.

